LEGATORIA
PANISPERNA 222-A

Moral proj. 237.62
P. 625

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/cursustheologiem0012canj

CURSUS
THEOLOGIÆ MORALIS

CURSUS

Theologiæ Moralis

ad usum Scholarum Theologicarum

AUCTORE

Can. J. B. PIGHI S. Theol. Doct.

ANTISTITE URBANO

Editio quarta

in nonnullis emendata - in pluribus aucta

LIBER PRIMUS

PROLEGOMENA



VERONÆ
SORORES CINQUETTI FILIÆ FELICIS
Bibliopolæ Editoris Pontificii
In Via « Croce Verde » N. 6.
MCMXXVI

1457

Visum. Nihil obstat.

Veronæ die 27 jannarii a. 1926.

Sac. ALOISIUS ZENATI Cens. Ep.

V. Imprimatur

Veronæ die 30 jannarii 1926.

✠ HIERONYMUS EPISC.

VERONÆ, TYPOGR. M. BETTINELLI

ANTONIO BALLERINI

ET

DOMINICO PALMIERI

VIRIS E SOCIETATE IESV CLARISSIMIS

QVI

VIRTVTE ET DOCTRINA ÆQUE INSIGNES

DISCIPLINAS THEOLOGICAS

SVMMA INGENII AC ERVDITIONIS LAVDE

IN VNIVERSITATE GREGORIANA DOCVERVNT

HOC OPVS

EORVM VESTIGIIS RELIGIOSE INHÆRENS

CANONICVS IO. BAPTISTA PIGHI

VTRIVSQVE DISCIPVLVS

VT CLARIS NOMINIBVS AVCTVM

VELVTI OMINE FAVSTO

IN MAIVS ANIMARVM BONVM CEDAT

D.

OPERA

quorum subsidio frequentius utemur

ALBERTI *Compendium theologiæ moralis* (Romæ 1901-1907).
ARREGUI *Summarium theologiæ moralis* (Bilbai 1922).
BALLERINI *Opus theologicum morale* (Prati 1890-1893).
BERARDI *Praxis confessarii* (Bononiæ 1887).
D'ANNIBALE *Summula theologiæ moralis* (Romæ 1908).
DENZIGER *Enchiridion Symbolorum....* (Friburgi 1918).
FERRERES *Compendium theologiæ moralis* (Barcinonæ 1919).
FRASSINETTI *Compendio della teologia morale* (Genova 1871).
GENICOT-SALSMANS *Institutiones theologiæ moralis* (Bruxellis 1922).
GOUSSET *Teologia morale* (Parma 1850).
GURY *Compendium theologiæ moralis* cum adnotationibus PP. Ballerini et Palmieri (Romæ 1907).
LEHMKUHL *Theologia moralis* (Friburgi 1903).
(S.) LIGORIUS M. ALPH. *Theologia moralis* (Aug. Taur. 1880).
MARC *Institutiones morales Alphonsianæ* (Romæ 1917).
NOLDIN *Summa theologiæ moralis* (Oeniponte 1920-23).
OJETTI *Synopsis rerum moralium* (Romæ 1909, sequ.).
PRÜMMER *Manuale theologiæ moralis* (Friburgi 1915).
REUTER-LEHMK. *Neoconfessarius* (Friburgi 1910).
SABETTI *Compendium theologiæ moralis* (Neo-Eboraci 1919).
SCAVINI *Theologia moralis universa* (Mediolani 1874).
SEBASTIANI *Summarium theologiæ moralis* (Taurin. 1925).
TANQUEREY *Synopsis theologiæ moralis et pastor.* (Romæ, Torn., Par. 1906).
(S.) THOMAS *Summa theologica*.
TUMMOLO *Compendium theologiæ moralis* (Neapoli 1919).
VERMEERSCH *Theologiæ moralis Principia Responsa Consilia* (Romæ 1922, 23).
ZANINETTI *Theologia moralis....* (Novariæ 1908).

Quoties, aut aliis horum auctorum operibus, aut operibus aliorum auctorum, utemur, auctorem et opus indicabimus.

INDEX

PROLEGOMENA

Introductio Pag. 1

Tractatus Primus

DE ACTIBUS HUMANIS » 5
Cap. I. De elementis constitutivis actuum humanorum » 6
Art. I. De cognitione » 7
Art. II. De volitione » 8
§ I. De voluntarietate ipsius actus volitivi » 9
§ II. De voluntarietate volitionis ex parte objecti » 11
Art. III. De libertate » 15
Cap. II. De impedimentis actuum humanorum » 17
Art. I. De ignorantia » »
Art. II. De concupiscentia » 20
Art. III. De metu » 24
Art. IV. De violentia » 26
Cap. III. De moralitate actuum humanorum » 27
Art. I. De essentia moralitatis » »
Art. II. De fontibus moralitatis » 29
§ I. De objecto » »
§ II. De circumstantiis » 32
§ III. De fine » 33
Cap. IV. De merito actuum humanorum » 38

Tractatus Secundus

DE CONSCIENTIA » 43
Cap. I. De efficacia conscientiæ » 44
Cap. II. De necessitate conscientiæ certæ ad bene agendum » 47
Cap. III. De mediis ad efformandam sibi conscientiam » 48
Art. I. De dubio et perplexitate » 49
Art. II. De judicio non certo » 51
Cap. IV. De opinione morali probabili » 52
Art. I. De natura probabilitatis » 53
Art. II. De efficacia probabilitatis Pag. 55
§ I. De conscientia certa efformanda, quando agitur de eligendo medio ad finem consequendum. - Thesis I. » 57
§ II. De conscientia certa efformanda, quando speculative dubia est liceitas alicujus actionis aut omissionis - Thesis II. » 60
Art. III. De usu probabilitatis ac de principiis eidem subsidiariis » 68
Cap. V. De conscientia scrupulosa et laxa » 77
Art. I. De conscientia scrupulosa » »
Art. II. De conscientia laxa » 79

Tractatus Tertius

DE LEGIBUS » 78
SECTIO PRIMA. De legibus in communi » »
Cap. I. De notione et essentia legis » 81
Cap. II. De præcipuis elementis cujuscumque legis » 84
Art. I. De virtute legis » 85
Art. II. De impletione legis » 87
Cap. III. De causis a lege deobligantibus » 92
SECTIO ALTERA. De legibus in particulari » 96
Cap. I. De lege æterna et naturali » »
Art. I. De subjecto legis naturalis » 98
Art. II. De objecto legis naturalis » »
Art. III. De immutabilitate legis naturalis » 99
Art. IV. De promulgatione legis naturalis » 101

Cap. II. De lege divina positiva Pag. 103
Cap. III. De lege ecclesiastica » 107
Art. I. De auctore legis ecclesiasticæ » 108
Art. II. De promulgatione legis ecclesiasticæ » 112
Art. III. De objecto legis ecclesiasticæ » 113
Art. IV. De Codice Juris canonici » 116
Art. V. De subjecto legis ecclesiasticæ » 118
Art. VI. De interpretatione legis ecclesiasticæ » 122
Art. VII. De cessatione legis ecclesiasticæ » 126
§ I. De cessatione legis pro communitate » »
§ II. De dispensatione » 129
Art. VIII. De privilegiis » 133
Cap. IV. De lege civili » 135
Art. I. De ipsa potestate legifera principum civilium » »
Art. II. De requisitis ex parte legum civilium ad obligandum » 136

Tractatus Quartus

De peccatis » 139
Cap. I. De natura peccati » »
Art. I. De elementis constitutivis peccati » 140
Art. II. De requisitis ex parte subjecti ad peccandum Pag. 142
Cap. II. De distinctionibus peccatorum » 147
Art. I. De distinctione peccatorum theologica » »
Art. II. De distinctione peccatorum specifica » 154
Art. III. De distinctione peccatorum numerica » 160
Cap. III. De causis peccatorum » 166
Art. I. De pravis habitibus » 167
Art. II. De occasionibus periculosis » 169
Cap. IV. De effectibus peccati » 174
Art. I. De effectibus peccati mortalis » »
Art. II. De effectibus peccati venialis » 175
Cap. V. De peccatis internis » 176
Art. I. De malo desiderio » »
Art. II. De pravo gaudio » 178
Art. III. De delectatione morosa » 181
Cap. IV. De peccatis seu vitiis capitalibus » 184
Art. I. De superbia » »
Art. II. De avaritia » 185
Art. III. De luxuria » 186
Art. IV. De ira seu iracundia » 187
Art. V. De gula » 188
§ I. De gula specifice sumpta » 189
§ II. De ebrietate » »
Art. VI. De invidia » 194
Art. VII. De acedia » 195
App. De peccatis in Spiritum sanctum » 196
Index alphabeticus » 197

INTRODUCTIO

I. Theologia Moralis definitur « scientia morum humanorum in ordine ad ultimum finem hominis supernaturalem »; vel etiam « disciplina humanas actiones perpendens in genere morum, prout hominem ad suum finem supernaturalem conducunt, vel ab eo abducunt ». Hinc objectum formale est earum conformitas vel difformitas a recta regula morum, ex qua conformitate vel difformitate pendet quod homo per eas in suum ultimum finem tendat, vel ab eo recedat. Porro finis ultimus, homini a Deo in præsenti ordine providentiæ constitutus, supernaturalis est; neque ad eum homo pervenire potest, nisi ejus actiones sint huic fini proportionatæ, ac simul ad ipsum ordinatæ ex conformitate cum ea recta regula morum, quam Deus homini intimavit. Idcirco hæc disciplina vere theologica est, et jure *Theologia moralis* nuncupatur. In hoc autem ea differt a disciplina morali philosophica, seu *Ethica;* quod ista humanas actiones perpendit juxta earum conformitatem vel difformitatem a regula morum in ordine ad finem hominis naturalem, atque ad hanc regulam determinandam utitur tantum argumentis mere rationalibus.

II. Duo sunt fontes supremi, e quibus Theologia moralis haurit normas ad rectam regulam morum dignoscendam: *Divina revelatio,* et *lumen rationis.* Horum autem alter priori subordinatus sit oportet: non quasi inter eos possit esse realis conflictus; sed eo quod primus prorsus infallibilis est; ac proinde, in casu conflictus apparentis, regula, quam lumen rationis ceu rectam exhibet, reipsa recta esse nequit. Normæ ex utroque fonte manantes ad nos perveniunt per fontes immediatos, qui et *loci* Theologiæ moralis dici consueverunt.

1°. Loci authentici divinæ revelationis in re morali tres sunt: *a) Sacra Scriptura;* nedum novi Testamenti, sed et veteris, si excipiantur ea, quæ præcepta cæremonialia aut judicialia dicuntur. *b) Decreta doctrinalia Conciliorum,* præsertim generalium. *c) Decreta doctrinalia Sedis Apostolicæ,* quæ generatim proponuntur per damnationem propositionum moralium. Eamdem divinam revelationem, subordinate ad infallibile ac vivens Ecclesiæ magisterium, nobis quoque exhibent *scripta sanctorum Patrum, Catechismi* ab Episcopis approbati, ac ipsæ *sententiæ theologorum.*

2.° Fontes immediati dictaminum rectæ rationis sunt ipsa studia scientifica moralia: in primis *Ethica naturalis;* dein *psychologia,* tum theoretica, tum practica; *sociologia; œconomia,* et aliæ scientiæ affines. Deus enim ipsas leges ordinis naturalis homini imposuit, ut absolute servandas ad ipsius finem supernaturalem consequendum; insuper earum legum principia omnibus hominibus lumine rationis ita cognoscibilia fecit, ut eorumdem cognitionem homines per ipsam revelationem perfectius assequi deberent.

3°. Demum, quia tum revelatio, tum recta ratio dictat Deum posse suam auctoritatem legiferam entibus creatis communicare, eamque de facto communicasse, tum Ecclesiæ, tum civili societati, ideo fontes immediati Theologiæ moralis sunt quoque Jura positiva, tum Ecclesiæ, tum civilis societatis. Ejusmodi loci, quoad Jus ecclesiasticum sunt *Decreta disciplinaria Conciliorum* generalium et particularium, *Constitutiones* ac *Decreta disciplinaria romanorum Pontificum et sacrarum Congregationum, Liturgia sacra, etc.* Quæ generalia sunt, hodie omnia complectitur *Codex Juris Canonici* auctoritate S. P. Benedicti XV die 27 Maji a. 1917 promulgatus, ac a die 19 Maji anni 1918 vim canonicam habens; cui religiose insistemus quoad præscripta canonico-moralia, relinquentes Canonistis quæ sunt stricte canonica. Demum adsunt, etiam pro re morali, *Codices civiles* et *Leges,* quæ a civili autorictate in materia sibi subjecta legitime conditæ ac promulgatæ fuerint.

III. Ex fine, quem Theologia moralis intendit, patet quanta sit ejusdem dignitas ac necessitas. Per eam enim sacerdotes idonei fiunt ad homines in suum ultimum finem supernaturalem dirigendos et juvandos: porro « inter opera divina divinissimum est cooperari Deo in salutem animarum ».

Quia vero homines communiter sacerdotum regimine et adjumento realiter indigent, ideo hæc scientia maximæ est ad animarum salutem necessitatis: vere enim « ars artium regimen animarum » (S. Gregorius M. *Regula pastor. P. I. Cap. I*).

Ex indicatis fontibus Theologiæ moralis patet ejusdem acquirendæ difficultas, ac proinde profundi ac incessantis studii necessitas. « Moralis enim scientia, non solum valde necessaria est christianæ reipublicæ, cum ex ea dependeat bonum regimen animarum, sed etiam summopere difficilis; tum, quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium; tum, quia tot diversas complectitur materas inter se dissitas; tum, quia in magna parte constat tot legibus positivis, quæ in dies prodeunt. Demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendet varietas; nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia; et in hoc difficultas consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione vel accurata lectione plurium librorum, qui res examinant et dilucidant ». (S. Ligorius *Theol. mor. Lib. VI. Num.* 628).

IV. Theologia moralis scientifice excoli cœpta est postquam, ope-

ra SS. Patrum, jam firmata fuerat et adversus hæreticos vindicata et declarata doctrina christiana credenda.

Ut potiora attingamus, doctrina moralis primum scholastica methodo proposita fuit a Petro Lombardo, prius Doctore, dein Episcopo Parisiensi, circa medium sæculum XII. Hic dedit *Libros quatuor Sententiarum;* quorum duo posteriores agunt de moribus christiana ratione instituendis, tum exercitio virtutum theologicarum et moralium ac præceptorum Decalogi, tum usu Sacramentorum Novæ Legis. Ejus vestigia secuti sunt S. Thomas et S. Bonaventura. Ille, tum *Commentario in Libros Sententiarum,* tum Parte secunda *Summæ theologicæ,* agit de ultimo hominis fine ac de modo in ipsum tendendi, dein de virtutibus theologicis et moralibus ac de officiis singulorum statuum propriis, demum de Sacramentis. Iste, et *Commentario in libros Sententiarum* et aliis operibus easdem tractat quæstiones; ita tamen ut præter præcepta præ oculis saepe habeat consilia, hominumque mores ad altiora provehere studeat. Doctrinas Doctorum Angelici et Seraphici generatim sequuntur et vindicant et exponunt Theologi Ordinum Prædicatorum et Minorum usque ad finem sæculi XV.

Cum cultus scientiarum theologicarum nonnihil sæculo XV tepuerit, revixit sæculo sequenti, præsertim post celebratum Concilium Tridentinum et institutam Societatem Jesu. Inter cultores Theologiæ moralis eminuerunt e Societate Jesu Suarez, Sanchez, Lessius, Laymann, De Lugo, Tamburini; ex Ordine Prædicatorum Medina ac Dominicus Soto; e clero sæculari Martinus Navarrus, Bonacina et alii. Interim et Jansenismus irrupit, qui sub specie urgendæ vitæ perfectioris rigorismum in doctrinas catholicas intrusit; ejusque influxum doctores quoque catholici per duo ferme sæcula subierunt; donec Deus adversus hanc pestem S. Alphonsum M. De Ligorio suscitavit. Iste, vir non minus ingenii perspicuitate ac latissima eruditione, quam morum sanctitate effulgens, tenebras jansenianas prorsus diluit. Eum ducem ac magistrum secuti sunt theologi posteriores; quorum studiis, nedum jansenistarum et rigoristarum placita scholis catholicis expuncta sunt, sed et firmatum fuit criterium totius Theologiæ moralis fundamenale, quod *systema morale* nuncupari solet.

V. Demum pauca addere juvat de ratione, quam in opere hoc qualicumque compilando secuti sumus:

Methodus Theologiæ moralis triplex distinguitur: *Positiva,* qua veritates morales e propriis singulæ fontibus proponuntur; *scholastica,* qua eædem argumentis fulciuntur, collationibus explicantur ac firmantur; *casuistica,* qua eædem ad casus particulares applicantur, vel ad solvendas obscuriores quæstiones invocantur. Nos, sequentes exemplum S. Alphonsi et plurium recentiorum, tres simul methodos sociandas esse duximus. Itaque primum proponemus *Principia*: et quidem nude, si eadem per se evidentia sint; allatis vero concise argumentis, si hisce indigere

videantur: dein eadem principia ad casus practicos resolvendos applicabimus, atque ex eis curabimus obscuriores quæstiones elucidare.

Nemo autem mirabitur, si tum in statuendis principiis, tum in elucidandis quæstionibus, haud negligentes argumenta intrinseca, multum tribuemus argumento extrinseco auctoritatis. Vim enim argumenti istius in rebus theologicis jam a scholis in Universitate Gregoriana ebibimus. Magistros in primis suspiciemus S. THOMAM Aquinatem, quem Ecclesia *Doctorem Angelicum* ac *theologicarum scholarum Patronum* nuncupavit, ac S. ALPHONSUM M. DE LIGORIO, cujus *scripta moralia inoffenso pede decurri* Sedes Apostolica declaravit. Dein religiose insistemus quoque vestigiis magistrorum nostrorum Antonii Ballerini ac Dominici Palmieri, nec non aliorum doctorum recentium; qui, erga S. Alphonsum obsequentissimi, studuerunt ipsius sententias institutis ac moribus hodiernis aptare. Generatim tunc theologorum opiniones in calce indicabimus, cum intererit, sive eorum dissensum sincere fateri, sive lectori fusiorem alicujus doctrinæ aut controversiæ expositionem indicare.

Censuimus nonnihil indulgendum esse parcimoniæ, non tantum editorum, sed et utentium, et præsertim clericorum studiis theologicis vacantium, quibus in primis destinatum est opus nostrum. Inde est, quod, aliorum recentium exempla secuti, omisimus elenchum Propositionum damnatarum: eas tamen, quæ ad res morales pertinent, suis in locis integras referemus.

Dabimus etiam, saltem quoad summam rei, responsa et declarationes datas a sacris Congregationibus, a sacra Pœnitentiaria et a Commissione Codici interpretando præposita. Rationem quoque habebimus censurarum, quæ circa præcedentes operis nostri editiones motæ sunt: partim, ut quasdam opiniones nostras reformemus; partim, ut quasdam firmius tueamur.

VI. Quod spectat ad distributionem, præmisimus eam partem Theologiæ moralis, quam *generalem* seu *fundamentalem* dicunt; eique titulum præfiximus: PROLEGOMENA. Alteram Theologiæ partem *specialem* in tres libros digessimus: DE VIRTUTIBUS, DE PRÆCEPTIS, DE SACRAMENTIS. — Cum forte nulla sit operum Theologiæ moralis distributio vacans incommodis, hanc prætulimus, etiam ex eo quod hæc destinationi operis, in ipso titulo indicatæ respondere videtur. Itaque, juxta programmata pro scholis theologicis data a Pontifice s. m. Pio X, non inopportune *Prolegomena* usui esse poterunt alumnis cursus primi theologici, quippe qui seorsim habendus est; nec inopportune reliqui *Libri tres* usui esse poterunt alumnis ceterorum cursuum, qui communiter haberi solent conjunctim.

Liber I.

PROLEGOMENA

Quoniam objectum Theologiæ moralis sunt *actiones humanæ* spectatæ juxta earum relationem cum recta regula morum; hæc autem duplex est, *conscientia* et *lex*, cui si sunt conformes, hominem in suum finem ordinant, secus sunt *peccata* et hominem a suo fine avertunt; inde titulus et ordo tractatuum: I. *De actibus humanis* — II. *De conscientia* — III. *De legibus.* — IV. *De peccatis.*

TRACTATUS PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS

1. Homo in hunc finem creatus est a Deo, ut, vitam agens in hoc mundo divinis præscriptionibus conformem, tendat in æternam sui felicitatem, quæ est ipsius Dei beatifica visio et possessio et amor in cœlo. Nec Deus voluit homini liberum esse in suam æternam felicitatem tendere, vel non; sed absolutam ei obligationem imposuit, ut in præsenti vita omnes suos actus conformet rectæ regulæ morum eidem et per lumen rationis et per positivam revelationem intimatæ (*finis proximus*), et sic vivens vitam æternam consequatur (*finis ultimus*) [1]. Hinc pronum est, ut Theologia moralis, cujus est actus humanos ad normas duplicis hujus finis perpendere, primum agat de ipsis actibus humanis in genere [2]. « Quia ad beatitudinem per actus aliquos necesse est pervenire, oportet consequenter de humanis actibus considerare, ut sciamus quibus actibus perveniatur ad beatitudinem, vel impediatur beatitudinis via. Sed, quia operationes et actus circa singularia sunt, ideo omnis operativa scientia in particulari consideratione perficitur. Moralis igitur consideratio, quia est humanorum actuum, primo quidem tradenda est in universali, secundo vero in particulari » [3].

1) E scriptoribus theologiæ moralis fuse de hominis fine NOLDIN I. *Lib. I. Num.* 13-38; TANQUEREY I. *3-32;* FRINS *De actibus humanis* (Friburgi Brig. 1897-1904).

2) S. THOMAS *1. 2. Qu. 1-21;* S. LIGORIUS *Lib. V. Tract. præambulus;* BALL. *Tract. I.*: generatim, theologi ab initio sui operis.

3) S. THOMAS *Qu. 6 Prologus* — Cf. et GENICOT *Num. 6,* et alios.

Agendum: 1°. De elementis actuum humanorum constitutivis; 2°. de impedimentis actuum humanorum; 3°. de eorum relatione ad finem hominis proximum; 4.° de eorum relatione ad finem ultimum.

CAPUT I.

DE ELEMENTIS CONSTITUTIVIS ACTUUM HUMANORUM

2. *Actus*, generice sumptus, est « determinatio potentiæ », seu « exercitium facultatis agendi ». Ipsa potentia, iis omnibus instructa, quibus in actum prodire possit, dici solet *actus primus;* ejus determinatio seu exercitium *actus secundus* vel simpliciter *actus*.

Actus, qui fiunt ab homine, communi usu distinguuntur, ut alii dicantur *actus humani*, alii *actus hominis*. Dicuntur *actus humani* illi, qui procedunt ab homine in quantum est homo, non modo quoad substantiam operis, sed, et multo magis, quoad modum operandi; ita ut ipsius sub. sint dominio: cum in doctrina morali, potiusquam natura metaphysica actuum, respiciatur eorum positio in concreto. « Differt autem homo ab aliis irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie *humanæ*, quarum homo est dominus: est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem.... Illæ ergo actiones proprie *humanæ* dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt » [1]. Quæ doctrina Doctoris Angelici ita communiter accipitur, ut actus *humanus* intelligatur ille, qui sit a ratione et simul a volutate seipsam libere determinante [2]. E contra dicuntur *actus hominis*, qui fiunt ab homine, at ipsius dominio non subsunt; eo quod, aut non procedunt ex cognitione intellectus, aut non sunt a voluntate seipsam libere ad illos determinante. Ejusmodi sunt, non modo actus vitæ vegetativæ et actus quilibet hominis somniantis vel ebrii aut delirantis, sed et actus metûs, admirationis vel iræ, qui dici solent motus *primo-primi;* item, qui fiunt ab homine mente ad alia distracto, imo et ipse primus veritatis evidentis intuitus.

Exinde duo patent: 1m. In omnibus et solis actibus humanis reperiri potest relatio conformitatis vel difformitatis cum regula morum: ac proinde per eos tantum homo ad suum finem ordinari potest, vel ab eo averti. Quare omnes et soli actus humani ad *mores* pertinent, hominemque auctorem sui faciunt esse bonum, vel malum, dignum laude et præmio, vel dignum vituperatione et pœna.

2m. Elementa constitutiva cujuscumque actus humani seu moralis sunt tria: *a*) Ex parte intellectus, cognitio: *b*) ex parte voluntatis, volitio, et hujus volitionis; *c*) libertas.

1) S. THOMAS *1. 2. Qu. 1. art. 1.*

2) Ita SUAREZ apud BALL. *Num. 1-4;* ubi uterque advertit definitionem S. Thomæ spectare ad actiones *hominis viatoris*, per quas homo tendit in finem suum: actus amoris beatifici juxta alios *humanus* est, juxta alios *superhumanus*. — Theologia moralis illas perpendit, non istum.

3. Præcipua actuum humanorum distinctio ea est, qua aliqui dicuntur *eliciti*, alii *imperati*. Dicuntur *eliciti*, qui procedunt immediate a voluntate et in ipsa consummantur; ejusmodi sunt: volitio, intentio, fruitio cum gaudio et desiderio, consensus, electio, usus 3. Dicuntur *imperati*, qui sub imperio voluntatis fiunt ab aliis facultatibus; puta, ab intellectu cogitatio, consideratio, fides; a facultatibus externis aspectus, locutio, scriptio: quin et in ipsa voluntate dicuntur haberi actus aliquo modo imperati; ex. gr., odium peccati ex timore gehennæ.

Datur et alia distinctio; qua dicuntur actus *interni*, qui facultatibus internis perficiuntur, quin exterius sese manifestent: dicuntur vero *externi*, qui aut efficiuntur facultatibus externis, aut, facultatibus internis effecti, signo aliquo externo manifestantur. Distinctio practica est quoad censuras, reservationes, etc.

Maximi momenti in re morali est distinctio actuum humanorum in *bonos, malos, indifferentes;* prout conformes sunt rectæ regulæ morum, aut ab ea difformes, aut nullam (saltem in abstracto) cum ea regula habent relationem, sive conformitatis, sive difformitatis.

Ceteras actuum distinctiones dabimus, ubi usui esse poterunt.

ART. I. — De cognitione

4. « Ex hoc contingit, quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus » 4. Porro hæc deliberatio, seu consultatio, fundatur in actu intellectus; atque procedit ex hoc, quod homo, postquam cognovit finem suæ actionis et proportionem actionis ad illum, eam efficaciter vult. Sic mulier, convivium præparatura, præcognoscit convivium ceu terminum præparationis; ideoque ad hunc terminum seu finem disponit suas actiones eligendi cibos et potiones, modum, horam, etc. Hoc sensu S. Thomas aliique Doctores docent ad actum humanum prærequiri cognitionem finis 5.

5. **Principia. I.** Ad hoc, ut actus voluntatis sit humanus, necesse est quod eum præveniat cognitio ex parte intellectus. Ratio est, quia secus voluntas non potest seipsam determinare ad volendum; cum « nil volitum sit, quin sit præcognitum ».

II. Cognitio intellectualis referri debet, tum ad actionem ponendam a voluntate, tum ad objectum cum suis qualitatibus.

6. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ad habendum actum humanum non sufficit quod objectum voluntati proponatur per sensum vel

3) Expositio singulorum apud Ballerini *Num. 9;* Gen. *Num. 8;* Tanqu. *Num. 72;* Zanin. *7.*

4) S. Thomas *Qu. 6 art. 2 ad 2.*

5) Cf. Ballerini *Num. 19.*

per phantasiam: sed necesse est quod ei proponatur per intellectum; cum cognitio intellectualis tantum habere possit proportionem ad actum voluntatis, qui est spiritualis. — Hinc:

2.ª Non est humanus actus, qui dicitur *spontaneus* vel *naturalis;* quippe qui procedit a voluntate ex cognitione sensitiva et materiali, nec subest dominio voluntatis.

3.ª Ad habendum actum humanum non sufficit cognitio habitualis, sed requiritur cognitio actualis, seu advertentia mentis: secus enim actus ponendus hic et nunc a voluntate non subesset dominio ejusdem. Hinc non agit actu humano et ad culpam imputabili, qui, sciens in pervigilio Pentecostes carnes prohiberi, carnes ea die comedit; sive quia distractus non advertit sibi porrigi carnes, sive quia non advertit ea die carnes prohiberi.

4.ª Quo perfectior habetur ex parte intellectus cognitio et advertentia, eo perfectius humanus erit ex isto capite actus voluntatis.

7. *Ex Princ. II.* — 1.ª Defectu cujuscumque advertentiæ ad actionem ponendam, non sunt actus humani illi, qui dicuntur *motus primo-primi*: defectu advertentiæ plenæ non sunt perfecte humani, qui dicuntur *motus secundo-primi* 6.

2.ª Si agens actionem ponendam cognoscat et advertat sub ratione partiali, sub ea tantum actus erit humanus: ita, qui carnes die vetito comedat, nesciens vel non advertens alios scandalizari; vel, faciens opus bonum, alios ædificet, quos præsentes esse nesciebat.

3.ª Fornicationem, non incestum, committit, qui peccat cum affine, ignorans aut eam affinem esse, aut peccatum cum affine esse incestum: item non committit parricidium, qui nesciat hominem, quem occidere vult, esse patrem sui; nec homicidium committit, qui putet se occidere feram.

4.ª Ad hoc, ut actus humanus relationem habeat ad hominis finem, necesse est quod cognitio respiciat ipsius actus relationem ad hunc finem; h. e., ad ejusdem conformitatem vel difformitatem a recta regula morum: non enim alterutram potest velle voluntas, nisi alterutra ei proponatur ab intellectu.

5.ª Quod actui voluntatis tribuit rationem formaliter moralem, sive bonam, sive malam, non est objectum prout est in se, sed prout voluntati proponitur ab intellectu.

ART. II. — De volitione

8. *Volitio,* est ipse « motus, quo voluntas se fert in objectum intellectualiter cognitum »; vel « actus procedens a voluntate ut a sua causa, quo voluntas sua inclinatione se fert in objectum, ac illud vult, et sua

6) S. Thomas *Qu. 6 a. 1;* S. Ligorius *Num. 25;* Noldin *46;* D'Ann. *149;* Tanqu. *79.*

voliitone confert, quantum potest, ut sit ». Quare etiam quando objectum volitionis sit aliqua omissio, hæc non est volutaria, nisi procedat a voluntate per actum positivum volendi 7. — Iste actus dicitur et est *voluntarius*, et ex ejus voluntarietate *voluntarium* dicitur ipsius volitionis objectum.

Hinc aliud a voluntario est *permissum;* quod quis non positive vult, nec quidquam confert ut sit; tamen non vult impedire quominus sit, licet id absolute possit. Ita Deo non voluntaria, sed mere permissa, sunt hominum peccata et plura infortunia 8; eodem sensu potest esse mere permissus effectus malus ex causa bona, quam quis posuit ad finem bonum.

Item aliud a voluntario est *volitum;* quod nulla ratione procedit a voluntate; sed, ab alia causa productum, conforme est voluntati: ita agricolæ volita est pluvia tempore æstivo. Ceterum nihil prohibet dici posse *volitum* etiam objectum volitionis.

Voluntarietas primario et proprie dicitur de ipso actu volitivo; secundario et denominative de objecto ipsius actus. — Hinc de ea dicendum sub utroque respectu.

§ I. — De voluntarietate ipsius actus volitivi.

9. Actus volitivus potest esse voluntarius *perfecte, vel imperfecte*. Voluntarius est *perfecte*, si fiat cum plena mentis advertentia et cum pleno consensu voluntatis; secus est voluntarius *imperfecte*.

Item dicitur voluntarius *simpliciter*, si fiat absque ulla repugnantia; secus voluntarius *secundum quid*. Quam distinctionem alii aliter, et forte melius, accipiunt; quod actus, qui ponitur cum repugnantia, seu cum inclinatione in oppositum, dicatur *simpliciter* seu efficaciter *voluntarius* et simul *involuntarius secundum quid*: ejusmodi essent projectio mercium in mare ad vitandum naufragium, comestio carnium die vetito ad vitandas irrisiones 9.

Demum actus potest esse voluntarius *actu, virtute, habitu*. Est voluntarius *actu* seu *actualiter*, si hic et nunc, exstante advertentia, exstat et volitio: si olim exstitit utraque, dein, cessante advertentia, actus ponitur vi prioris volitionis, actus iste voluntarius esse dicitur *virtute* vel *virtualiter*: si olim utraque exstitit, dein cessante advertentia, volitio retractata non fuit, et nihil in actum influit, ea perseverare dicitur *habitu;* at actus, qui exterius vel materialiter fiat, non dicitur esse voluntarius nec humanus 10. Vi actus voluntarii *virtute* valide consecrat sacerdos,

7) S. THOMAS *Qu. 6 art. 3*, et *71, 5;* BALL. *Num. 49-51.*
8) Cf. HURTER *Theol. dogm. II. Num. 87.*
9) Cf. BALLERINI *Num. 26;* GEN. *10, 2.*
10) Nonnihil aliter, et pluribus allatis exemplis, hanc distinctionem proponit D'ANNIBALE *Num. 153 sequ.*

qui in Canone verba consecrationis recitat mente distractus: vi voluntarii *habitu*, valide baptizatur catechumenus apoplexi laborans, valide extremam Unctionem recipere potest moribundus usu sensuum destitutus.

Actui voluntario *virtualiter* affinis est actus voluntarius *exercite;* quem quis, forte de eo nihil cogitans, facit ponendo actum voluntarium actualiter, in quo ille continetur. Ita, qui petit a Deo gratiam conversionis pro peccatore, actualiter ponit actum caritatis erga proximum, et simul *exercet* actum religionis erga Deum.

Ratione manifestationis externæ, actus volitivus, seu consensus, dicitur *expressus*, si verbis aliisve signis externe se prodit; *tacitus* si existere vel exstitisse colligitur ex silentio vel ex quacumque omissione, quandoque et ex facto. Silentium autem habetur ut manifestativum consensus, seu « qui tacet consentire videtur »: *a*) in favorabilibus, puta in acceptanda donatione gratuita; *b*) quando alioquin suum dissensum quis manifestare deberet et facile posset; pura, si mater filiam omnino docilem non prohibeat clam alloqui amasium [11].

Datur et consensus *præsumptus;* qui, nempe, ob aliquas rationes veluti *a priori* exsistere vel exstitisse colligitur. Ab eo differt consensus *interpretativus;* qui proprie, nec actu est, nec umquam fuit in voluntate; sed esset aut fuisset supposita conditione, quæ reapse locum non habet: quare indicat tantummodo voluntatis inclinationem erga talem actum. Quandoque unus pro alio accipitur: at non recte.

10. **Principia. 1.** Est de essentia actus humani, quod ipse procedat a voluntate, tamquam a causa ipsum deliberate producente; secus enim voluntas dominium illius non haberet.

11. Ad habendum actum humanum satis est, quod voluntas ipsum velit; sive perfecte, sive imperfecte; sive actu, sive virtute; non est satis, quod velit habitu [12].

11. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Occisio inimici mei ab alio effecta, me non cooperante, at eam desiderante atque de ea gaudente, non est mihi voluntaria [13]: at voluntaria mihi sunt desiderium ejusdem et gaudium.

2.ª Quo magis vel minus a voluntate pendet actus volitivus, eo magis vel minus actus ille est voluntarius et humanus; ac proinde magis vel minus ei imputandus erit, sive ad bonum, sive ad malum. Ita magis meretur, qui Missam audit sponte sua, quam qui pressus voluntate alie-

11) Alii casus penes BALLERINI *Num. 30-36;* NOLDIN *43-4;* ZANIN. *11-6.*

12) Verum in patiendis seu accipiendis sufficiens esse poterit voluntarietas habitualis; puta ad accipiendum sacramentum, ad acceptandam donationem gratuitam vel hereditatem. D'ANN. *16, 135.*

13) SUAREZ, *In 1. 2. Tract. II. Disp. I. Sect. 1 Num. 2.*

na; minus culpabilis est, qui carnes die vetito comedit ex humano respectu, quam qui sponte sua.

12. *Ex Princ. II.* — 1.ª Blasphemiæ et contumeliæ, quæ ex impetu iræ semiadvertenter proferantur, sunt proferenti voluntariæ, et proinde ei ad culpam imputandæ; licet minus voluntariæ sint et ad minorem culpam imputandæ, quam si proferrentur animo pacato.

2.ª Negatio fidei ex timore mortis vere voluntaria est, et ad gravissimam culpam imputanda; licet sit involuntaria *secundum quid*.

3.ª Consecratio hostiæ a sacerdote exsistente in statu peccati, et valida est, et ei imputanda ad peccatum sacrilegii; etsi in actu consecrandi distractus fuerit, aut de suo statu non cogitaverit.

II. — De voluntarietate volitionis ex parte objecti.

13. Sub hoc respectu, maximi momenti est distinctio inter voluntarium *directum* seu *in se*, et voluntarium *indirectum* seu *in causa* 14. Prius est illud, quod in ordine intentionis est immediatum objectum volitionis, vel quod voluntas intendit in seipso: ejusmodi est furtum a fure patratum, vel hominis mors a malevolo intenta. Posterius habetur, quando voluntas, non ipsum, sed ipsius causam intendit, simul ipsum prævidens ex ea causa secuturum; tunc enim, volens causam, vult et effectum, juxta effatum « causa causæ est causa causati ». Sic eroganti in pauperes eleemosynam voluntarium est meritum coram Deo; pauperem vexanti voluntarium est coram Deo demeritum: ita voluntaria est proximi ædificatio in opere bono coram aliis, vel scandalizatio in opere malo.

14. Cum volitio tendens directe in objectum sit evidenter actus plene voluntarius et subditus dominio voluntatis, id non semper verum est de volitione, cujus objectum immediatum sit causa, ed indirecte et *per consequens* ejusdem effectus. Quærendum itaque est quandonam voluntati ponenti causam ita sit voluntarius effectus, ut hic dicendus sit esse sub ejus dominio, ac proinde ipsi voluntati imputandus ut proprius. Quæstio *per se* spectaret ad effectus sive bonos, sive malos: tamen ea movetur specialiter circa effectus malos aut noxios; etiam ex eo quod theologis moralibus major cura est de actibus malis, quam de bonis.

Causa, in re præsenti, dicitur « actio, ex qua per vim aliquam productivam aliquid efficitur ». Si hæc vis physica est, causa *physica* appellatur; ut potatio vini excessiva relate ad ebrietatem: si moralis, causa *moralis* esse dicitur; ut lectio turpis relate ad pollutionem.

14) S. THOMAS *Qu. 6. art. 3* alio sensu dicit quædam procedere a voluntate *directe*, quædam *indirecte;* nempe quatenus quædam sunt a voluntate positive operante, quædam a voluntate positive omittente: at non censemus recedendum esse a terminologia hodie communi. Cf. GENICOT *10 bis*.

Item causa dicitur *proxima* vel *per se*, si connexio inter ipsam et effectum est plus minus necessaria aut ordinaria: secus, dicitur causa *remota* et *per accidens*.

Actioni, præsertim, prout potest esse causa *moralis*, aut *remota* et *per accidens*, æquiparantur in hac materia *omissio* et *occasio*, quæ proprie vim productivam non habent.

15. **Principia. I.** Volitio, qua voluntas objectum aliquod attingat indirecte seu in causa, eatenus est actus humanus eique imputandus, quatenus objectum ipsum continetur in causa, tum quoad cognitionem ex parte intellectus, tum quoad volitionem ex parte voluntatis.

II. Non est voluntarius nec imputandus ad culpam effectus malus illi, qui ejus causam posuit, si *a*) ipse effectum nullatenus prævidit, aut *b*), eo licet præviso, non potuit ejus causam non ponere, aut *c*), licet effectum præviderit ejusque causam non ponere potuerit, eam ponere non prohibebatur ratione causalitatis aut connexionis ejusdem cum effectu malo.

III. Non est voluntarius nec ad culpam imputandus effectus malus in ordine sive physico sive morali, et quidem prævisus, illi, qui ejus causam posuit, quoties quatuor istæ conditiones concurrant: *a*) Causa in se sit bona aut saltem indifferens; *b*) ex ea, præter effectum malum, æque immediate secuturus sit et effectus bonus; qui *c*) omnibus adjunctis perpensis, sit effectui malo proportionatus; *d*) agens vero, seu ponens causam, unice effectum bonum intendat, se habens mere permissive quoad effectum malum [15].

16. **Expositio** *Princ. II.* — *a*) Ad imputationem effectus mali requiri ejusdem prævisionem in actu volitivo causæ, evidens est ex eo, quod nihil esse potest volitum, quin fuerit prægcognitum: ceterum, quia heic agitur de effectu malo vel noxio, ad ejus imputabilitatem satis est quod prævideatur saltem in confuso, ceu probabiliter inde secuturus. « Cum enim aliquis cogitat, quod ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas ejus esse magis inordinata » [16]. — *b*) Item evidens est hunc effectum non posse dici voluntarium, si secuturus esse prævideatur ex causa, quam impossibile erat non velle; quod intelligendum est de impossibilitate, sive physica, sive morali. — Demum *c*) necesse est, quod volitio causæ mala sit, et qui-

15) Cf. Sabetti *Num. 8, 9.*
16) S. Thomas *Qu. 20. art. 5.*

dem ratione effectus mali secuturi, etiamsi actionem ponat malam et prohibitam aliunde 17.

17. **Expositio** *Princ. III.* — Si quatuor conditiones verificentur, volitio effectus mali nulla ratione imputari potest ad culpam illius, qui causam posuit. Etenim nulla est malitia in ipsa causa: finis agentis bonus est: effectus vero malus, malus quidem est in ordine physico aut morali; at, qui causam ejus vult, hunc effectum non vult, sed ipsum negative permittit seu non impedit; nec impedire tenetur, quia simul impediret effectum bonum ex eadem causa immediate provenientem et effectui malo proportionatum 18: tunc tantum impedire deberet, cum ipse effectus malus causa esset effectus boni, eo quod *non sunt facienda mala, ut veniant bona* 19.

18. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si objectum volitionis bonum sit duplici bonitate, tum sua, tum effectus, ac utraque sit voluntati proposita ab intellectu, utraque bonitas voluntaria est et imputanda volenti: similiter et utraque malitia, si utrâque malum sit objectum.

2.ª Sacerdoti, qui eleemosynam tribuit pauperi moribus pravo, non est voluntaria istius ad bonam frugem conversio, si ne suspicatus quidem erat eum pravum esse, aut propter acceptam a sacerdote eleemosynam ad bonam frugem esse reversurum: e contra duplici bonitate bonum est ejus opus, si primum novit et alterum probabile habuit.

3.ª Hominis occisio non est voluntaria ei, qui arma explosit in feram, nec videns, nec suspicans haud procul esse hominem; item nec illi, qui ex necessitate suæ vitæ tuendæ aggressorem injustum occidit: priori defuit effectûs cognitio, alteri effectûs volitio.

4.ª Ad contrahendam reitatem effectus mali, satis est quod hic prævideatur ut plus minus certe vel probabiliter secuturus; quo in casu reitas volitionis effectûs proportionata est prævisæ probabilitati effectus secuturi. Ita eo magis voluntaria et imputanda est pollutio legenti turpia, quo probabilius eam secuturam esse prænovit.

5.ª Bonitas vel malitia effectûs non est ponenti causam voluntaria, quando sequitur effectus, sed quando cum prævisione effectûs vult causam ponere: ac proinde tunc alterutra contrahitur, etsi postea effectus non sequatur.

19. *Ex Princ. II.* — 1.ª Defectu primæ vel alterius conditionis, non sunt uxori imputandæ imprecationes mariti, si aut uxor eas nullatenus

17) S. Ligorius *Num. 10;* Tanqu. *171-174;* Noldin *81-85.* — Quæ dicuntur de actione, intelligenda sunt etiam de omissione actionis, quam quis ponere potuisset ac debuisset. S. Ligorius *Num. 11.*

18) Cf. Noldin *Num. 84;* Tanqu. *177-180;* Lehmk. *Casus 14;* Ball. *30.*

19) Rom. *III. 8.* — Expositio apud Ball. *Num. 43, seqq.;* D'Ann. *156-158.*

prævidit, aut pecunias a marito exigere debuit ad filios alendos: defectu conditionis tertiæ, non sunt ei imputandæ, si pecunias petiit ad se convenienter vestiendam.

2.ª Defectu conditionis secundæ, non sunt principi imputanda mala secutura ex meretricio in magnis civitatibus tolerato.

3.ª Item defectu primæ conditionis, ne indirecte quidem voluntaria est omissio actuum, de quibus quis nullatenus cogitat: at ipsa oblivio vel inadvertentia poterit esse voluntaria in præcedenti negligentia voluntaria, si tunc negligens futuram oblivionem vel inadvertentiam aliquo modo et in confuso prævidebat.

4.ª Defectu conditionis tertiæ non sunt mihi imputandæ blasphemiæ prolatæ ab auriga aut operario exigente mercedem ultra justam.

5.ª Si causa mala quidem sit, at non ratione effectus, hic volenti causam non imputatur ad culpam. Ita, si quis, die festo operi servili incumbens, damnum fortuito afferat vicino; idem dicendum de pollutione, quam quis dormiens patiatur ex ebrietate vel ex ingluvie 20.

6.ª Si causa ratione efficaciæ mala sit leviter, seu in effectum graviter malum influat leviter, non censetur influere efficaciter; et, ideo non imputatur ad culpam, saltem gravem: ita pollutio ex lectione vel aspectu leviter turpi, aut ex tactu sui corporis minus pudico: at, si periculum prævideatur, quod, pollutionem patiens, in delectationem veneream consentiat, peccatum in ipsa sua causa grave est 21.

20. *Ex Princ. III.* — 1.ª Non peccat dux belli, qui in bello justo igneos globulos contra urbem projiciat, licet certo prævideat damna subituros esse, et forte vitam amissuros, quosdam cives innocuos.

2.ª Nec peccat sacerdos, qui peccatori occulto, petenti communionem publice, eamdem ministret; nec qui ministret petenti occulte, quem unice ex ejus confessione novit reum esse peccati mortalis.

3.ª Medico, confessario, studioso, etc., suum officium obeunti non imputatur ex eo sequens pollutio, etiam prævisa 22: at accedens complacentia fieri potest culpabilis in se.

4.ª Peccat graviter puella, quæ, ex delicto gravida, abortum procurat ad vitandam infamiam: bonum enim effectum quærit ex morte prolis, quæ est malus effectus immediatus; insuper deest ratio ad effectum adeo gravem proportionata.

5.ª Advocatus non peccat causam justam defendens, licet inde videat adversario sui clientis ejusque familiæ damna obventura esse gravissima: peccaret vero, si, præter justam victoriam clientis sui, intenderet etiam damna adversarii.

20) Cf. D'Annibale *Num. 157, 15;* Ojetti *Synopsis* ad v. *Voluntarium.*
21) Cf. S. Ligorium *Lib. III. Num. 484;* Ball. *44, sequ.;* D'Ann. *56, 18.*
22) S. Ligorius *Num. 383;* D'Ann. *157, 14;* Lehmk. *Casus 19;* Zanin. *369.*

ART. III. — De libertate

21. *Libertas*, prout ad actiones refertur, definiri potest « immunitas a necessitate in agendo ». Distinguitur autem duplex: *moralis*, quæ est immunitas ab aliqua lege obligante; *physica*, vel potius *naturalis*, quæ est immunitas a necessitate physica determinante ad unum. — Nobis quærendum unice est de altera; cum evidens sit hominem non esse immunem a lege obligante.

22. Libertas physica iterum distinguitur ratione ipsius necessitatis. Hæc enim necessitas provenire potest ab agente aliquo extrinseco determinante et physice cogente subjectum ad agendum: immunitas ab ejusmodi necessitate dicitus *libertas a coactione*. Rursus necessitas subjecto provenire potest ab intrinseco, seu ab ipsa conditione facultatis appetitivæ, qua in objectum propositum ex sese necessario determinetur; sicut equus sitiens, proposita aqua, determinatur necessario ab bibendum: immunitas ab ejusmodi necessitate appellatur *libertas indifferentiæ* vel *electionis* [23]; eo quod facultas appetitiva, propositis omnibus ad agendum requisitis, adhuc eligere potest inter agendum vel non agendum, inter agendum hoc vel agendum aliud.

Ratione objecti eligibilis libertas electionis triplex habetur. Dicitur libertas *contradictionis* ea, qua voluntas eligere potest inter velle et nolle, inter agere et non agere: libertas *contrarietatis*, qua eligere potest inter duo contraria; puta amare et odio habere: libertas *specificationis*, qua eligere potest inter duo opposita disparate; pura studere et ambulare.

23. Jamvero, quod humana voluntas in præsenti vita gaudeat libertate electionis, qua eligere possit, nedum inter agendum et non agendum, sed etiam inter agendum bene et agendum male, doctrina certissima est, constans argumentis, tum philosophicis, tum theologicis.

Ad priora reducuntur: *a*) Consensus omnium hominum universalis; *b*) hujus ipsius consensus fundamentum, quod est intimum cujuscumque conscientiæ testimonium; *c*) analysis actus volitivi ex præcedenti cognitione intellectuali [24]. Præcipua e posterioribus sunt: *a*) Auctoritas divinæ Scripturæ: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te... Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei dabitur illi... Erit illi gloria æterna, qui*

23) Forte melius dicitur libertas *electionis*, quam *indifferentiæ;* libera enim potest esse electio, etsi voluntas prorsus indifferens non sit, sed in alterutrum inclinet. Cf. Tanqu. *Num. 67.*

24) Postremum argumentum pluribus evolvit S. Thomas, apud Bucceroni Comm. II. *De libero Num. 5-11.* — Cf. etiam Taparelli *Saggio teor. di diritto natur. Dissert. I. Cap. III.*

potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit 25. *b*) Definitiones Ecclesiae: « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse, aut rem esse de solo titulo ...., anathema sit » 26. Accedit nota hæreseos inflicta doctrinæ Jansenii: « Ad merendum ve demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » 27.

24. Ex his licet clariorem dare conceptum humanæ libertatis:

1.° Libertas electionis proprie et *per se* residet in voluntate; tamen ejus radix ratio est, ac proinde ea competit exclusive entibus rationalibus, seu (in terra) hominibus. « Ratio enim, quæcumque habentur in terris bona, omnia et singula posse judicat esse, et æque posse non esse; et hoc ipso nullum horum decernens esse necessario sumendum, potestatem optionemque voluntati facit ut eligat quod lubeat... Quare liberum arbitrium est voluntati proprium; seu potius ipsa voluntas est, quatenus in agendo habeat delectus facultatem: sed nequaquam voluntas movetur, nisi mentis cognitio, velut fax quædam, præluxerit » 28.

2.° Quamquam humana voluntas vi libertatis eligere possit, nedum inter unum bonum et alterum bonum, sed etiam inter bonum et malum, tamen hæc potestas non pertinet ad essentiam libertatis, sed potius est ejusdem defectus, quo laborat hominis libertas in terris. Sane objectum voluntatis rationalis est bonum, et quidem bonum consonum rectæ ratiœni: quod ergo eligere possit et malum, id imperfectio est, non perfectio libertatis. « Homo secundum suam naturam rationalis est: quando ergo movetur secundum rationem (eligendo bonum), proprio motu movetur et secundum se operatur, quod est libertatis: quando vero peccat (eligendo malum), operatur præter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentus terminis alienis; et ideo « *qui facit peccatum servus est peccati* » 29. Sane Deus, Jesus Christus, Angeli ac Beati in cælo perfectissima gaudent libertate, licet eis non sit peccandi facultas 30.

3.° Ex potestate, qua homo gaudet eligendi inter duo vel plura objecta, inde ipse est suorum actuum dominus. Quapropter ille actus est vere et proprie humanus, qui liber, ac libertas est fundamentum imputationis ipsius actus in agentem: qui, eligendo bonum, bonus fit et dignus laude ac præmio; eligendo malum, malus fit et dignus vituperio ac pœna.

25) Eccli. *XV. 14, XXX, 10.*

26) Concilium Trid. *Sess. VI. Can. 5* — Cf. Palmieri *De Deo creante Th. LXXX.*

27) Est *Prop. 3* Jansenii, damnata ab Innocentio X Const. *Cum occasione* die 30 maji a. 1653.

28) Leo XIII Encycl. *De libertate humana* die 20 junii a. 1888, circa initium; ex S. Thoma *In II. Dist. XXV. Qu. 4 art. 2.*

29) Jo. *VIII. 34.* — S. Thomas in *h. loc.*

30) S. Thomas *In II. Dist. XXIV. Qu. 4. art. 2,* et *In III. Dist. XII, Qu. 2;* et *I. 2. Qu. 62 art. 8 ad 3.* — Cfr. S. Lig. *Lib. V. De actibus hum. Num. 53;* Marc *279;* Zanin. *15, 4.*

4.° Conceptus actus liberi hoc addit voluntario, ut sit a voluntate eligente: hinc omnis actus liber est voluntarius; at non omnis actus voluntarius est liber. Tamen in actibus nulla datur distinctio de facto; sed omnis actus voluntarius est humanus et liber; eadem ratione, qua omnis actus humanus et liber est voluntarius. Ratio est, quia homo viator, quoties agit voluntarie, agit simul libere et humane; seu numquam agit necessario.

5.° Actus eliciti a voluntate sunt liberi *formaliter* et in *se;* actus vero, qui intellectui aut facultatibus externis imperantur a voluntate, sunt liberi per attributionem ad imperium voluntatis, quod est actus ab ipsa voluntate elicitus libere. Hinc isti actus, et præsertim actiones facultatum externarum, possunt esse non liberi; nempe, quando non imperentur a voluntate, sed fiant ipsa voluntate obsistente, aut saltem negative se habente, quando non tenetur obsistere.

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS ACTUUM HUMANORUM

Cum ad actum humanum tria elementa requirantur, ideo triplicis generis possunt esse impedimenta ad eumdem; prout opponi possunt cognitioni prærequisitæ, vel ipsi volitioni in se, vel modo volitionis, qui est ut actus a voluntate libere procedat. Quatuor recensentur: *Ignorantia, concupiscentia, metus, vis* seu *violentia.*

ART. I. — De ignorantia

25. *Ignorantia* in sensu proprio definitur « carentia scientiæ debitæ ». Hinc differt: *a)* a *nescientia,* quæ est carentia scientiæ non debitæ, et quandoque dicitur *ignorantia negativa; b)* ab *errore,* qui est judicium falsum, vel assensus non conformis veritati: item *c)* differt ab *inadvertentia,* quæ est defectus actualis applicationis mentis ad rem habitualiter cognitam; demum *d)* ab *oblivione,* quæ est cessatio præcedentis cognitionis habitualis. Ceterum, quod spectat ad actionem hic et nunc ponendam, quæ dicuntur de ignorantia, intelliguntur de ignorantia actuali, ac proinde applicanda quoque sunt inadvertentiæ et oblivioni, sæpissime et errori.

Ratione objecti, alia est ignorantia *juris,* alia *facti.* Prior est, quæ versatur circa exsistentiam legis [1]; puta, quod die festo S. Petri sit

1) Dari quidem non posse ignorantiam circa suprema principia juris naturalis ac eorum immediatas deductiones, at eam dari posse circa remotiores conclusiones, docet S. Thomas, *1. 2. Qu. 100 art. 1.* — Cfr. S. Lig. *De leg. Num. 170;* Ball. *80-82.* — Hic inferius *Num. 151.*

audienda Missa: alia, quæ versatur circa exsistentiam facti; puta, quod hodie sit festum S. Petri. — Datur et ignorantia *pœnæ;* ex. gr. censuræ vel reservationis.

Ratione subjecti, ignorantia dicitur *invincibilis,* quæ omnino vinci seu deponi, saltem moraliter, non potest: ea habetur, quando quis nec scit nec suspicatur vel dubitat se ignorare, aut caret mediis ad ignorantiam deponendam aptis. Dicitur *vincibilis* ea, quam quis posset ac deberet deponere; eo quod et novit aut suspicatur vel dubitat se ignorare, et simul adhibita diligentia moraliter possibili ac debita deponeret [2]. Hinc patet priorem esse involuntariam, posteriorem vero voluntariam esse, aut directe, aut indirecte; illam esse inculpabilem, hanc culpabilem [3].

Ratione relationis ad actum volitivum, dicitur *antecedens,* quæ præcedit omnem voluntariam omissionem vel negligentiam inquisitionis; adeo ut ea sit prorsus involuntaria, ac proinde invincibilis, et (si in se sit mala) inculpabilis: dicitur vero *consequens,* quæ actum voluntatis aliquo modo subsequitur, ejusque effectus est, et proinde voluntaria, vincibilis, et (si in se mala) culpabilis [4]. Utraque vero consideratur, prout est causa volitionis alterius, quæ non haberetur, si scientia seu cognitio adesset: hinc et *efficax* dicitur. — Relate ad hanc volitionem, ignorantia quandoque posset esse mere *concomitans* seu *inefficax;* qua agens ita affectus est, ut identidem operaretur, etsi eâ non laboraret; hæc nihil influit nec facit voluntatem velle aut non velle.

Demum ignorantia voluntaria, si talis sit directe, dicitur *affectata;* si indirecte, dicitur *crassa* vel *supina,* quando nulla aut vix ulla cura adhibita fuit ad eam deponendam; si cura aliqua, at insufficiens, adhibita fuit, dicitur simpliciter *vincibilis.*

Eumdem influxum in actum voluntatis habere, vel non habere, potest et *error;* qui sub hoc respectu non differt ab ignorantia: ipse quoque potest esse aut involuntarius, aut voluntarius indirecte et in causa: haud facile erit voluntarius directe et in se.

26. **Principia. 1.** Ignorantia antecedens seu invincibilis, sive facti, sive juris etiam naturalis et divini, tollit voluntarietatem actui, qui ab ipsa procedit: hic enim nec est voluntarius in se, deficiente cognitione actuali; nec est voluntarius in causa, quia et ipsa est involuntaria [5]. Item nullam tribuit actui voluntarietatem ignorantia ipsum concomitans: nihil enim influit in ipsum.

2) De gradu diligentiæ adhibendæ. cf. BALL. *Num. 64;* GEN. *17.*
3) De ea S. THOMAS *2. 2. Qu 166 art. 1* et *2,* et *De malo Qu. 3. art. 8.*
4) Cf. LEHMKUHL *Num. 17,* et *Casus Num. 21.*
5) Confirmatur ex *Prop. 3,* damnata ab Alexandro VIII die 7 dec. a. 1690: « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali ». Cfr. BALL. *Num. 77, seqq.* — Quod ad forum externum, CODEX *Can. 16, 2202.*

II. Ignorantia consequens seu vincibilis, quæ voluntaria sit indirecte, actui, qui ab ipsa procedit, non tollit voluntarietatem, sed eam minuit. Non tollit; quia ipsa est voluntaria: minuit: quia, ea absente, actus non poneretur, et quo minor est alicujus objecti cognitio, eo imperfectior est ejusdem volitio.

III. Ignorantia consequens seu vincibilis, quæ sit voluntaria directe, seu affectata, non minuit voluntarietatem actus, qui ab ipsa procedit; sed est indicium majoris propensionis in actu voluntatis erga objectum: ipsa enim objecti volitio est voluntaria directe, et causat volitionem ignorantiæ.

27. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Non peccat, qui carnes die veneris comedat, nihil dubitans esse diem veneris, aut appositum ferculum esse carnes.

2.ª Non peccant pueri, qui absque ulla suspicione malitiæ faciant actus per se illicitos: item generatim, nec laici facientes ea quæ a parocho vel a confessario licita esse dicuntur.

3.ª Non est reus adulterii vel incestus vir, qui cum femina conjugata vel sibi affine fornicetur, ignorans eam esse conjugatam vel affinem; item nec ille, qui, sciens utrumque, invincibiliter ignoret malitiam specialem adulterii vel incestus.

4.ª Si venator, putans se occidere feram, occidat inimicum suum diu ad necem quæsitum, non est reus homicidii: reus est pravi affectus habitualis, quo reus esset, etiamsi occidisset feram.

28. *Ex Princ. II.* — 1.ª Actus in se malus, proveniens ex ignorantia crassa, magis culpabilis est, quam idem proveniens ex ignorantia simpliciter culpabili; cum illa magis voluntaria sit, quam ista.

2.ª Parocho, confessario, medico, etc. nullam studio operam navantibus imputandi sunt ad culpam gravem errores, quos impossibile est eos in muneribus obeundis non admittere. Minori reitati obnoxii sunt, si studio operam aliqualem impenderint, at gravitati sui muneris insufficientem: imo, si negligentia fuit leviter culpabilis, errores inde sequentes, etsi in se graves et aliis noxii, imputabiles sunt tantum ad culpam venialem.

3.ª Idem dicendum de ignorantia actuali, seu inconsideratione aut inadvertentia voluntaria; cujusmodi posset esse in confessario solvente quæstionem propositam a pœnitente, in judice dirimente litem, in medico præscribente medicinam.

4.ª Quantitas culpæ non desumitur ex gravitate erroris admissi vel damni illati; sed ex gravitate negligentiæ vel inadvertentiæ culpabilis, quæ est eorum causa. Hinc parochus, errans errore gravissimo et noxio, peccare potest leviter, si aliqualem diligentiam adhibuerat; si vero nullam, graviter peccat, etsi casu fortuito contingat ipsum non errare.

5.ª Admodum difficile est judicare de gravitate horum peccatorum in concreto. Nam ad peccatum grave necesse est, quod clericus vel sacerdos, quando a studiis abhorrebat, adverteret, saltem in confuso, errores a se committendos in cura parœciæ nondum suscepta; quod confessarius in solvenda pœnitentis quæstione adverteret solutionem suam forte esse erroneam; quod venator, arma explodens in feram, adverteret periculum occidendi hominem. Adde, quod judicium hoc regulariter fieri debet ab eo, qui est judex in causa propria.

29. *Ex Princ. III.* — 1.ª Reus est peccati mortalis, qui, dubitans hodie carnes prohiberi, consulto non interrogat, ut liberius carnes comedat, a quibus sciens abstineret. Tamen, quia realiter ignoratio prohibitionis est voluntati causa volendi, quod secus non vellet, ideo volitio objecti mali non est adeo perfecte voluntaria et culpabilis, ut ea quæ fiat a sciente prohibitionem.

2.ª Idem dicendum de eo, qui, ut liberius sentiat, scire non vult quid Ecclesia definiverit; paratus tamen se, vel ægro animo, Ecclesiæ subjicere, si sciat quidpiam definitum esse.

3.ª Si quis nolit inquirere quid Ecclesia decreverit aut definiverit, quia vult pro suo lubito agere vel sentire, quidquid decreverit aut definiverit Ecclesia, hæc ignorantia non minuit voluntarium, sed potius auget; vel est signum majoris affectus contra rem præceptam vel veritatem definitam 6.

4.ª « Ad ignorantiam affectatam revocari potest, quod quidam, ut liberius vivant, fugiunt ab audiendis concionibus, præsertim in missionibus; ne sibi injiciantur scrupuli; eo quod plura prædicantur illicita, quæ ipsi habere vellent licita » 7.

ART. II. — De concupiscentia

30. Vox *concupiscentia* triplici sensu accipitur. Aliquando theologi hoc nomine intelligunt pravarum cupiditatum fomitem, qui in nobis est a peccato protoparentum; et in primis *concupiscentiam carnis* 8. Aliquando tum theologi tum philosophi hoc nomine intelligunt *passiones*: et quidem, quandoque unam e passionibus appetitus concupiscibilis, quæ est *desiderium;* quandoque complexum omnium passionum appetitus sensitivi. — Nos hoc postremo sensu vocem accipimus 9.

De *passione* complexive accepta hæc statuit et simul docet Jus novissimum: « Passio, *a*) si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget; *b*) secus eam minuit plus minusve pro diverso passionis æstu; *c*) et omnino tollit (imputabilitatem), si

6) Cf. S. Thomam *I. 2. Qu. 76 art. 4*, et *De malo Qu. 2 art. 8.*
7) Ballerini *Num. 591* cf. et *Num. 91-93.*
8) I. Jo. *II. 16;* Rom. *VII. 23;* Gal. *V. 17.*
9) Cf. Ballerini *Num. 103-113;* Tanq. *99-104.*

omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum præcedat et impediat » [10]. — Ad passiones pro re nostra reducuntur *habitus* (boni vel pravi), *temperamentum*, *character*, etc.

Concupiscentia, in re præsenti, est « motus appetitivæ virtutis sensibilis, qui est ex imaginatione boni vel mali » [11]. Hic motus (*passio*, *passiones*), præsertim si intensus sit, influere potest in subsequentem actum voluntatis tum mediate, plus minus impediendo perfectam cognitionem objecti ex parte intellectus, tum immediate impellendo voluntatem in appetitionem vel in aversionem objecti cogniti. Patet concupiscentiam, prout afficit immediate voluntatem, pro diversa ratione objecti movere posse, tum in malum, tum etiam in bonum: nos eam consideramus, prout movet in malum.

31. Concupiscentia, quæ sit ante omnem actum voluntatis, et proinde sit prorsus involutaria, dicitur *antecedens*: quæ vero sit effectus volitionis, dicitur *consequens;* hæc autem poterit esse voluntaria, tum directe, tum indirecte. Sic motus in actum libidinosum erunt concupiscentia antecedens in eo, qui, cum fragilis sit naturâ, invitus obvium habet objectum provocans; erunt concupiscentia consequens et voluntaria directe in eo, qui consulto in objectum provocans oculos conjicit, ut eos in se motus excitet; erunt concupiscentia consequens et voluntaria indirecte in eo, qui oculos conjicit ex curiositate, simul prævidens eos motus facile inde excitatum iri.

32. **Principia. I.** Concupiscentia antecedens, quæ totaliter impediat cognitionem intellectualem objecti, simul tollit omnem voluntarietatem ac libertatem ab actu, qui ex ipsa procedat [12]. Immediate si influat in voluntatem, minuere quidem potest actus volitivi libertatem; at eam numquam tollit omnino.

II. Concupiscentia antecedens perturbans, at non impediens omnino usum rationis, minuit actus volitivi libertatem; tum propter defectum perfectæ cognitionis objecti, tum propter diminutam indifferentiam in voluntate [13]. Idem, præ volitione subsequente considerata, in se efficit etiam concupiscentia consequens voluntaria indirecte, sed in gradu inferiori; cum et ipsa sit voluntaria. Neutra vero tollit ipsius actus libertatem ex integro; quare hic, si malus est, imputandus est agenti.

10) Codex *Can. 2206.*
11) S. Thomas *In III. Dist. XXVI. Qu. 1. art. 1,* et *1. 2. Qu. 30 art. 1.*
12) Cf. S. Thomam *1. 2. Qu. 77 art. 7, ad 3,* et *De malo Qu. 3. art. 10.* — Cf. S. Ligorium *Lib. IV. Num. 23, seqq.*
13) Id valet etiam quoad actus bonos. « Bona passio, si actum præcedat, ut homo magis ex passione quam ex judicio rationis moveatur ad bene agendum, talis passio diminuit bonitatem et laudem actus » S. Thomas *Qu. 77 art. 6 ad 2.*

111. Concupiscentia consequens, quæ sit voluntaria directe, nec tollit, nec minuit actus volitivi libertatem; cum sit ipsa ejusdem effectus, potiusquam causa : « imo signum est magnitudinis ejusdem voluntarii, in quantum demostrat intensionem voluntatis ad actum peccati » [14].

33. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Maritus qui, indole furiosus cum sit, uxorem in adulterio deprehensam fuste interficiat, immunis est a peccato mortali, forte et a veniali, si repentinus criminis aspectus eum adeo obcæcavit, ut sui compos non esset.

2.ª Generatim, quo vehementior est concupiscentia seu passio antecedens, eo magis minuitur peccatum [15]; quod valet præsertim relate ad imprecationes, impudicitias, etc.

34. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non est immunis a peccato mortali, qui, lectionibus aut locutionibus graviter turpibus indulgens, motus turpes ac ipsam pollutionem passus est; licet hos non intenderit, imo et nonnihil eos habitualiter aversetur.

2.ª Efficaciæ hujus concupiscentiæ consequentis affinis est influxus vitii, seu habitus per frequentationem actuum contracti: qui habitus, si adeo invaluerit ut prope conversus sit in naturam, facit ut peccata deinceps committantur cum minori libertate, ac proinde sint minus imputabilia quam in non habituatis: hoc valet præsertim de assuetis ad ebrietates, ad imprecationes, ad blasphemias, ad impudicitias solitarias, etc.

3.ª Generatim ea peccata, quæ sunt voluntaria in causa, sunt minus voluntaria, et proinde *per se* minus gravia, quam quæ sunt voluntaria in se: at, si quis non curat contra causam, vel contra pravum habitum, etc., certare, huic ea peccata voluntaria sunt, tum in causa, tum etiam in se.

35. *Ex Princ. III.* — 1.ª Qui de accepta injuria sæpe consulto recogitat eo fine, ut ad ultionem sese incendat, si rem demum perficiat, immunis non est a peccato gravi: imo ipsa frequens recogitatio graviter mala est, et indicium intensitatis odii ipsius in offensorem.

2.ª Item graviter peccat, qui consulto turpibus imaginationibus indulget, ut motus libidinosos in suo corpore excitet eisque delectetur.

36. **Scholion.** — *De impedimentis habitualibus contra exercitium libertatis.* — Cum influxu concupiscentiæ in actus voluntatis analogiam habent, quæ dicuntur *impedimenta habitualia* contra exercitium libertatis; quæ hodie frequentius quam olim, et forte nimis, urgeri solent.

Omittimus ea impedimenta, quæ exercitium liberi arbitrii impediunt

14) S. THOMAS *Qu. 77 art. 6*, et *De malo Qu. 3 art. 11.* — Cf. NOLDIN *Num. 53.* — Quoad forum externum, CODEX *Can. 2206.*

15) S. THOMAS *De malo Qu. 3 art. 11 ad 3.*

mediate, eo quod totaliter impediunt usum rationis; cujusmodi sunt: *somnus, amentia, dementia* (amentia limitata vel *monomania*), *ebrietas perfecta*, et, saltem frequenter, *somnus magneticus* aut *hypnoticus*. At præter hæc alia sunt, quæ dicuntur obstare libertati ipsius actus volitivi immediate; et sunt: *lypemania, vis irresistibilis, aboulia, propensio invincibilis, tendentia hereditaria* cum *atavismo, complexio organica, habitus, hysteria, nevrastenia, epilepsis, deformitates anatomicæ, etc.*; quibus additur *educatio* [16]. De istis pauca; et quamvis eorum quædam influere possint etiam in actus bonos, ea spectamus tantum præ ecrum influxu in actus malos. — Itaque.

De hisce obstaculis, propter nexum, qui est inter facultates hominis spirituales et ejus organismum corporeum, duo vera sunt:

1.m Causæ istæ minus, vel plus, vel ex integro, obstant libertati actus volitivi, prout minus vel plus vel ex integro impediunt quominus intellectus plenam actus volitivi ipsiusque objecti habeat cognitionem. — 2.m Causæ istæ agunt immediate in ipsam voluntatem; tum, quia ipsam propensiorem faciunt in aliquod objectum; tum, quia ejus vires debilitant ad volendum oppositum. Hoc sensu, vi horum obstaculorum actus volitivus fit immediate minus voluntarius et liber, eadem ratione, qua idem efficiunt habitus pravi [17].

At falsum est, quod causæ istæ, quin impediant in intellectu cognitionem, qua videat suum actum fore rectæ rationi contrarium, ita immediate adstrigant voluntatem, ut hæc ad actum malum et criminosum ineluctabili vi adigatur. Verissimum est enim axioma Doctoris Angelici: « Ubicumque est intellectus, est liberum arbitrium » [18].

Hinc, « si confessario occurrant ejusmodi homines: *a*) Ne eis aperte significet in illis actibus a peccato eos plane immunes ese; tum, quia de hac re in casu particulari certo constare nequit; tum, ne pravæ inclinationi sine omni prorsus resistentia obsecundent, eamque sic augeant: sed *b*) ad resistendum pravis inclinationibus suaviter eos hortetur; seria enim resistentia (cum gratia Dei) naturalem propensionem saltem imminuere potest » [19]. — *c*) Si qui vero propter frequentissimum in peccata relapsum nimis animo dejiciantur ac de sua emendatione et salute propemodum desperent, hos confessarius prudenter soletur et erigat: soletur, eos docendo quod eorum peccata præterita forte coram Deo non tot ac tanta sunt, quot et quanta sibi fuisse videntur: eos erigat, docendo quod orantes et facientes quod est in se, certe poterunt suis passionibus ac tentationibus resistere, ac ita recte vivere et æternam consequi salutem.

16) Fuse de his TANQUEREY *Num. 112-136*, et II. *Num. 266-284*. — Cf. quoque D'ANN. *31, 18*, et *138, 10*; NOLDIN *59-62*; FERR. *73*; GEN. *Casus consc. Num. 8* (Bruxellis 1922).

17) Hæc duo admittit etiam S. THOMAS *De potentia Qu. 3 art. 9 ad 7.* et *Contra Gentes Lib. II. Cap. 63.*

18) S. THOMAS *P. I. Qu. 59 art. 3.*

19) NOLDIN *Num. 62, 2.*

ART. III. — De metu

37. *Metus*, seu *timor*, definitur « trepidatio mentis causa periculi instantis vel futuri ». Quamvis metus oriatur ex apprehensione periculi facta ab intellectu, tamen in actum volitivum influere potest, non modo mediate, perturbando usum rationis, sed et immediate, movendo voluntatem ad fugiendum malum, cujus causa mens trepidat: inde quandoque causa est voluntati volendi, quod alias noluisset, et hoc sensu metus potest esse efficax.

Ratione objecti, metus dicitur *gravis*, si malum apprehensum grave est, ejusque probabile est periculum: si alterutrum desit, dicitur *levis*. Item gravis potest esse, tum objective seu *absolute;* tum subjective seu *relative;* nempe ratione habita subjecti metuentis: ita puer vel mulier trepidare potest ex periculo, quo vir nihil commoveretur. — Accedit metus *reverentialis;* cujus objectum est indignatio vel offensio parentum, superiorum, etc.: hic communiter levis esse dicitur; at quandoque potest esse et gravis, præsertim relative, et maxime quoad forum internum [20].

Ratione suæ originis, metus dicitur *ab intrinseco*, si provenit ex causa intrinseca metuenti, vel ab extrinseca necessaria; puta, timor mortis ex febri, vel ex naufragio: dicitur *ab extrinseco*, si provenit ex causa extrinseca libera [21]; puta, timor mortis ab inimico. In hoc altero casu, metus potest esse incussus juste, vel injuste; item ad finem extorquendi consensum, vel ad alium finem.

Ratione efficaciæ, metus dicitur *antecedens*, qui causat operationes, adeo ut hæ ponantur ex metu; *concomitans* dicitur, qui non causat, licet operationes ponantur cum metu.

38. **Principia. I.** Metus quilibet adeo gravis, ut auferat usum rationis, tollit ab actu inde causato omnem voluntarietatem ac libertatem: qui vero usum rationis notabiliter perturbat, ejusdem voluntarietatem ac libertatem minuit.

Actus positus ex metu quantumvis gravi, at nec auferente nec notabiliter perturbante usum rationis, est *simpliciter* voluntarius et liber; ac proinde, si malus sit, imputandus est ad culpam agentis: adhuc enim manet voluntati facultas eligendi oppositum. Tamen idem actus est simul involuntarius *secundum quid;* ac proinde, si malus, ad leviorem culpam imputandus.

III. Metus quilibet, qui sit sub quocumque respectu levis, non censetur causa efficax sequentis actus volitivi. Hinc ratione il-

20) Cf. D'Annibale *Num. 138, 16.*

21) Quidam nomine metus *ab extrinseco* intelligunt illum, qui a causa libera incussus fuerit ad extorquendum consensum. Cf. D'Ann. *Num. 135, 15.*

lius metus non minuitur, saltem notabiliter, malitia actus in se mali; quod si actus ille sit ex natura sua inductivus obligationis, hæc ratione illius metus regulariter non cessat.

39. **Resolutiones.**— *Ex Princ. I.*— 1.ª Qui aut ex interno cruciatu, aut ex naufragio, ex intimatione necis ab inimico, adeo mente turbetur, ut ferme insaniat, non est reus, saltem reatu gravi, eorum, quæ ab ejus ore excidant, convicia, imprecationes, blasphemiæ.

2.ª In iisdem adjunctis nullius efficaciæ est actus natura sua aptus ad imponendam obligationem ex contractu; puta, ex sponsalibus, ex venditione, ex locatione: idem dicendum etiam de voto.

40. *Ex Princ. II.* — 1.ª Semper habiti sunt ut apostatæ et gravissimi criminis rei, qui fidem negarent victi metu tormentorum.

2.ª Non excusatur a gravi peccato, qui violet legem naturalem, præsertim negativam, ex metu mali etiam gravissimi; qui tamen usum rationis non perturbet. Ita, qui hominem occidat ex timore mortis sibi secus inferendæ ab alio: tamen, qui occidat sponte, reus est peccati gravioris.

3.ª Eadem ratione minor est voluntarietas et proinde minus meritum in actu bono, qui fiat ex metu; puta, si filius ex timore punitionis Missam audiat; dummodo non perseveret voluntaria animi reluctantia, quo in casu metus æquivaleret coactioni.

4.ª Metus ab intrinseco, etsi gravis sit, at usum rationis non perturbet, non tollit actui volitivo sufficientem libertatem ad actum vere humanum. Hinc validum est votum emissum ex metu mortis in naufragio, vel in gravi morbo: valida est promissio remunerationis illi facta, a quo, gravissima urgente necessitate, subsidium petitur.

41. *Ex Princ. III.* — 1.ª Numquam excusatur a gravi peccato qui ex metu levi violet præceptum in materia gravi; hinc peccat graviter, qui carnes comedat die vetito ex humano respectu vel timore irrisionum; at minus peccat, quam qui comedat sponte sua.

2.ª Generatim habendi sunt ut validi actus inferentes agenti obligationem bilateralem: censentur enim positi fuisse potius *cum* levi metu, quam *ex* metu.

3.ª Si agatur de obligatione gratuita, hæc poterit esse nulla, cum ex natura sua exigat spontaneitatem: ita, si agatur de voto, de donatione, de promissione gratuita, de testamento.

42. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quid circa validitatem actuum, qui ponantur ex metu?

Resp. Vi Juris novissimi: 1.° Invalidi ipso jure sunt, si positi fuerint ex metu gravi: *a*) initiatio novitiatus ex parte novitii, ejusque admissio ex parte Superioris; *b*) professio religiosa; *c*) renuntatio officii 22. — 2.° Invalidi ipso jure sunt ex metu gravi injuste incusso: *a*) votum;

22) (CODEX *Can. 542 n. 1, 572 § 1 n. 4, 185.*

b) matrimonium 23. Generatim rescindibiles sunt actus juridici positi ex metu gravi injuste incusso, sive ad petitionem partis læsæ, sive ex officio 24.

ART. IV. — De violentia

43. *Violentia*, seu *vis* passive considerata, est « coactio ab agente externo alicui illata, ipsius voluntate renitente ». Si coactio tanta sit, ut voluntas pro viribus renitens eam depellere non possit, habetur violentia *absoluta*: habetur violentia *secundum quid*, quando talis est, ut voluntas posset ipsius efficaciam impedire; at impedire omittit, sive ex mera negligentia, sive ex eo quod eam patitur non prorsus invita.

Patet in actus elicitos voluntatis coactionem seu violentiam cadere non posse; voluntas enim vellet nolens; quod est absurdum 25. At ea cadere potest in actus, qui aliis facultatibus communiter imperantur a voluntate; et, non modo in actus facultatum externarum, sed et internarum quoque, ut sunt phantasia et intellectus; puta per influxum angeli boni vel mali 26.

44. **Principia. I.** Actus facultatum externarum aut internarum, positi vi violentiæ *absolutæ*, non sunt ullo modo voluntarii aut liberi; sed sunt positive involuntarii, ac proinde imputari non possunt agenti, sive in bonum, sive in malum.

II. Actus earumdem facultatum, positi vi violentiæ *secundum quid*, sunt quidem voluntarii simpliciter, et in bonum vel in malum imputandi; at sunt minus voluntarii et imputandi, quam qui ponantur vi solius imperii voluntatis.

45. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Non peccat mulier, quæ pro viribus obsistat oppressori, at ab eo prorsus invita violetur.

2.ª Nec peccat, qui invitus cogatur genua coram idolo curvare, vel eidem incensum adolere, nec qui violenter inclusus cogatur die festo a Missa abstinere; etc.

46. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccat mulier, quæ, per vim oppressa, in carnalem delectationem, vel in solam sui violationem consentiat. Tamen *per se* non tenetur violentiæ obsistere materialiter, quando evidenter obsistentia foret inutilis.

2.ª Certe peccat mulier, quæ, cum violentiæ obsistere possit, non obsistit positive, prævidens periculum consentiendi.

23) Codex *Can. 1307, 1087* § *1.*
24) Codex *Can. 103* § *2.*
25) S. Thomas *I. 2. Qu. 6 art. 1*, ex S. Anselmo *De libero arbitrio Cap. V.*
26) S. Thomas *Qu. 6. art. 4 et Qu. 80* — Cf. S. Lig. *Homo apost. Tract. ult. Num. 51;* Ball. *118, seqq.;* D'Ann. *149, 29 bis.* — De violentia et metu quoad forum externum, Codex *Can. 2205.*

3.ª Excluso periculo consensus, mulier vi oppressa adhuc tenetur violentiæ opponere actum internum contrarium voluntatis aut *per se* 27, aut saltem *per accidens;* eo quod numquam exsulat periculum quodcumque consentiendi.

4.ª Eadem mulier in eodem casu tenetur oppressori opponere resistentiam externam, quantum potest; hoc autem, tum eadem ratione vitandi periculum consentiendi, tum ad scandalum vitandum, ne videatur cooperari peccato alieno: verum hæc obligatio non urget cum incommodo gravi.

5.ª Hinc non tenetur ea mulier clamare, si hoc sit unicum medium impediendi violationem sui, ipsumque ei afferat incommodum nimis grave infamiæ aut nimiæ verecundiæ 28.

CAPUT III.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

47. Hucusque diximus de actibus humanis in ordine physiologico spectatis: nunc de iisdem spectatis in ordine morali, seu in relatione ad hominis finem immediatum et proximum, qui est ut recte agat. Sub hoc respectu actus humani, seu voluntarii et liberi, dicuntur *morales*: eo quod « ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur » 1; atque exinde auctori suo imputandum in bonum vel in malum, in laudem vel in vituperium 2.

ART. I. — De essentia moralitatis

48. *Moralitas* in suo conceptu est « actuum humanorum habitudo ad hominis finem » 3. Aliis verbis, est ea qualitas actuum humanorum, ex qua fit ut ipsi actus dicantur *boni* et *mali*, et qui eos facit dicatur *bonus simpliciter* et *dignus laude* et *præmio*, vel *simpliciter malus* et *dignus vituperio* et *pœna*. Quare moralitas duplex est: alia *bona*, alia *mala*: usu tamen communi inductum est, ut quæ bona est, dicatur *moralitas*, quæ mala *immoralitas*: si exsistat aliquis actus qui neutram habeat, hic diceretur *non moralis, amoralis* seu *indifferens*.

49. Quæstio de essentia moralitatis huc reducitur: Quid sit, quod facit hunc actum esse bonum, hunc esse malum? — Juxta communiorem

27) Certe peccat, si pati vult: si negative se habeat, nullus habetur actus volitivus; ergo *per se* nullum peccatum. Cf. Lehmk. *Casus Num. 40;* Gen. *Cas. 3.*

28) S. Ligorius *Lib. III. Num. 430.* — Tamen in materia adeo lubrica et ad consensum facile alliciente ad modum consilii suadendum ut resistat, et, si opus sit, clamet. S. Ligorius *Lib. III. Num. 68.* At cf. Ball. ad Gury *21, 14.*

1) S. Thomas *In II Dist. XX Qu. 3 art. 2.*

2) S. Thomas *1. 2. Qu. 21. art. 2.* — Cf. Suarez *De bonitate et malitia actuum humanorum;* Cathrein *Philos. moral.* pag. 156.

3) Cf. D'Annibale *Num. 151, 1;* Marc *294.*

doctrinam 4, quæ est etiam Doctoris Angelici, distinguendus est ordo objectivus ab ordine subjetivo. Objective, ille actus est bonus, qui est conformis regulæ morum a Deo propositæ humanæ voluntati per *legem naturalem* 5: ille actus est malus, qui est ab ea regula difformis. Cum vero hæc regula homini manifesta fiat per ipsam ejus rationem, ideo altera norma subjectiva est *humana ratio*, quæ homini dictat ipsius actum esse regulæ objectivæ conformem, vel ab ea difformem: seu in casibus practicis, est *conscientia*. « Regula voluntatis humanæ est duplex: una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet *lex æterna*, quæ est quasi *ratio Dei* » 6. Quapropter « bonitas moralis actus humani consistit in quadam conformitate et convenientia actus liberi cum recta ratione et lege » 7.

Patet in ordine objectivo, seu reali, actum illum esse bonum, qui est conformis regulæ primæ objectivæ, quæ vere suprema est et moralitatis constitutiva: at in ordine subjectivo seu practico, quoniam non potest esse voluntaria bonitas vel malitia alicujus actus, nisi prout voluntati proponitur ab intellectu, formaliter bonus est actus ille, qui est conformis regulæ subjectivæ; malus, qui est ab ea difformis. Aliis verbis, bonitas et malitia duplex est: una *materialis*, alia *formalis*: quæ autem facit actum in ipso agente esse bonum ejusque auctorem dici simpliciter bonum ac dignum laude et præmio, non est bonitas materialis, sed formalis. Idem dicatur de actu malo. — Hinc:

50. 1.° Non datur moralitas sine Deo. Fundamentum enim moralitatis est ordo moralis constitutus a Deo, prout ipse Deus est auctor naturæ 8.

2.° Moralitas præexigit quidem et supponit actus liberam volitionem: at non consistit in ejus voluntarietate aut libertate.

3.° Moralitas non consistit in relatione actus ad legem publicam; multo minus in ejus relatione ad publicam opinionem.

4.° Neque consistit in aptitudine actus ad utilitates vel delectationes afferendas, sive ipsi agenti, sive aliis.

5.° Neque moralitas consistit in relatione actus ad esse ideale, ut censebant Rosminiani 9.

6.° Eo quod moralitas in suo conceptu exigit actum liberum, cujus tantum est esse vel non esse proprie moralem, ideo rejiciendum est et

4) Quæstio est philosophica; circa quam variæ Doctorum opiniones apud NOLDIN *Num. 65;* BALL. *136.*

5) *Lex* intelligenda est prout est norma *regulans* vel *dirigens*, etsi verum ligamen non inferat; secus excludenda esset moralitas actuum non præceptorum. Cf. BALL. ad Gury *Num. 22, 1.*

6) S. THOMAS *1. 2. Qu. 71 art. 6.* Idem habet *Qu. 29 art. 3* et *4*, ac *Qu. 94 art. 4* et *6*, etc.

7) S. LIGORIUS *De actibus humanis Num. 34.*

8) Cf. NOLDIN *Num. 68;* TANQU. *25.*

9) S. THOMAS *1. 2. Qu. 71 art. 4*,et *2. 2; Quæst. 110 art. 1*, et *De malo Qu. 2. art. 2.*

alterum Rosminianorum commentum moralitatis spontaneæ et non liberæ 10.

7.° Eo quod moralitas objectiva voluntati exhibetur per rationem, ideo nefas est id tribuere alicui sensui spirituali diverso ab intellectu, vel sensui cuidam corporeo, qui aliis quinque sensibus similis sit, at organo proprio utatur 11.

ART. II. — De fontibus moralitatis

51. Cum moralitas practice sit habitudo actus ad regulam morum, cui potest esse conformis vel non, et proinde bonus vel malus, quærendum modo est quænam sint in ipso actu elementa illius habitudinis constitutiva, sive ex toto, sive ex parte. Hæc elementa dici solent *fontes moralitatis*, ac tria sunt: *Obiectum, circumstantiæ, finis*. Si hæc tria sint regulæ morum conformia, actus est bonus; si aut omnia, aut aliquod eorum sit ab ea difforme, actus est malus; juxta axioma: « Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu » 12.

§ I. De objecto.

52. *Objectum* actus est « illud (actio vel res), quod in ordine executionis immediate et primario volitum est a voluntate »: si istud ordinetur ad aliud, hoc aliud erit *finis*: si una cum ipso sit aliquid accessorium, hoc erit *circumstantia*. Si quis in satisfactionem suorum peccatorum det pauperi eleemosynam, largitionem eleemosynæ vult tamquam objectum, satisfactionem tamquam finem, proximi præsentis ædificationem tamquam circumstantiam.

Objectum heic est considerandum, non in ordine physico, sed in ordine morali; et quidem formaliter præ sua moralitate cognita intellectui et proinde volita a voluntate. Hac ratione spectatum objectum potest esse *bonum, malum, indifferens;* prout conforme est normæ moralitatis, vel est ab ea difforme, vel nullam ex se habet cum ea relationem. Ita bonum est laudare Deum, malum blasphemare, indifferens ambulare (ad ecclesiam, vel ad domum peccati).

Item objectum potest esse bonum *natura sua* seu *intrinsece*, ut amare Deum; vel ratione *præcepti* seu *extrinsece*, ut abstinere a carnibus. Potiori ratione potest esse malum *intrinsece*, ut odisse Deum; vel ratione *prohibitionis*, ut comedere carnes die vetito: prius prohibitum est, quia illicitum; alterum illicitum, quia prohibitum.

Objectum malum intrinsece, potest esse malum *absolute* et ratione *sui*, ut fornicari, mentiri; vel *hypothetice* sub conditione auferibili, qua

10) Cf. *Civ. cattol.* Anno 1917 Vol. IV, pag. 237.

11) Cf. Taparelli *Saggio teor. di dir. natur.* l. *Dissert 1. Cap. IV.*

12) S. Thomas *1. 2. Qu. 8 art. 1.* — Expositio cum exemplis et limitationibus habetur apud Lehmk. *Num. 32-35.*

ablata, cessat esse malum, ut auferre rem alienam domino rationabiliter invito, de proximo detrahere sine causa proportionate gravi; vel ratione *periculi*, ut legere libros turpes, adesse repræsentationibus minus honestis.

53. **Principia. I.** Actus humanus accipit moralitatem suam ex objecto, quod sit bonum vel malum. Hæc autem moralitas primaria est, quatenus concipitur ante aliam quamcumque ei advenientem ex fine vel ex circumstantiis : simul est essentialis, quatenus, licet finis et circumstantiæ mutentur, ea semper manet.

II. Ut actus sit ex objecto bonus, necesse est quod bonitas objecti sit a voluntate volita *directe*, saltem virtualiter et exercite; quatenus voluntas objectum velit sub ratione illius bonitatis : ut sit malus, satis est quod objecti malitia cognita sit intellectui et volita indirecte. Ratio prioris est, quia secus non bonitas objecti volita est, sed ejus utilitas aut voluptas : ratio alterius, quia volitio malitiæ cognitæ mala est, et insuper « malum est ex quocumque defectu » [13].

54. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Largitio eleemosynæ ex amore Dei est in se actus virtutis misericordiæ : furtum ad sese inebriandum est peccatum contra justitiam.

2.ª Furtum est peccatum contra justitiam, etsi fiat ad exercendum actum caritatis.

3.ª Actus ex se indifferentes, puta ambulare, legere, jocari, etc., fient boni vel mali ex fine bono vel malo, ad quem ordinentur, vel ex circumstantiis bonis vel malis, quæ ipsos comitentur.

55. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui Missæ adsistit ex curiositate, vel ut audiat musicam non facit actum virtutis religionis : ita nec actum pœnitentiæ facit, qui, nec bonum virtutis nec Ecclesiæ vetitum cogitans, a carnibus abstineat ut appetitum acuat ad melius prandendum, vel quia epulis ex carne piscium magis delectatur.

2.ª Mala est volitio, qua quis velit bonum sub ratione mali; puta punitionem delicti, prout est malum delinquentis.

3.ª Qui (absque causa excusante) carnes comedat die vetito, graviter peccat, etsi non intendat legem Ecclesiæ violare.

56. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum externa exsecutio volitionis internæ addat actui interno novam moralitatem, sive bonam, sive malam?

Resp. 1.° Si actio externa spectetur ut mera exsecutio volitionis, seu propositi efficacis [14], *negative*. Ratio est, quia omnis moralitas com-

13) S. Thomas *1. 2. Qu. 19 art. 7 ad 3.* — Cf. Tanqu. *145, sequ.*

14) Dicimus : *propositi efficacis*, seu desiderii ponendi omnia media ad exsecutionem. Qui optaret perfectionem omnium Sanctorum ac b. Virginis, non omnia eorum merita et præmia lucratur.

petit ipsi actui volitivo, cujus proprie et *per se* est, ut sit moraliter bonus vel malus: insuper moralitas necessario requirit libertatem; atqui libertas propria est actus volitivi. Quare ipse actus externus non habet imputabilitatem propriam distinctam ab imputabilitate ipsius volitionis; sed prout bona vel mala est volitio, bonus vel malus fit ipse volens [15]. Hinc, qui vult dare eleemosynam, ac ideo tantum non dat, quia crumenam comperit esse vacuam, hic contrahit bonitatem et acquirit meritum eleemosynæ, quam dare voluisset. Ita et reus est furti francorum centum famulus, qui ad hanc summam surripiendam scrinium domini aperiat, at frustra; et *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus* est *in corde suo* [16]. Ita sentiunt communiter Doctores, nonnullis scotistis obstantibus.

Nec obstat obligatio declarandi in confessione ipsum actum externum. Id enim ex eo est, quod actus externus constituit unum eumdemque actum cum interno, et peccatum proprie est violatio legis, quæ est furtum, fornicatio.

2.° Tamen exsecutio realis augere potest moralitatem operis externi *per accidens;* hoc vero tripliciter: *a*) Ratione *intensitatis,* qua voluntas moveri potest erga objectum, superando obstacula exsecutionis; *b*) ratione *durationis* ipsius volitionis internæ per totum tempus exsecutionis; *c*) ratione *multiplicationis,* quæ potest haberi in actibus volitivis, dum exsecutio externa locum habet. Insuper in opere externo haberi potest bonitas, vel malitia, accedens; pura honor Dei, bona proximi ædificatio, scandalum [17].

Qu. 2. Utrum volitio indirecta alicujus effectus, sequentis ex objecto volito directe, addat volitioni directæ novam moralitatem?

Resp. Generatim et *per se, affirmative;* sive bonus, sive malus fuerit effectus volitus: volitio enim illa indirecta est vera volitio libera, et proinde moralis [18]. Hinc effectus malus, dummodo fuerit aliquo modo prævisus, plus minus generatim imputandus est ad culpam volentis causam; hoc vero, nedum si causa fuit in se mala, sed et si fuerit indifferens vel etiam bona [19].

Qu. 3. Utrum voluntaria omissio operis boni nor præcepti sit mala?

Resp. a) Si omissio illa fit eo quod voluntas bonum illud opus aversatur, vel eo quod ipsum intellectus pervipendit, vel ex acedia, ea omissio mala est, vel potius mala est ipsius omissionis causa: non dicimus eam semper malam esse graviter. — *b*) Si ea omissio fit ex voli-

15) Cf. S. THOMAM *1. 2. Qu 20. art. 4;* S. AUGUSTINUM *De lib. arb. I. Cap. III. Num. 8.*

16) MATTH. *V. 28.* — Cf. et. *XV. 13-19;* MAR. *VII. 21-23;* etc.

17) Tractant fuse BUCCERONI *De actibus humanis Comm. IX 30;* NOLDIN *Num. 78;* TANQU. *162-199;* GEN. *41;* FERR. *81;* TUMM. *81.*

18) S. THOMAS *1. 2. Qu. 20. art. 5.*

19) Cf. dicta *Num. 15, seqq..,* et *De peccatis;* item NOLDIN *79-86;* TANQU. *Num. 170- 174.*

tione alterius operis boni, licet hoc minoris vel minimi sit momenti, ea omissio per se mala non est; cum objectum volitionis adhuc sit bonum. Hinc, « qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit » 20. Ita non peccat qui die feriali Missam omittat, ut ambulationem faciat, vel, ut incommodum vitet 21: utrum ea ambulatio vel hæc vitatio sit opus bonum vel indifferens, inquiremus inferius. Item dicatur de puero, qui die sabbati fructus comedat, a quibus, suadente matre, ab devotionem erga B. Virginem abstinere statuerat; de novitio, qui monitis sui superioris non obtemperaverit; etc.

Caveant confessarii, ne quandoque puerum vel puellam, deficiente materia sufficienti, invalide absolvant.

§ II. De circumstantiis.

57. *Circumstantiæ*, ex S. Thoma, sunt « conditiones, quæ sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum » 22. Hinc impròprie dicuntur circumstantiæ illæ conditiones, quæ spectant ad ipsam substantiam actus, et proinde objectum ejusdem constituunt; puta, quod opus servile fiat die festo, quod res furto sublata sit aliena. Illæ proprie sunt circumstantiæ, quæ actui ejusque objecto accedunt; puta, quod oratio fiat stando vel flexis genibus, quod homicidium fiat in loro profano vel sacro, quod furtum in damnum divitis vel pauperis, etc. Evidenter ex his quædam nihil spectant ad moralitatem, et proinde dicuntur *amorales* vel *adiaphoræ;* ex. gr., quod eleemosyna fiat manu dextera vel sinistra, quod furtum fiat feria secunda vel tertia. Aliæ vero sunt, quæ moralitatem attingunt, sive bonam, sive malam; eamque aut augent, aut minuunt, aut mutant; et ideo dicuntur *morales*. — De hisce tantum agimus, et quidem eas spectamus formaliter; scilicet, prout agenti cognitæ sunt.

58. Septem numerantur earum classes, sequenti versiculo expressæ:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis significat qualitatem subjecti agentis; quod sit sacerdos, laicus, conjugatus, etc. — *Quid* qualitatem aut quantitatem objecti; quod quis peccaverit cum consanguinea vel cum conjugata, quod eleemosynam dederit majorem vel minorem, etc. — *Ubi* significat locum; quod homicidium fecerit in ecclesia, etc. — *Quibus auxiliis* indicat media adhibita; quod hominem occiderit veneno, vel per sicarium, etc. — *Cur* indicat finem; de quo inferius. — *Quomodo* significat modum; puta, quod oraverit devote vel remisse, quod sacerdos Horas canonicas recitaverit attente vel distracte. — *Quando* significat quo vel quanto tempore; puta, quod theatrum adiverit tempore sacro vel non sacro, quod odium tenuerit brevi tempore vel diu.

20) I. Cor. *VII. 38.*
21) Cf. Lehmkuhl *Num. 40;* Noldin *92.*
22) S. Thomas *I. 2. Qu. 7 art. 1.*

59. **Principium.** Actus humanus accipit moralitatem etiam a circumstantiis moralibus: et ita quidem, ut moralitatem circumstantiæ bonæ accipiat, si ea, nedum sit cognita, sed et directe volita, saltem confuse et exercite; ut vero accipiat moralitatem circumstantiæ malæ, satis sit quod hæc sit cognita et indirecte volita.

60. **Resolutiones.** 1.ª Actus ex objecto indifferens moralitatem accipit ex circumstantiis cognitis. Ita recreari temperate bonum est; recreari immodice malum.

2.ª Actus ex objecto bonus, accedente circumstantia bona cognita et volita, fit melior: ita celebratio Missæ cum summa devotione. E contra actus malus, accedente circumstantia mala cognita, fit pejor, seu mala malitia duplici: ita blasphemia præsentibus pueris.

3.ª Si moralitas circumstantiæ eadem sit ac objecti, tunc actus acquirit bonitatem vel malitiam majorem; si sit diversa, accipit bonitatem vel malitiam secundam.

4.ª Actus ex objecto bonus, ex circumstantia leviter mala non fit malus; sed manet substantialiter bonus, accidentaliter malus. Ita auditio Missæ cum distractione mentis voluntaria minus bona est; seu potius est substantialiter bona, accidentaliter mala; hinc audiens pro bonitate objecti merebitur augmentum æternum gloriæ in cælo, pro malitia circumstantiæ punitionem temporaneam in purgatorio.

5.ª Quod si circumstantia leviter mala sit intrinseca objecto, totum actum corrumpit: ita peccat religiosus eleemosynam dans contra votum paupertatis.

6.ª Actus ex objecto bonus, ex circumstantia graviter mala non videtur fieri essentialiter malus; eo quod circumstantia est quid ei accessorium: tamen malus fit in suo complexu, prout cum ea circumstantia fit quid unum [23]. Ita peccat mulier, quæ velit singulis diebus Missam audire, sciens se inde notabiliter abstrahi a domesticis officiis, maritum irasci et blasphemare, filiolos nutrici non bene moratæ obnoxios esse. At in casu mala est, non auditio Missæ, sed omissio officiorum suorum; hinc in confessione hæc accusanda erit, non illa.

§ III. — De fine.

61. *Finis*, de quo heic agimus, est « motivum, propter quod agens agit ». Hic est finis, qui dicitur *operantis*, eo quod ipse movet agentem ad volendum efficaciter objectum, tamquam medium; dum ille finis, ad quem opus natura sua ordinatur, dicitur *finis operis*, et in re nostra reincidit in objectum. Ita in actu eleemosynæ, finis operis est pauperis sub-

23) Cf. Ballerini ad Gury *Num. 15 4;* Frassin. *Nota 17 al Num. 53.*

levatio; finis operantis potest esse satisfactio sacramentalis, aut vana gloria. Patet quandoque finem operantis esse posse ipsum finem operis.

Finis multipliciter distinguitur. Finis, quem ultimo intendit voluntas et in quo sistit, dicitur *ultimus;* ille, quem voluntas intendit, ipsum simul ordinans in finem ulteriorem, dicitur *intermedius;* exemplum sit auctoris scribentis opus, vel sacerdotis Missam celebrantis, ut emolumenta accipiat in pauperes eroganda.

Ille finis, qui solus movet voluntatem, dicitur *totalis;* qui simul cum alio, *partialis.* Hic autem erit *primarius,* si primo et absolute intenditur; si secundo et subordinate ad primum, erit *secundarius.*

Ratione motionis voluntatis, finis ultimus intendi potest, nedum *explicite,* sed et *implicite* tantum ac *virtualiter*: quæ finis intentio tunc habetur, cum finis ille jam intrinsecus est objecto vel fini intermedio volito, et a voluntate non excluditur. Ita, qui cibum sumit, intendit suæ vitæ conservationem, nisi hunc finem positive excludat.

62. **Principium.** Actus humanus ex fine agentis accipit moralitatem, et quidem principalem. Ratio prioris est, quia ipsa moralitas finis volita est a voluntate: ratio posterioris est, quia finis est motivum agendi et volendi objectum; « unde et maxime actus moralis speciem habet ex fine » [24].

63. **Resolutiones.** 1.ª Actus, ex objecto bonus et in finem bonum ordinatus, præter bonitatem objectivam seu essentialem (si cognita et volita sit), habet etiam bonitatem finis, eamque principalem. Ita eleemosyna erogata in pauperes propter amorem Dei est essentialiter actus misericordiæ in pauperem, principaliter actus amoris erga Deum.

2.ª Actus, qui sit ex objecto bonus, at cujus finis totalis sit malus, omnem bonitatem amittit, et fit malus leviter vel graviter pro diversa malitia finis [25]: ille, cujus finis sit duplex, unus bonus saltem implicite volitus, alter leviter malus, partim bonus manet, partim fit malus: ille, cujus finis, aut totalis, aut partialis, sit graviter malus, totus malus est, et quidem graviter. Ita qui eleemosynas faciat unice ad vanam gloriam, nihil boni facit: qui ad pauperes sublevandos et simul ad vanam gloriam, agit simul bene et male, meretur et leviter peccat: qui unice ad pauperes a vera religione avertendos, vel ad eos sublevandos et simul pervertendos, graviter peccat.

3.ª Actus, qui sit ex objecto malus et in finem bonum ordinatus, manet quidem malus, at ejus malitia ex bonitate finis minuitur, quatenus hic indicat minorem esse agentis affectum in objectum malum. Ita minus peccat qui furatur ad dandam pauperi eleemosynam, quam qui ad seipsum ditandum.

24) S. Thomas *1. 2. Qu. 7 art 4 ad 2.*

25) Non consentit D'Annibale *Num. 154. 18, 19*: at forte differentia, magis quam rem, spectat proprietatem loquendi.

4.ª Actus malus in finem malum ordinatus evidenter utriusque habet malitiam.

5.ª Demum actus ex objecto indifferens moralitatem accipit, tum essentialem, tum principalem, ex fine bono vel malo, accidentalem ex circumstantiis.

64. **Quæstiones.** — *Qu. 1.°* Utrum dentur actus proprie indifferentes, seu carentes quacumque moralitate, sive bona, sive mala?

Resp. 1.° Si actus consideretur in suo conceptu, seu in *abstracto*, certum est dari quosdam actus in se bonos, ut laudare Deum; quosdam in se malos, ut blasphemare; at simul dari quosdam in se indifferentes, ut cogitare vel ambulare: potest enim quis cogitare eleemosynam vel vindictam, ambulare ad ecclesiam vel ad domum peccati.

2.° Si actus consideretur *in concreto*, seu in agente, dum de facto agit [26], duplex datur sententia, utraque gravibus fulta rationibus et auctoribus.

Sententia certe communior negat, hac ratione ex S. Thoma deprompta: Homo, deliberate agens, debet suum actum ordinare in aliquem finem, et quidem in finem convenientem naturæ rationali, seu bonum. Dato ergo quod actus ex objecto indifferens sit, agens actum illum, vel ordinat in finem bonum, vel in finem malum, vel in nullum finem ordinat: si primum, actus est bonus ex fine bono; si alterum, est malus ex fine malo; si tertium, actus est inordinatus, et proinde malus: ergo numquam erit indiferens [27].

Sententia contraria affirmat, hac innixa ratione, quod obligatio ordinandi quemcumque actum ex objecto indifferentem in finem convenientem naturæ rationali, seu bonum, non exsistit; hanc autem non exsistere contendit ex eo, quod et nimis dura esset, et a pluribus doctoribus ignoratur [28].

Ad quam rationem auctores prioris sententiæ reponunt hanc actus indifferentis in finem bonum ordinationem consistere in eo, quod agens ipsum non ordinet in finem malum, ac ipsum in finem bonum ordinet *implicite* seu *virtualiter*, non excludendo illum finem bonum, qui ex Dei ordinatione intrinsecus est cuicumque actui non malo. Ita, si quis innocue jocetur, jocum autem non ordinet in finem malum, ac nec ejus finem intrinsecum (virium intellectualium refectionem) excludat positive, eo ipso hunc finem bonum intendit *virtualiter*, ac proinde jocatur ordinate, et agit bene, et, si in gratia est, meritorie. Hoc sensu ea obligatio ordi-

26) Quæstio fit de actibus *humanis*, non de actibus *hominis* seu indeliberatis; cujusmodi esset fricare barbam, etc.

27) S. THOMAS *1. 2. Qu 18 art. 9*, et *Qu. 39 art. 2*, item *2. 2. Qu. 23 art. 3*, etc; S. LIGORIUS *Num. 44.* — Hanc propugnant BALL. *Num. 169-179;* GEN. *39, seqq.;* D'ANN. *154, 16;* NOLDIN *93-95*: LEHMK. *37-40;* TANQU. *189-194;* ZANIN. *55.*

28) Ita quidam Scotistæ, et alii apud LEMHKUHL *Num. 38.*

nandi actum indifferentem in finem bonum evidens est, et proinde omnibus comperta et nullatenus dura.

Juxta secundam sententiam, omnes actiones, in concreto spectatæ, sunt aut bonæ, aut malæ, aut nec bonæ nec malæ; juxta priorem, omnes actiones, quæ non sunt malæ, sunt bonæ.

Qu. 2. Quid ergo, si quis jocetur propter delectationem joci, comedat et bibat propter delectationem cibi et potus?

Resp. Actiones istæ possunt esse malæ propter malitiam ipsis accedentem. Accedere enim potest malitia ex ipso objecto considerato in concreto: puta, si religiosus jocetur contra prohibitionem superioris, si quis comedat carnes die vetito. Accedere eis potest malitia ex circumstantiis: puta, si jocus nimis protrahatur, si comestio aut potatio excessiva sit, si inde scandalum aliis præbeatur. Accedere potest malitia ex fine; puta, si quis jocetur ad ruinam inferendam adversario, si bibat ad perpetrandum majori audacia homicidium. Verum nullam ipsis inest moralitas mala in se: quare, si ex nullo horum capitum malæ sint, sunt bonæ. Nam « ex eodem habet actus quod non sit malus, et quod sit bonus; quia non est aliquis actus indifferens » 29.

Si hæ et aliæ actiones hujusmodi fiant ad captandam delectationem earumdem propriam, eruntne malæ ex defectu debitæ ordinationis in finem bonum? — Certe malæ sunt, si positive excludatur finis hisce actionibus insitus a natura; qui est, ut jocus, et generatim delectatio, ordinetur ad operationem, comestio et potatio ad conservationem vitæ 30. At hæc malitia non habetur communiter ut gravis; nisi agatur de iis, *quorum Deus venter est,* qui impletionem ventris habent ceu finem ultimum vitæ humanæ. Si voluntas hunc finem harum actionum proprium non excludat positive, sed erga illum negative se habeat, jam ipsum finem hisce actionibus intrinsecum vult implicite et virtualiter; quod satis est ad bonitatem earumdem. Hinc Doctor Angelicus: « Comedere et bibere servato modo temperantiæ, et ludere ad recreationem servato modo eutrapeleiæ,.... meritorium erit in eo, qui caritatem habet » 31. Quam theoriam applicat etiam ludis chorealibus et ipsi ornatui mulierum, de quo: « Si mulieres portent ornamenta decentia secundum statum et dignitatem suam,.... erit actus virtutis modestiæ 32.

Hæc theoria applicanda quoque est positioni operis in sua specie indifferentis, quod sit impeditivum operis boni et melioris. Ita qui dul-

29) S. Thomas *Supplem. Qu. 49 art. 4.*

30) Hac de causa damnatæ fuerunt die 2 martii a. 1679 *Propositiones* sequentes ab Innocentio XI. *Prop. 8*: « Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. « *Prop. 9*: Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali ».

32) S. Thomas *In II. Dist. 4 Qu. 1 art. 5.*

32) S. Thomas *In Is. III. circa finem.* — Cf. Ball. *Num. 178-179,* et ad Gury *28, 8;* Noldin *19 sequ.* Non plene adhæret Tanqu. *156, sequ.*

ciaria vel fructus comedat ex delectatione horum ciborum propria, eorum finem intrinsecum minime excludens, agit bene et, si sit in gratia, meretur. At, si propter amorem pœnitentiæ vel mortificationis ab eisdem abstineat, melius agit et magis meretur [33].

Qu. 3. Utrum omnes actiones nostræ ad Deum referri debeant, juxta verba Pauli: *Omnia in gloriam Dei facite* (1. Cor. X. 31)?

Resp. Ex communi doctrina theologorum, hæc verba nihil continent juris positivi; sed ad summum declarant et inculcant exercitium virtutis caritatis erga Deum [34].

Itaque, juxta quosdam, per hæc verba S. Paulus omnibus consilium præbet, ut studeant singulas actiones suas, aut saltem singulas actionum series, ad gloriam Dei per intentionem actualem referre; et in primis ipsas actiones indifferentes: *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis.* Hac ratione omnes hæ actiones ita ex fine *operantis* nobilitantur, ut fiant totidem actus caritatis erga Deum [35].

Juxta S. Thomam et alios, S. Paulus omnibus inculcat impletionem præcepti caritatis erga Deum. Vi hujus præcepti, quod est juris naturalis, at affirmativum, homo tenetur quandoque seipsum referre in Deum per actum caritatis; quæ relatio perseverat habitu, quousque retractata non fuerit per peccatum mortale. Itaque, juxta Apostolum, homo seipsum semper habeat relatum in Deum, ac, in ea relatione perseverans, nullam actionem faciat non referibilem in Deum, seu non bonam: hoc satis est, ut omnes ejus actiones bonæ, aut etiam ex se indifferentes, jam sint relatæ in gloriam Dei [36].

Quapropter, verba Pauli non spectant ad moralitatem genericam actuum humanorum in se. Sane possunt esse et sunt virtuosi, et proinde moraliter boni, actus virtutum aliarum a caritate [37]: insuper possunt esse moraliter bonæ actiones eorum hominum, qui defectu habitus caritatis non sunt ordinati in Deum: cujusmodi sunt peccatores et infideles [38]. Sane fideles peccatores tenentur diebus festis Missam audire, tempore Quadragesimæ jejunare: infideles tenentur opera misericordiæ erga indigentes exercere.

33) Cf. et I Cor. *VII, 38.*

34) Imo, juxta exegetas, verba hæc spectant directe ad caritatem erga proximum, fidelibus inculcando, ut *manducantes et bibentes* sint « *sine offensione Judæris et gentibus et Ecclesiæ Dei* ». — Cf. Cornely *In I. Cor. h. l.*

35) S. Bonaventura *In II. Sent. Distinct. 41. Art. 1 Qu. 3 ad 1.*

36) Thomas *In II. Dist. 40, Qu. 1 art. 5; Dist. 41 Qu. 1 art. 3,* et *1. 2. Qu. 89 art. 6.* — Cf. Ball. *Num. 189, seqq.,* et ad Gury *31, 12, seqq.;* Zanin. *49;* Ferr. *88 Qu. 4, seqq.;* Marc. *307 II.*

37) Cf. Concilium Trid. *Sess. VI. De justif. Can. 35.*

38) Huc spectant quædam *Propositiones* M. Baji a S. Pio V damnatæ die 1 octobris a. 1567. *Prop. 25*: « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia ». *Prop. 35*: « Omne, quod agit peccator servus peccati, peccatum est ».

CAPUT IV.

DE MERITO ACTUUM HUMANORUM

65. *Meritum*, spectatum *subjective*, est « dignitas præmii vel pœnæ opere comparata »; *objective* est « ea operis qualitas, ex qua ipsum ad alterum refertur in ordine ad retributionem, eo quod cedit in ipsius obsequium vel detrimentum ». Quare hoc nomen indifferens est ad dignitatem præmii, vel pœnæ: tamen doctores usu communi nomen *meriti* tribuunt actioni dignæ præmio, dum actioni dignæ pœna nomen tribuunt *demeriti*. Hinc *meritum* sensu maxime proprio est « operis exigentia ad præmium operanti retribuendum ab eo, in cujus obsequium cedit ».

Profecto in ipso ordine naturali actiones hominum morales, eo ipso quod moralitas fundamentum habet ordinem homini a Deo constitutum, habent rationem meriti vel demeriti coram Deo. Quæ enim bonæ sunt, cedunt in obsequium Dei, suumque auctorem in Deum ultimum finem dirigunt; quæ malæ, cedunt in detrimentum gloriæ Dei extrinsecæ, suumque auctorem a Deo avertunt. Ergo illæ merentur a Deo præmium; istæ pœnam.

66. Verum res consideranda est in præsenti statu elevationis humanæ naturæ ad ordinem supernaturalem; in quo ordine maximi momenti est distinctio inter meritum *de condigno*, et meritum *de congruo*. Primum habetur, cum in opere bono habetur exigentia proprie dicta ad præmium propter quamdam æqualitatem, quæ est inter actionem et præmium; quare, posita ab homine actione, Deus ex quadam justitia eidem retribuere debeat præmium. Alterum habetur, cum præmium homini bene agenti debetur tantum ex quadam decentia, eo quod non competit actioni proprie dicta præmii exigentia, deficiente quacumque ipsius æqualitate cum præmio; pertinet autem ad decus Dei, ut hanc actionem præmio aliquo remuneret [1].

Præmium in hoc ordine supernaturali retribuendum, scilicet visio Dei beatifica, excedit meritum intrinsecum cujuscumque operis boni; ac proinde nulla bonis operibus nostris inesse potest dignitas æqualitatis cum tali præmio, nisi ex Dei ordinatione, seu ex divinis promissionibus. Porro hujusmodi promissiones quamplurimæ habentur in divina revelatione, præsertim novi Testamenti, ut ostendunt theologi speculativi [2]. Quare « vita æterna bonis justorum operibus reddenda est, tamquam merces ex ipsius Dei promissione »; ac veritas est de fide « hominis justificati bona opera vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et

1) Meritum analogiam habet ad vim impetrandi. In illo Deus ad sua dona concedenda movetur ex aliquali dignitate, quæ inest operi merentis; in hac movetur tantum necessitate et petitione postulantis: in illo decentia quædam intervenit; in hac sola Dei liberalitas.

2) Cf. HURTER *Theol. dogm.* III. *Num. 235, sequ.*

ipsius vitæ æternæ.... consecutionem » 3. — Hisce ex teologia speculativa suppositis, practice statuimus:

67. **Principium.** Supposita divina promissione, ut homo *de condigno* mereatur, requiruntur duo: *a*) Ipse operans sit in statu gratiæ; *b*) ipsius opus sit actus humanus, bonus, supernaturalis. Ut vero mereri possit *de congruo*, satis est quod ejus opus sit actus humanus, bonus, supernaturalis.

68. **Resolutiones.** — 1.ª Opera in se bona, quæ per actum humanum et supernaturalem fiant ab homine exsistente in peccato mortali, nullum habent meritum *de condigno;* hoc sensu sunt opera *mortua*, vel *indifferentia;* neque meritum de condigno acquirere possunt per recuperationem status gratiæ.

2.ª Meritum *de condigno* habent quidem opera, quæ per actum humanum, bonum ac supernaturalem fiant ab homine exsistente in gratia; at, si hic statum gratiæ per peccatum mortale amittat, eo ipso fit incapax præmii, ac meritum ejusdem operum suspenditur, donec ille statum gratiæ recuperaverit: hoc sensu ea opera dicuntur *mortificata;* quia, recuperato statu gratiæ, reviviscunt.

3.ª Ad merendum non requiritur quod opus sit supererogatorium; neque quod operans intendat vel sciat se mereri.

4.ª Ad merendum requiritur in ipso actu meritorio libertas, seu immunitas, nedum a coactione extrinseca, sed et ab intrinseca necessitate 4; imo ista in primis et essentialiter.

5.ª Ad merendum requiritur quod actus bonus ponatur sub influxu gratiæ Dei prævenientis et adjuvantis: secus enim habere non potest proportionem cum præmio ordinis supernaturalis.

69. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quid justus mereri possit *de condigno?*

Resp. Mereri potest per sua opera bona augmentum gratiæ sanctificantis, gloriam æternam, et pro singulis operibus bonis respondens augmentum gloriæ. Positis enim divinis promissionibus, hæc justo bene operanti debentur ex quadam justitia 5. Verum nihil justus mereri potest aliis *de condigno*: nec sibi mereri potest perseverantiam finalem.

Qu. 2. Quid homo (justus, aut peccator) mereri possit *de congruo?*

Resp. 1.° Homo justus mereri potest sibi ipsi gratias uberiores, imo et efficaces, ac perseverantiam finalem; aliis mereri potest quidquid mereri potest sibi; imo probabiliter et ipsam gratiam primam.

3) Ex Concilio Trident. *Sess. VI. Cap. 6.* et *Can. 32.*

4) Ex *Prop. 3* Jansenii damnata ut *hæretica*: « Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ».

5) Concilium Trid. *Cap. 16.* - Cf. Hurter III. *238.*

2.° Homo peccator sibi mereri potest *de congruo* ultimam dispositionem ad gratiam justificantem, et quidem infallibiter ex divina promissione; insuper remotas dispositiones ad justificationem, et auxilia quibus gratiam recuperatam conservare et augere valeat: ejusmodi gratias mereri quoque poterit aliis, at minori cum certitudine.

Qu. 3. Utrum ad hoc, ut opus sit meritorium *de condigno*, necesse sit ipsum esse actum elicitum caritatis aut imperatum a caritate?

Resp. Id gravissimi auctores affirmant, huic argumento innixi quod, cum meritum *de condigno* ad vitam æternam sit meritum nobilissimum ex dignitate operis proveniens, necesse est quod hoc opus sit actus supremæ et nobilissimæ virtutis, cujusmodi est caritas. Addunt ita sentire quibusdam in locis Doctorem Angelicum 6.

Verum id negant alii et plurimi, auctoritatem ejusdem Doctoris Angelici sibi vindicantes: quorum argumenta liceat breviter indicare.

1.° Ex doctrina Concilii Tridentini, S. Thomæ et aliorum, ad rationem meriti hæc duo tantum videntur requiri: Primum, quod operans habeat caritatem, seu sit in statu gratiæ; alterum, quod ipsum opus sit in se bonum seu moraliter honestum. — *a*) Ex Concilio Tridentino, « homo justificatus bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, vere meretur augmentum gratiæ et vitam æternam » 7: porro actus virtutum fidei, spei, justitiæ, religionis, etc., sunt opera virtuosa, et ideo bona, licet non sint actus caritatis, nec necessario imperari debeant a caritate. — *b*) Ex S. Thoma: « Non solum actus caritatis est meritorius, sed etiam actus aliarum virtutum secundum quod gratia informantur; licet meritorii esse non possint, nisi secundum quod referuntur in finem caritatis. Non autem oportet, quod semper actus in finem illum (caritatis) reducantur; sed sufficit ad efficaciam merendi quod in fines aliarum virtutum reducantur; qui enim intendit servare castitatem, etiamsi de caritate nihil cogitet, constat quod meretur, si gratiam habet ». Et alibi: « Omnis actus habentis caritatem, vel est meritorius, vel est peccatum, et nullus indifferens » 8: porro actus castus a voluntate imperatus ex amore virtutis castitatis non est peccatum; ergo est actus, nedum bonus, sed et meriorius.

2.° Accedunt rationes intrinsecæ. Certe nemo ad meritum requiret quod singuli aliarum virtutum actus eliciantur aut imperentur ex motivo caritatis; sed satis erit, quod eliciantur ab homine, qui seipsum per actum caritatis ordinavit in Deum. Porro, si vel hoc exigamus, offendimus in scopulos durissimos. Puer, qui, adeptus usum rationis, non advertens obligationem eliciendi statim actum caritatis, et exsistens in statu gratiæ, faciat opera bona aliarum virtutum, puta religionis, obedientiæ,

6) S. Ligorius, apud Noldin *Num. 103.*

7) Concilium Trident. *locc. citt. art. 5*, et *De malo Qu. 2 art. 5 Obj. 10*, quam concedit.

8) S. Thomas *In II. Dist. 40 Qu. 1*

caritatis in proximum, etc., per hæc opera nihil merebitur; omnia ipsi erunt indifferentia ad vitam æternam. Idem dicendum esset de adulto, qui seipsum justificaverit per sacramentum pœnitentiæ cum attritione imperfecta. Adverte quod valde difficile est determinare quandonam urgeat præceptum eliciendi actum formalem caritatis erga Deum; ac proinde plura essent opera in se bona, facta ab homine habente habitum caritatis, quæ tamen ipsi operanti nihil *de condigno* prodessent ad vitam æternam 9.

Quod si S. Thomas ad meritum operis boni postulat, quod ipsum fiat ab homine, qui seipsum ordinaverit in Deum, hæc ordinatio, juxta ipsum, in hoc est, quod homo habeat caritatem habitualem: hanc vero habere potest, tum per actum caritatis, tum (et frequenter) per sacramentum justificans absque actu caritatis. « Ille, qui habet caritatem, se et omnia sua ordinavit in Deum. Ergo quidquid ordinat, vel ad se, vel ad quodcumque aliud sui, meritorie agit: nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum: sed hoc esse non potest, quin sit peccatum saltem veniale » 10.

Hisce et aliis argumentis sententia negativa certe probabilis est; imo certe de ea practice nihil dubitant fideles.

Qu. 4. Utrum ad meritum, sive *de condigno*, sive *de congruo*, requiratur, quod actus bonus sit supernaturalis etiam quoad motivum; adeo ut hoc per fidem cognoscatur, aut saltem Deum aliquo modo respiciat aut attingat?

Resp. 1.° *Affirmative*, si agatur de peccatore, qui per illum actum quærat justificationem. Ratio est, quia *accedentem ad Deum oportet credere*, ac ad justificationem peccator disponi non potest, nisi per actum fidei, saltem implicitum: eadem ratione implicitus requiritur quoque actus spei et initialis dilectionis. « Disponuntur (peccatores) ad ipsam justitiam, dum, excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, *credentes* vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt; . . . et, dum peccatores se esse intelligentes, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, *in spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore illumque *diligere incipiunt* » 11.

2.° Si agatur de justo, absque dubio necesse est quod actus sit supernaturalis ex principio; scilicet, quod eliciatur sub influxu gratiæ. Utrum vero supernaturalis esse debeat etiam ex motivo, hoc sensu, quod motivum referatur ad Deum, vel cognoscatur per fidem, seu utrum ad supernaturalitatem actus requiratur quoque supernaturalitas motivi, inter theologos controvertitur. Sententia certe communior et probabilior affirmat. Nititur præsertim testimoniis sacræ Scripturæ, quibus ad præmium supernaturalem exigi videtur, ut actus naturaliter boni ponantur ex mo-

9) Cf. Ballerini *Num. 202, sequ.*; Noldin *102, sequ.*
10) S. Thomas *De malo. Qu. 2, Ob. 10.*
11) Concilium Trid. *Sess. VI. Cap. 5-8.* — Cf. Arregui *Num. 29, sequ.*

tivo fidei. Ita: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet;* et *Justus ex fide vivit.... Sine fide impossibile est placere Deo* 12; etc. 13.

Verum sua probabilitate non caret sententia opposita; juxta quam omnis actus hominis exsistentis in statu gratiæ, si non sit peccatum saltem veniale, jam bonus est, et supernaturalis ex suo principio, et meritorius 14. In hac sententia, si quis, exsistens in statu gratiæ, actum misericordiæ in pauperem exerceat, nihil cogitans de Deo, nec de præcepto divino, nec de præmio a Deo promisso misericordibus, hic et agit bene, et præmium meretur coram Deo: non enim peccat 15.

Ceterum hujus quoque sententiæ fautores docent suadendum esse fidelibus, ut sua opera bona motivis supernaturalibus, ac præsertim motivo caritatis in Deum, honestare studeant: hac enim ratione, nedum certius merebuntur, sed et longe uberiora merita apud Deum sibi cumulabunt pro vita æterna.

12) MATTH. *X. 41. sequ.;* HEBR. *X. 38.* Vide et MATTH. *V. 46;* MR. *IX. 40;* ROM. *II. 7;* COLOSS. *III. 23.* — Cf. CONC. TRIDENT. *Sess. VI. Cap. 16.*

13) Ita cum pluribus veteribus S. LIGORIUS *Opera dogm. contro gli eretici Sez. VI. Num. 88;* ac plures theologi. E recentibus hanc sententiam tenent LEHMK. *Num. 258;* BOUQUILLON *Theol. fundam.* pag. 674; probabiliorem eam habent, TANQU. *197* et alii. — Cf. etiam MANNAJOLI *De conditionibus ad meritum requisitis.*

14) Hanc propugnant BALLERINI *Num. 202, seqq.;* NOLDIN *104*: eam probabiliorem habet GÉN. *44*: de facto eam præfert FERR. *Qu. 8. Num. 89.*

15) At confer dicta superius *Num. 64 Qu. 2* in fine.

TRACTATUS SECUNDUS

DE CONSCIENTIA

70. Juxta Doctorem Angelicum, *conscientia* in genere est « scientia circa factum subjectivum ipsius scientis » [1]. Hæc scientia, si est notitia aut testificatio de exsistentia facti, dicitur conscientia *psychologica;* dicitur vero conscientia *moralis,* seu proprie *conscentia,* si considerat ipsum factum in ordine ad regulam morum, eidem notitiam regulæ applicando, et judicando num rectum sit, an non. Hujusmodi judicium fit per modum syllogismi; in quo, aut *synderesis,* aut *scientia morum,* suppeditat præmissam majorem per modum principii generalis; notitia facti in relatione ad ipsum principium suppeditat minorem; inde conscientia deducit conclusionem practicam. Exemplum sit: « Nihil prohibitum lege Dei est faciendum; atqui concubitus cum ista muliere lege Dei prohibitus est; ergo mihi ab hoc concubitu est abstinendum (vel abstinendum erat) » [2].

Hinc *conscientia* communiter definitur « judicium practicum de moralitate propriæ actionis ». Ex qua definitione patet, quod conscientia, licet quandoque sumatur pro dispositione habituali in judicando [3], tamen propriet est *actus,* non potentia vel habitus; est actus *intellectus,* non voluntatis, aut facultatis distinctæ ab intellectu: et quidem intellectus *practici;* eo quod factum considerat, non in abstracto seu theoretice, sed in concreto et practice [4].

71. Prima ac potissima conscientiæ distinctio petitur ex relatione inter ipsum judicium, et factum vel actionem. Si judicium fiat circa actionem hic et nunc ponendam, conscientia dicitur *antecedens;* si circa actionem jam positam, dicitur *consequens.* Prioris est consiliari, dirigere; ea dicitur inducere, instigare, ligare: alterius est actionem discutere, examinare; et ea dicitur increpare, accusare, remordere, vel e contrario excusare, defendere. Quapropter norma ad agendum non poterit esse, nisi conscientia antecedens: quæ proinde *conscientia* sensu maxime proprio appellatur, ac definiri solet « judicium seu dictamen practicum

1) Tractant S. THOMAS *1. 2. Qu. 19,* et *De verit. Qu. 17, In II. Distinct. 24 Qu. 2 art. 4;* S. LIG. *Lib. I. Tract. I.;* BALL. I. *Tract. II.;* erudite TANQU. I. *Num. 349-424;* BUCC. Comment. II. *De conscientia.*

2) S. THOMAS *P. 1. Qu. 79 art. 11,* et *De verit. Qu. 17 art. 1, 2.*

3) Ita dicimus quempiam esse virum conscientiæ delicatæ, scrupulosæ, laxæ, etc. — Cf. BALLERINI *Num. 10.*

4) Cf. MARC *Num. 13;* TANQU. *Num. 350.*

rationis, quo quis judicat quid hic et nunc agere possit vel debeat ut bonum, aut vitare ut malum » 5. De hac coscientia agunt theologi morales.

Ratione relationis judicii ad veritatem objectivam, conscientia potest esse *vera* (aliis *recta*), vel *erronea* 6. Hæc subdividi solet in *scrupulosam*, et *laxam;* quamvis hæc adjectiva magis competant habitudini subjectivæ judicandi, quam ipsi judicio.

Ratione assensus in judicando, conscientia *certa* est, si mens firmiter judicat actum esse rectum, vel non rectum, absque ulla formidine de opposito; quod potest contingere etiam si conscientia simul sit erronea, dummodo erronea sit invincibiliter. Si mens judicet quidem actum rectum esse, vel non rectum, at non absque formidine de opposito, conscientia dicitur *probabilis*: si neutrum judicat, sed inter duo hæret suspensa, dicitur conscientia *dubia;* patet quod postremo casu improprie dicitur haberi conscientiam, eo quod non habetur judicium.

Demum ratione objecti, conscientia, utique antecedens, dividitur in *præcipientem*, et *permittentem*. Dicitur *præcipiens* ea, quæ dictat necessario actum esse ponendum, vel esse omittendum; in quo altero casu conscientia præcipiens omissionem dicitur a quibusdam *prohibens*: dicitur conscientia *permittens* ea, quæ dictat nullam adesse obligationem, sive ponendi actionem, sive omittendi.

Dicemus: 1.° De efficacia conscientiæ certæ; 2.° de necessitate conscientiæ certæ ad agendum bene; 3.° de mediis efformandi sibi conscientiam practice certam; speciatim vero, 4.° de modo efformandi sibi conscientiam practice certam in casu opinionis probabilis: demum 5.° pauca addemus de conscientia scrupulosa et de laxa.

CAPUT I.

DE EFFICACIA CONSCIENTIÆ CERTÆ

72. **Principia. 1.** Conscientia certa de honestate actionis hic et nunc ponendæ est norma proxima agendi et recta: si ea conscientia sit vera, est norma recta *per se;* si sit erronea, est norma recta *per accidens*. Ratio prioris evidens: ratio alterius est, quia « actus humanus judicatur virtuosus (vel vitiosus) secundum bonum (vel malum) apprehensum, et non secundum materiale objectum actus » 1.

5) S. LIGORIUS *Num. 2.* — De definitione rosminiana, qua contenditur conscientiam esse *judicium speculativum*, cf. BALL. *Num. 5.*

6) Quidam appellant conscientiam *veram*, quæ est conformis veritati objectivæ; *rectam*, quæ fit juxta regulas prudentiæ; ita MARC *Num. 15.* Aliis *recta* eadem est quæ *vera*, apud LEHMK. *Num. 42;* at forte minus proprie.

1) S. THOMAS *Quodl. III. art. 27.* Cf. S. LIGORIUM *Num. 5, sequ.*

II. Homo tenetur sequi conscientiam certam præcipientem, sive objectum præcepti sit actio, sive sit actionis omissio; si contra agat, male agit et peccat, aut *per se*, aut *per accidens*: vere enim ejusmodi conscientia eum ligat [2].

III. Homo potest sequi conscientiam certam permittentem; sive vera sit, sive erronea; at, si contra agat, non agit male.

73. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* 1.ª Bene agit et, ceteris suppositis, meretur [3], tum qui eleemosynam ex bonis suis largitur, tum qui largitur ex alienis, censens id et licitum esse et bonum, deficientibus suis.

2.ª Idem verum est etiam, si error versetur circa factum: ita virtutem caritatis exercet, qui eleemosynam facit ex bonis alienis, putans ea esse sua: item, qui reverentiam exhibet superiori putatitio, virtutem exercet observantiæ.

74. *E Princ. II.* — 1.ª Si cui conscientia dictat se teneri ad mentiendum vel ad furandum ut proximo subveniat, peccat contra caritatem, si non mentiatur vel non furetur: mentiendo, furando, agit bene, et, si sit in gratia, meretur.

2.ª Generatim peccatum commissum ex conscientia erronea habet eamdem speciem malitiæ, quam commissum ex conscientia vera [4].

3.ª Hinc: Qui putat esse jejunium, quando non est, non jejunans peccat contra legem Ecclesiæ.

4.ª Qui percutit hominem, falso exsistimans ipsum esse sacerdotem, reus est sacrilegii; ita et qui in confessione tacet actum in se indifferentem, existimans esse peccatum. Eadem ratione reus est blasphemiæ, qui in vanum sacra usurpat, censens eas usurpationes esse vere blasphemias; reus est adulterii, qui fornicatur cum soluta, putans eam esse conjugatam; etc.

5.ª At non sunt censendi habere vere conscientiam peccandi, qui faciunt ea, quæ vitare prorsus non possunt; quamvis de iis quandoque confiteantur [5]. Ita non est censendus ex erronea conscientia peccasse, qui Missam die festo omisit, eo quod carcere detineretur aut gravi opprimeretur infirmitate; nec qui invitus passus est cogitationes blasphemas, irreligiosas, inhonestas; nec qui distractiones habuit involuntarias in orando vel in celebrando; nec qui præceptum aliquod omisit ex ignorantia inculpabili, vel ex perfecta oblivione aut inadvertentia.

75. *Ex Princ. III.* — 1.ª Qui putat sibi propter levem indispositionem feria sexta carnes permitti, iisdem vescens non peccat; at profecto nec peccat abstinens.

2) S. THOMAS *De verit. Qu. 17 art. 3, 4*, et alibi. Cf. BALL. *Num. 13-20.*
3) De quorumdam cavillationibus cf. S. LIGORIUM *Num. 7;* BALL. *22-26.*
4) BALLERINI *Num. 20;* NOLDIN *210, 2;* GEN. *48.*
5) NOLDIN *Num. 210, 2;* BALL. *27, 47.*

2.ª Puer super seipsum habens actus illicitos, ipsamque provocans pollutionem, non peccat, si de horum malitia nullam habeat conscientiam 6. Idem dicendum in hypothesi (quibusdam haud impossibili), quod quis, nihil dubitans, putet operis mali desiderium deliberatum non esse malum, si opus ipsum non fiat 7.

3.ª Quoties obligatio aliqua evidens sit, inaniter quis cavillationibus studebit sibi efformare conscientiam contrariam. Ita frustra laborabit judex ut ferat sententiam injustam, parochus ut a verbi Dei prædicatione et frequenti sacramentorum ministratione se eximat, negotiator ut lucrum excessivum referat, operarius ut iniquam extorqueat mercedem, etc.: in his et similibus casibus conscientia permittens absurda est; non enim possibilis est bona fides.

4.ª Ea, quæ voce neoterica dicitur *libertas conscientiæ*, est hominis independentia a quocumque legislatore et ab ipso Deo, damnata a Pio IX in Encyclica *Quanta cura* et in Syllabo. Ad rem S. Thomas: « *Deus reliquit hominem in manu consilii sui*: non, quia licet ei facere omne quod velit; sed quia ad id, quod faciendum est, non cogitur necessitate naturæ,... sed libera electione ex proprio consilio procedente; et, sicut ad alia facienda debet procedere proprio consilio, ita etiam ad hoc quod obediat suis superioribus » 8.

76. **Consectaria practica.** — *De efformanda sibi conscientia vera, et emendanda erronea.* — 1.° Eo ipso, quod conscientia est norma proxima agendi, ac eatenus *per se* efficax est, quatenus intellectus exhibet agenti normam remotam, quæ est norma objectiva et vera, ideo quisque tenetur sibi pro viribus conscientiam veram acquirere, ut ejus actiones, nedum non sint malæ subjective, sed et objective ac realiter conformes sint legi æternæ Dei. Similis obligatio incumbit parentibus in educatione filiorum, institutoribus in educatione alumnorum, parochis et confessariis in exponendo veritates practicas parochianis et pœnitentibus 9.

2.° Moralitas, quam actio (vel omissio) habet ex conscientia vera, est moralitas materialis simul et formalis; at, quæ facit actionem (vel omissionem) esse bonam vel malam in subjecto, eique meritum vel demeritum parit erga Deum, est bonitas vel malitia formalis. Porro hanc eamdem tribuit actioni (vel omissioni) conscientia certa erronea; dum eam ipsi non tribuit veritas objectiva judicii.

Hinc patet: *a*) Quam funesta sit agendi ratio matrum, nutricum, monialium quoque et quorumdam confessariorum, qui, ut a levibus pue-

6) Dari posse conscientiam erroneam et simul certam circa præcepta quædam juris naturæ, demonstrat S. Ligorius *Num. 8*, et *De legibus 170*. — Cf. Gury *Casus Num. 37-42*.

7) Cf. Ballerini *Num. 44-46c*. — At hypothesim vix possibilem habet S. Ligorius *Num. 9*.

8) S. Thomas *2. 2. Qu. 100 art. 1. ad 1.*

9) Cf. Tanquerey *Num. 422-427*.

ros et puellas absterreant, eisdem ceu digna gehenna obtrudunt, quæ levia aut levissima sunt, et forte ne peccata quidem venialia. — *b*) Patet etiam, quam stricte teneantur parochi et confessarii emendare in mentibus fidelium conscientiam erroneam præcipientem; scilicet, ea judicia erronea, quæ possunt esse causa peccatorum formalium, sive gravium, sive levium; dum e contra non semper tenentur emendare conscientiam erronam permittentem; scilicet, ea judicia erronea, ex quibus prævidentur commisuri esse peccata quædam materialia.

3.° Quia confessarius vi officii sui judicare debet de peccatis pœnitentis, et præcise de iis, quorum malitia sit formalis, non raro anceps hærebit, quando pœnitens videatur illicita patrasse cum aliquali bona fide. Interroget in primis, num de malitia ullam habuerit suspicionem; num curaverit dubitationes solvere; num doctiorem interrogaverit, vel cur ab interrogando abstinuerit, etc. Ex responsis colliget quid judicet 10: quod si nihil certi extundere valeat, studeat pœnitentem excitare ad dolorem de omnibus peccatis, prout sunt coram Deo, ac pœnitentem absolvat: communiter in hoc casu pœnitens pro futuro admonendus erit. Casus possent esse de puero quoad actus impudicos, de adulto quoad violationes legum Ecclesiæ, de parocho vel quocumque officiali suum munus non rite obeunte; etc: vir militaris dubitare forte poterit de illiceitate duelli.

CAPUT II.

DE NECESSITATE CONSCIENTIÆ CERTÆ AD BENE AGENDUM

77. Conscientia certa est judicium de bonitate vel malitia actionis hic et nunc ponendæ, absque ulla formidine errandi: ipsa firmitas judicii est *certitudo*.

Omissa certitudine metaphysica et physica, in rebus moralibus attenditur maxime certitudo *moralis*, quæ innititur legibus et moribus communibus inter homines. Hæc certitudo, si adeo legibus communibus fulcitur, ut excludat quemcumque timorem errandi dicitur *certitudo moralis perfecta*: si iisdem adeo fulciatur, ut errandi excludat timorem prudentem, dicitur *certitudo moralis imperfecta*. Ita de exsistentia Americæ, quam numquam vidi, certus sum perfecte: quod amicus meus, quem semper fidissimum comperi, non tradet me sine causa, certus sum imperfecte. Hæc distinctio petitur ex diversa firmitate judicii.

Ratione causæ, certitudo est *directa*, si obtinetur per argumenta ipsi rei intrinseca: est *indirecta*, si per argumenta extrinseca, puta per argumentum auctoritatis. Ita de justitia alicujus contractus possum esse certus, sive eo quod ejus terminos optime nosco eosque video normis justitiæ cohærere, sive eo quod scio ipsum justum haberi a viris timoratis ac doctis. — Sæpe dicitur etiam *indirecta* ea certitudo practica, quæ acquiratur per principia reflexa.

10) GURY *Num. 38*, et *Casus 37*; BALL. ad Gury *Num. 38, 1*.

78. **Principia. I.** Quoties homo agit, debet pro certo judicare se agere bene [1]. Qui enim agat haud certus se agere bene, hic actionem vult etiam in hypothesi quod sit mala; quare hæc ejus volitio mala est. Adde omne, *quod non est ex fide peccatum est* [2]; porro *fides* heic est conscientia, seu certa persuasio de liceitate actionis ponendæ.

II. Ad agendum bene, sufficiens est de bonitate actionis certitudo moralis late sumpta; quæ, nempe, pro rei natura excludat prudentem timorem errandi: plerumque enim hæc sola in humanis haberi potest [3].

79. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Male agit, non solum qui certo scit se agere male, sed et qui agit dubitans, num actio sua sit bona vel mala. — Hinc:

2.ª Qui in emenda merce de legitimitate monetæ papyraceæ a se solvendæ certus non est, peccat, si eam solvat venditori de honestate emptoris ne minimum quidem dubitanti.

3.ª Qui, cum ne latissime quidem certus sit horologium inter res Titii exsistens esse suum, ipsum sibi arripiat, furti reus est, etiam si de facto suum sit.

80. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non peccat sacerdos, qui Missam celebret cum vino empto apud Cajum, quem a pluribus annis novit honestissimum esse; et hoc, etsi forte contingat vinum esse spurium.

2.ª Ut confessarius pœnitentem licite absolvat, satis est quod de ejusdem dispositionibus habeat certitudinem moralem late sumptam; prudenti probabilitati æquivalentem, innixam indiciis probabilibus.

CAPUT III.

DE MEDIIS AD EFFORMANDAM SIBI CONSCIENTIAM

81. Aliquando judicium practicum de honestate actionis ponendæ efformari potest immediate; eo quod vi motivorum internorum, aut saltem vi auctoritatis, mens cognoscit obligationem exsistere, vel non exsistere. Verum haud raro contingit, quod mens, omni diligentia adhibita, exsi-

1) Hanc necessitatem negant adversarii Probabilismi; ex gr., DANIELI *De probabilismo.. exterminando* pag. 76, 80, 83, etc. (Romæ 1887). Quomodo id eis necesse sit, vide apud BALL. *Num. 72-80,* et ad Gury *Num. 66, 13.*

2) ROM. *XIV. 23.* Est ea, quæ a jurisperitis ac theologis in materia justitiæ dicitur *bona fides* in oppositione ad fidem *malam* et *dubiam.* Cf. D'ANN. *Num. 262, 9.* — Ceterum, licet *Principium* apud omnes theologos certissimum sit, non eadem apud omnes assignatur ejusdem ratio.

3) S. THOMAS *I. 2. Qu. 96 art. 1,* et *Qu. 105 art. 2 ad 8;* item D'ANN. *Num. 130.*

stentiam vel non exsistentiam obligationis dignoscere non valeat; sive eo quod propter defectum aut æqualitatem rationum pro utraque parte cogitur judicium suspendere, ac ita anceps hæret, quandoque inter obligationem et non obligationem, quandoque etiam inter duas obligationes oppositas; sive eo quod propter gravitatem, at non certam vim, rationum cogitur in unam partem inclinare, non sine formidine errandi [1]. In primo casu, judicio obstant *dubium* et *perplexitas;* in altero, judicii certitudini obstat utriusque partis *probabilitas.* — Modo quærimus quid agendum sit: *a*) in casu dubii et perplexitatis; *b*) in casu judicii non certi, seu opinionis probabilis.

ART. I. — De dubio et perplexitate

82. *Dubium* est « suspensio assensus inter opposita »; et tunc habetur, cum mens, inter duos terminos contradictionis constituta, hæret in neutram partem declinans. Id potest contingere, tum proper apparentem æqualitatem rationum pro utraque parte, tum propter defectum rationum: in primo casu dubium dicitur *positivum,* in altero *negativum* [2].

Utrumque dubium, in re nostra, versari potest circa *jus,* seu exsistentiam legis obligantis; vel circa *factum* particulare, cui lex sit applicanda. Patet dubium negativum circa jus reduci ad inanem suspicionem prudenti fundamento destitutam; dubium vero negativum circa factum reduci ad nescientiam vel ignorantiam.

Dubium, etiam quod pro objecto habeat agibilia, dicitur *speculativum,* si versatur circa exsistentiam obligationis in abstracto; dicitur vero *practicum,* si versatur circa applicationem obligationis ad actionem hic et nunc ponendam [3]. Ita speculative quæram de obligatione dandi eleemosynam indigenti; practice quæram num ego hic et nunc tenear huic petenti dare eleemosynam. Patet conscientiæ, quæ est dictamen practicum, non opponi *per se* et *immediate* dubium speculativum; opponi vero dubium practicum, adeo ut in eo casu conscientia ipsa dicatur *practice dubia.*

Dubium de ratione agendi inter duo præcepta incompossibilia et simul urgentia vocatur *perplexitas.*

83. **Principia. 1.** Qui agit cum conscientia practice dubia de honestate actionis (aut omissionis) a se hic et nunc ponendæ, agit male et peccat. Ratio est, quia hic agit absque conscientia certa, ac ideo actionem illam vult etiam in hypothesi quod sit mala,

1) Cf. S. Thomam *De verit. Qu. 14 art. 1;* Ball. *Num. 53.*
2) S. Thomas *2. 2. Qu. 2 art. 1;* S Ligorius *Num. 20.*
3) Quidam ponunt dubium pure *speculativum* circa non agibilia, *speculative-practicum* circa agibilia in abstracto, *practice-practicum* circa determinatum agibile hic et nunc agendum.

ac proinde actionem malam vult ac volitio mala est, saltem implicite et virtualiter [4].

II. Qui de liceitate alicujus actionis (aut omissionis) dubitet dubio speculativo, tenetur, aut adhibere diligentem inquisitionem ad dubium deponendum, aut sequi viam tutiorem. Si, neutrum præstans, actionem ponat (vel omittat), agit male et peccat [5]; agit enim cum conscientia practice dubia.

III. Qui inter duo præcepta perplexus est: *a*) tenetur, antequam agat, doctiorem consulere; *b*) si agendi urgeat necessitas, nec liceat doctiorem consulere, illud eligere tenetur, quod sibi minus malum esse videtur; *c*) si minus malum discernere non valeat, eligat quod lubet; numquam enim datur peccandi necessitas [6].

84. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Peccatum, quod committit qui agit cum conscientia dubia, habet eam speciem moralem malitiæ, de qua dubitat. Ita percutiens hominem, de quo dubitat (dubio vero, seu positivo) num sit sacerdos, facit sacrilegium.

2.ª Qui peccat cum femina, dubitans num ea sit sibi consanguinea, aut sit conjugata, peccat peccato incestus, aut adulterii.

3.ª Peccat contra legem Ecclesiæ, qui carnes comedat, dubitans num hodie id sibi liceat: idem dic de casibus similibus.

4.ª Idem peccatum in casu dubii habet eam gravitatem, de qua agens dubitat. Quare, si furans francos quinque dubitet, num præ conditione personæ damnificatæ hoc furtum sit grave, graviter peccat.

5.ª Qui ponit actionem in se graviter malam, sciens eam esse malam, sed ad ejus gravitatem nullatenus advertens, nec advertens periculum peccandi graviter, hic non graviter peccat; e contra peccat graviter, si, non advertens gravitatem rei in se, tamen advertat periculum graviter peccandi.

85. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui dubitat, num hodie sit dies esurialis, an non, antequam carnes comedat, tenetur alios interrogare; at, neminem interrogando, licite comedere potest legumina.

2.ª Item, qui dubitat, num fenus quoddam ex mutuo, quod a se indigens petit, sit usurarium, an non, interrogare debet peritum; vel, neminem interrogans, potest exigere lucrum inferius et certe licitum.

3.ª Si quis interrogare non possit, aut interroget frustra, certe ei licet ab actione abstinere; at, si causa aliqua adsit agendi, facile et connaturaliter sibi conscientiam practice certam efformabit per principia re-

4) Cf. D'Annibale *Num. 143, 7* et *Num. 252.*

5) Quid agendum, si dubium solvi nequeat, dicimus inferius. — Cf. Tanquerey *Num. 382.*

6) S. Ligorius *Num. 10;* Gury *43* et *Casus 43, seqq.*

flexa. Ita, si mulier de die esuriali dubitare cœperit emptis jam carnibus, et a duabus personis interrogatis responsa contraria habuerit, facile sibi persuadebit se posse eas carnes parare ac familiæ comedendas apponere.

4.ª Inepte quis de peccato a se commisso, vel non, angeretur et quæreret post factum. Non enim ex hac consequenti notitia pendet moralitas actionis jam positæ, sed a dictamine practico præcedenti. Tamen hæc notitia juvabit ad efformandam sibi conscientiam pro actionibus subsequentibus.

86. *Ex Princ. III.* — 1.ª Testis, qui jam ante processum dubitat, num ipse, facile ad tribunal vocandus, ad damna familiæ impedienda teneatur mentiri, an vero mentiri prohibeatur, interroget parochum vel confessarium: si neminem interrogans adeat tribunal, peccat, sive verum dicat, sive mentiatur: at reitas hujus peccati erit in causa. E contra, si dubitare incipiat post judicis interrogationem, nullatenus peccat, eligens id, quod ipsi minus malum esse videur, sive hoc sit mendacium, sive damnifica testificatio.

2.ª Pari ratione non peccat sacerdos, si timeat se peccaturum repetendo formam consecrationis, et se peccaturum non repetendo; item confessarius, qui timeat se peccaturum absolvendo pœnitentem dubie dispositum, et se peccaturum non absolvendo.

ART. II. — De judicio non certo

87. Ex dictis, quoties quis dubitat de honestate actionis (vel omissionis) a se ponendæ, tenetur dubium deponere, ut conscientiam sibi efformet practice certam, qua judicet se agere bene. Porro potest contingere, quod quis, facta debita inquisitione, nequeat certitudinem sibi acquirere; sed, dum ex quibusdam motivis colligeret obligationem exsistere ac ad actionem ponendam extendi, ex aliis videatur sibi affirmandum esse contrarium. Hic est casus opinionis probabilis, qui practice et in concreto parum vel nihil distat a casu dubii speculativi 7. Quærendum itaque est, qua ratione ab hoc statu opinionis probabilis, seu judicii speculativi non certi, transitum quis facere valeat ad judicium practice certum.

Porro quidam dixerunt in eo casu semper agendum esse juxta hypothesim, quod obligatio exsistat; nempe semper agendum esse pro lege, quantumvis levissima sint motiva pro ejusdem exsistentia et extensione ad actionem (vel omissionem) ponendam. Juxta horum systema, si pro liceitate cujusdam actionis (aut omissionis) habeas argumenta viginti, ac vix unum et infirmum pro illiceitate, teneris ab ea actione (aut omissione) abstinere; secus peccas. Hoc systema, eo ipso quod vult absolute semper sequenda esse tutiora, dicitur *Tutiorismus absolutus*, damnatus

7) Ita S. Ligorius *Num. 20.* — Cf. Ball. *53 Nota a*, pag. 146.

ab Ecclesia: « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam » 8. Ab eo nonnihil distat *Tutiorismus mitigatus;* qui permittit agere contra legem, quando pro ejus exsistentia et extensione ad actionem ponendam non habentur nisi motiva levissima, ac proinde spernenda. Hoc systema necessario in præcedens recidit: utrumque vero, dum vult humanam libertatem coarctare et quodcumque legis violandæ periculum avertere, auget peccata, hominesque in desperationem impellit 9.

Directe huic systemati opponitur *Laximus;* juxta quem, numquam coarctanda est homini agendi libertas, nisi evidentissime constet obligationem exsistere: etsi levissimæ sint rationes dubitandi de exsistentia legis ejusque obligatione, amplissima datur facultas agendi pro lubito. Hoc quoque systema damnatum 10; at catholicorum theologorum nullus ipsum theoretice propugnavit.

Hisce systematibus eorumque auctoribus omissis, considerandus est casus, quo et pro obligatione et pro immunitate ab obligatione militent rationes aliquæ vere graves et solidæ; adeo ut obligationis exsistentia pro eo casu determinato, et prudenter affirmari possit, et simul non imprudenter negari. Scilicet est casus, quo duplex habetur opinio, utraque vere probabilis; una pro obligatione, altera pro libertate: adhuc enim in hypothesi hujus casus, haud sane infrequentis, theologi in diversas abeunt sententias. — Necesse est ergo de hac re fusius agere.

CAPUT IV.

DE OPINIONE MORALI PROBABILI

88. *Opinio* in genere definitur « actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine de veritate alterius » 1. Verum *opinio* generatim a theologis accipitur *objective* pro ipsa parte contradictionis seu pro propositione, cui intellectus adhæret: hæc autem tunc dicitur esse *probabilis,* cum habet pro se motiva adeo gravia, ut quandoque contingere possit eam *probari,* seu demostrari esse veram. Quod si hæc motiva adeo gravia sint, ut jam probent eam esse veram, et consequenter excludant formidinem de veritate partis oppositæ, tunc, non opinio probabilis habetur, nec proprie opinio, sed *sententia* certa. — Pars ea, quæ aut nullum pro se habeat motivum grave, aut grave, sed valde dubium, dicitur esse opinio *improbabilis*: haud enim facile probari poterit esse vera, licet absolute loquendo id contingere posset 2.

Dicendum: *a*) de natura probabilitatis; *b*) de efficacia; *c*) de usu.

8) Est *Prop. 3* damnata ab Alexandro VIII, apud DENZIGER *Num. 1293.*
9) Cf. TANQUEREY *Num. 399, sequ.*; NOLDIN *229, 232.*
10) Ex *Prop. 3* damnata ab Innocentio XI: « Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quamvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus ».
1) Ex S. THOMA *P. 1. Qu. 79 art. 9 ad 4.*
2) Cf. BUCCERONI Comm. *De conscientia Num. 33, seqq.*

ART. I. — DE NATURA PROBABILITATIS

89. *Probabilitas est* « vis motivorum (moventium), quæ intellectum inclinant ad præstandum assensum uni parti, licet non absque formidine de veritate partis oppositæ » ; scilicet, est complexus indiciorum veritatis, quæ pro se habet opinio, quæque movere possunt virum prudentem ad eidem assentiendum, licet non firmiter.

Probabilitas ratione fontis, alia est *intrinseca*, alia *extrinseca*. Prior est quæ innititur motivis ex natura rei depromptis ; altera, quæ innititur motivis extrinsecis, scilicet auctoritati doctorum et eruditorum in ea re. — Utraque potest esse *major*, vel *minor*.

Ratione objecti, probabilitas alia est *juris*, alia *facti* : prior versatur circa exsistentiam obligationis ejusve sensum, extensionem, durationem vel cessationem, etc. ; altera circa factum.

Ratione sui probabilitas dicitur *solitaria* vel *absoluta;* si opinio, quæ probabilis esse dicitur, consideratur in se et in motivis, quibus innititur : dicitur vero *comparativa* vel *relativa;* si opinio quædam consideretur in comparatione cum probabilitate oppositæ.

Ratione gradus firmitatis in assentiendo opinioni, probabilitas alia *certa* est, alia *dubia* vel *probabilis*. Item potest esse talis, tum *objective*, tum *subjective*, seu privatim alicui.

Item ratione gradus, probabilitas comparative considerata, potest esse *major*, vel *æqualis*, vel *minor*, præ probabilitate opinionis oppositæ ; prout innititur motivis solidioribus, vel æque, vel minus solidis, quam opposita. Quapropter ipsa opinio poterit esse *probabilior*, vel *æque probabilis*, vel *minus probabilis*, quam opposita, juxta diversam vim motivorum. — Opinio autem probabilior, et ipsa poterit esse talis *paulo*, vel *multo*, vel *notabiliter* : dicitur vero *maxime probabilis* vel *probabilissima* ea, quæ gravissimis motivis innititur ; adeo ut pro opposita militare non possint nisi motiva levissima. « Probabilissima est, quæ nititur fundamento gravissimo, quapropter opposita censetur esse tenuiter vel dubie probabilis » 3.

Ratione securitatis vel periculi, probabilitas alia est *speculativa*, alia *practica*. Illa convenit opinioni consideratæ in se quoad suum objectum principale ; ista opinioni consideratæ in concreto cum adjunctis ab objecto communiter inseparabilibus. Sic opinio, quod mulier vi oppressa sub gravi timore possit negative se habere, probabilis est speculative : at non ab omnibus habetur ut probabilis practice, propter facile periculum consentiendi. Ita, quod viro honorato liceat occidere calumniatorem in re gravi, quando hæc est unica via avertendi calumniam, quibusdam videtur esse probabilis ; eo quod sub eadem hypothesi liceret eodem medio defendere sua bona temporalia magni momenti ; at opinio est practice

3) Cf. LEHMKUHL *Num. 79, 2;* NOLDIN *209;* BALL. II. *Tract. VI. Sect. V. 72.*

nimis periculosa, et ideo practice non habetur a quibusdam ut probabilis 4.

Demum ratione relationis ad legem, opinio poterit esse *tuta, tutior, minus tuta*: illa favet legi absolute; ista magis; hæc minus, quam opposita.

90. Inde liceat clarius definire naturam probabilitatis et opinionis probabilis:

1.° Ad hoc, ut opinio sit vere probabilis, requiritur et sufficit, quod habeat pro se motivum aliquod grave et solidum, ex quo argui possit, quod ea posset probari esse vera; minime vero requiritur, quod motivum adeo grave sit, ut eam esse veram jam probet. — Hinc: *a*) Non est neganda cujuspiam opinionis probabilitas ex eo, quod et opposita probabilis aut etiam probabilior sit: major enim probabilitas non elidit minorem 5. — *b*) Opinio quæpiam probabilis fit certa, quando ejus argumenta fiant demonstrativa, ac argumenta pro opposita plane evanescant: hoc autem potest contingere, sive ex ipso scientiæ moralis profectu, sive ex accedente declaratione Ecclesiæ, sive (in re positiva) ex novo decreto aut declaratione extensiva. — *c*) Opinio probabilis tunc omnem probabilitatem amittit, cum ex similibus eventibus accedant argumenta demonstrativa opinioni oppositæ, quæ proinde fiat moraliter certa. — Ceterum, *d*) quia in moralibus parum pro nihilo computatur, non dicitur a theologis esse vere probabilis opinio, cujus probabilitas sit tenuis vel levis; cujus nempe probabilitas eo reducitur, ut non constet positive eam opinionem esse falsam, nec repugnet eam esse veram. — *e*) Eadem ratione opinio, quæ sit probabilissima vel notabiliter probabilior quam opposita, vix distat ab opinione moraliter certa, certitudine morali late sumpta.

2.° Probabilitas extrinseca est vera probabilitas; non quidem ex se, sed ex eo quod doctores in aliquam sententiam concedere non potuissent, nisi novissent gravi aliquo argumento illam fulciri: aliis verbis, probabilitas extrinseca supponit adesse intrinsecam. Quare, si progressu temporis nutet ista, nutat et illa; quin et omnis probabilitas cessat, quando constet deesse intrinsecam 6.

3°. De intrinseca probabilitate juris generatim judicare possunt soli viri doctissimi; e contra vir etiam mediocriter doctus judicare potest de extrinseca, dummodo statum quæstionis rite cognoscat 7. Quare maxime interest determinare quid requiratur et sufficiat ad determinandam alicujus opinionis extrinsecam probabilitatem. — Itaque: *a*) Probabilis certe est ea opinio, quæ ut vera tenetur a quinque vel sex theologis probitate

4) S. Ligorius *Num. 40.* — Patet inter opinionem *notabiliter* vel *multo probabiliorem*, et *probabilissimam*, vix quidquam discriminis adesse, ac proinde lites quandoque esse posse de verbis.

5) « Pondus decem librarum minime efficit, ut pondus octo librarum in altera lance positum non sit, et vere etiam grave dicatur ». S. Ligorius *Dissertatio pro usu moderato opinionis probabilis Num. 13.*

6) Cf. Noldin *Num. 236.*

7) Ballerini *Num. 121;* et ex eo communiter recentes.

et scientia præstantibus 8; nisi certa quæpiam ratio in contrarium habeatur, puta declaratio quædam posterior S. Sedis contraria. — *b*) Item certe probabilis est opinio, quæ a pluribus gravibusque theologis habetur ut probabilis. — *c*) Imo, si unicus auctor omni exceptione major, affirmet opinionem aliquam esse probabilem, afferens pro ea rationes, ac simul solvens argumenta contraria, ea opinio haberi potest ut probabilis, saltem probabilitate privata agentis, licet rationum et solutionum vis non videatur esse demonstrativa 9. — *d*) Simplex fidelis, qui a parocho vel a confessario audiat contractum aliquem esse licitum, legem Ecclesiæ in casu determinato non obligare, et similia, potest hisce doctrinis tuto adhærere: sæpe enim ipse non valet per se rationes intrinsecas nosse et perpendere, neque scire tenetur quot et quales doctores eas opiniones teneant ac doceant.

ART. II. — De efficacia probabilitatis

91. Theologi catholici ad investigandum qua ratione a judicio speculativo dubio transitus fieri debeat ad judicium practice-practicum certum, seu ad conscientiam certam de honestate actionis (vel omissionis) hic et nunc ponendæ, diversas vias ineunt, quæ et ad diversas conclusiones practicas ducunt. Hæ viæ principales tres sunt, juxta diversa systemata, quæ appellantur: *Probabiliorismus, Æquiprobabilismus, Probabilismus;* hic autem potest esse *absolutus* seu *purus, moderatus, latus* 10.

Probabiliorismus docet semper in praxi sequendam esse opinionem faventem legi, dummodo opposita, favens libertati, probabilior non sit; quo in casu permittit sequi opinionem faventem libertati.

Æquiprobabilismus permittit agi posse juxta opinionem faventem libertati; dummodo hæc opinio sit æque probabilis, ac opposita favens legi: secus vul omnino observandam esse legem.

Probabilismus 11 docet semper licitum esse sequi opinionem faventem libertati, quoties hæc opinio sit vere et solide probabilis; etsi contingat opinionem oppositam faventem legi esse æquiprobabilem, imo et probabiliorem, quam sit ipsa favens libertati. Hic est probabilismus *absolutus;* non enim curat probabilitates comparativas.

Probabilismus moderatus (ne quæstiones moveantur de verbis) duplici sensu accipitur. Quidam hoc nomine intelligunt eam formam probalismi, quæ concedit licitum esse sequi opinionem faventem libertati,

8) Cf. D'Ann. *Num. 270;* ibique auctoritates S. Alphonsi et aliorum in *Nota 32.*

9) Ex declarationibus S. Sedis certe haberi potest ut probabilis opinio favens libertati, quam probabilem habuerit S. Alphonsus; excepto casu, quo ratio aliqua contraria et gravis posterius accesserit aut apparuerit. Cf. Noldin *Num. 252, sequ;* D'Ann. *Num. 16, 9.*

10) Cf. Genicot *Num. 67.*

11) A quibusdam vocatus fuit *Minusprobabilismus.* Ita Wouters *De minusprobabilismo* (1909). — At « sine ulla veritate ». Bucc. *De Consc. Num. 40.*

etiam quando opposita probabilior est, dummodo excessus gradus probabilitatis istius non sit valde notabilis [12]. Sub hac forma hic probabilismus moderatus vix distat ab æquiprobabilismo; at radicaliter et in suo conceptu differt a probabilismo absoluto, saltem ex eo quod spectandam esse vult probabilitatem comparativam. Quidam vero intelligunt hoc nomine eam formam probabilismi, quæ permittit in conflictu probabilitatum sequi opinionem probabilem faventem libertati, dummodo hæc opinio sit probabilis vere et et solide; hoc autem in oppositione ad probabilismum *latum*, qui id permittit etiam quando ea opinio sit probabilis tenuiter vel dubie [13]. Sub hac forma hic probabilismus moderatus est ipsemet probabilismus absolutus vel purus; quem inferius propugnabimus.

92. Diximus probabilismum moderatum, primo sensu acceptum, differre a probabilismo absoluto *quod conceptum*: differt etiam, seu distat *quoad rem*? — Certe haud multum. Nam, si opinio favens libertati sit probabilis vere et solide, opposita poterit quidem esse vere et solide probabilis, poterit etiam esse probabilior; at impossibile est quod sit probabilior notabiliter et valde notabiliter: si hæc talis esset, ejus argumenta intrinseca et extrinseca deberent esse adeo gravia, ut non permittant opinionem oppositam manere probabilem vere et solide, nec auctores vere graves eamdem tenerent.

Imo nec adeo gravis est distantia realis inter probabilismum absolutum et æquiprobabilismum. Cum enim hoc systema concedat licitum esse sequi sententiam benigniorem, quando ipsius probabilitas sit quasi - æqualis probabilitati sententiæ oppositæ, et proinde etsi sit aliquantisper minor, per hanc concessionem accedit ad probabilismum moderatum, quem nuper diximus non adeo distare ab absoluto. Sane, quando utraque opinio, pro lege, et pro libertate, sit probabilis vere et solide ac pro se habeat rationes et doctores graves, quomodo poterit esse valde, aut etiam simpliciter notabilis inter utramque distantia?

Ceterum semper manet discrimen radicale; quod probabilismus absolutus innitiutr probabilitati absolutæ; dum probabilismus ille moderatus et æquiprobabilismus volunt esse attendendum ad probabilitatem comparativam; longe autem facilius est judicare de alicujus opinionis probabilitate absoluta, quam de comparativa.

Adest et alterum discrimen, quod probabilismus absolutus dat suiipsius rationem sibi propriam; dum aliæ formæ probabilismi innituntur rationibus propriis probabilismi absoluti [14].

93. Sit casus de dubio juris: Ego, certus me quondam adulterium perpetrasse, nunc dubio positivo, et quidem insolubili, dubito num ejusmodi peccatum umquam confessus fuerim, ac proinde utrum confiteri te-

12) Sub hac forma probabilismus proponebatur a Gury (in primis editt.), Scavini, Gousset et aliis: eum probat etiam Marc *Num. 91-95.*

13) Ita accipitur a D'Annibale *Num. 10, 197*: ambigue a Tanqu. *295-298.*

14) Cf. Noldin *Num. 233, 2, 3.*

near vel non [15]: modo paratus sum illud confiteri, si teneor; secus, si non teneor: at omnino volo non peccare. — Quid ergo?

Probabiliorista responderet: Si opinio, quæ ait te non teneri, sit probabilior, quam quæ ait te teneri, potes tacere: si ea est æque probabilis ac opposita, et multo magis, si est minus probabilis, debes confiteri; tacendo peccares.

Æquiprobabilista responderet: Si totidem vel fere totidem sunt gradus probabilitatis pro opinione quod non tenearis ac pro opinione quod tenearis, potes tacere: at, si duobus vel tribus gradibus opinio quod tenearis superat opinionem quod non tenearis, debes confiteri; tacendo peccares.

Probabilista purus responderet: Si opinio quod non tenearis est certe et solide probabilis, tacendo non peccas; etiamsi opinio opposita sit æque probabilis, imo et probabilior.

Probabilista moderatus (alius a probabilista puro) responderet: Si opinio quod non tenearis sit vere probabilis, tacendo non peccas, etsi ea sit minus probabilis quam opposita; at excipe casum, quo excessus opinionis quod tenearis super opinionem quod non tenearis sit valde notabilis: in hoc enim casu tacendo peccares. Qua exceptione probabilista moderatus accedit ad æquiprobabilistam. — Itaque:

Quæritur quodnam ex his responsis habendum sit ut rectum; sufficiens, nempe, ad efformandam mihi conscientiam practice certam, quam sequendo non peccem. Porro distinguendus est casus duplex: Primus, substantialiter alius a proposito, spectat media ad finem necessario consequendum, vel actus alicujus validitatem, vel actionem sibi aut proximo forte damnificam, etc. Alter, puta casus propositus (aliique innumeri in dubio, sive *juris*, sive *facti*), spectat solam actionis (vel omissionis) ponendæ honestatem vel inhonestatem, liceitatem vel illiceitatem, prout opponitur vel non opponitur alicui legi obliganti. — In primo casu solvendo sumus *tutioristæ;* in altero *probabilistæ puri.*

§ I. De conscientia certa efformanda, quando agitur de eligendo medio ad finem consequendum.

94. **Thesis 1.** — Quoties adest necessitas consequendi finem determinatum, ad quem plura sunt media, alia certe, alia plus minusve probabiliter efficacia, sequenda est via tutior, eligendo medium, quod certe, vel præ ceteris certius, in finem conducit [16].

95. **Expositio ac demonstratio theseos.** — Ipsa necessitas ac inde nascens obligatio consequendi finem infert obligationem adhibendi media, quæ cognoscantur esse ad eum finem efficacia; nec pro-

15) Circa factum esset: « dubito num adulterium commiserim ».
16) Cf. Gury *Num. 56, sequ.;* Marc *80-84.*

babilitas quod aliud quoque medium sit efficax, dat ei efficaciam, si forte ea careat objective. Ergo, si in eum finem duo sint media, unum certe, alterum probabiliter, seu non certe conducens, qui tenetur in finem tendere, tenetur uti medio priori; et quidem etiam in casu, quo probabilius sit alterum quoque medium efficaciam habere, quam non habere 17. Verum certitudo in rebus humanis intelligenda est moralis late sumpta. Sic sacerdos ad celebrandum certe valide sacrificium Missæ non tenetur opere suo uvas premere, vinum reponere et haurire; licet hac ratione certius ageret, quam si utatur ministerio aliorum: ejus agendi ratio adhuc potest esse moraliter certo recta.

Eadem ratione, deficientibus mediis, quæ cognoscantur certe in eum finem conducere, inter varia media probabilia eligendum est quod probabilius præ ceteris conducit; hoc enim est tutius, ac per usum hujus medii in casu proposito satis adimpletur obligatio procurandi pro viribus consecutionem finis. Itaque tenenda est via tuta; ac, deficiente via tuta, eligenda tutior. In hanc sententiam theologi omnes consentiunt.

Quæ heic dicuntur de mediis ad finem, eadem statuuntur quoque de validitate actus necessario procuranda, quando ejus validitas pendet a positione reali (non opinativa) elementorum essentialium. Item eadem statuuntur de cavendis damnis spiritualibus aut corporalibus sui ipsius, aut etiam proximi exsistentis in possessione certa sui juris; immunitas enim ad his damnificationibus non pendet ab opinione subjectiva, sed ab ipsa realitate objectiva.

Probabilitas opinionis in hisce casibus, apud S. Alphonsum et alios, dicitur esse probabilitas *facti*, et non *juris*. Quare hanc eamdem thesim propugnat sub alia forma: « Numquam est licitum uti opinione probabili probabilitate *facti cum periculo* damni alterius aut sui ipsius » 18.

96. **Resolutiones.** — 1.ª Eo quod quisque tenetur vitam æternam sibi comparare, ideo investigare debet quænam sit religio vera, in vitam æternam certo adducens; eamque debet amplecti. Hinc, quia acatholicis omnibus, oborto dubio de suæ sectæ veritate, vera ac tuta apparere debet et apparet religio catholica 19, hanc amplecti tenentur, etsi sua secta videatur sibi probabilius vera esse quam falsa.

2.ª Si cui infideli a missionariis diversarum sectarum proponantur plures formæ christianismi, ille eam formam amplecti debet, quæ probabilior sibi esse videatur.

3.ª Qui prudenter dubitet num baptizatus fuerit, aut num valide, tenetur sibi procurare certam hujus sacramenti adeo necessarii susceptio-

17) Patet hanc thesim non esse exceptionem sequentis. Data enim hypothesi necessitatis procurandi finem, obligatio adhibendi media tutiora non est probabilis, sed evidens. Cf. NOLDIN *Num. 254.*

18) S. LIGORIUS *Num. 42, 53.* — Cf. D'ANN. *Num. 131, 34,* et *265, 5.*

19) Id fateri coactus fuit Theodorus Beza. Cf. *Vie de S. François de Sales* par le curè de S. Sulpice *Livre II. Chap. 4.*

nem. Idem dicatur de obligatione parentum aut parochorum in casu, quo dubitent de Baptismo vere et valide collato filio aut parochiano.

4.ª In conferendis sacramentis minister tenetur eorum certam validitatem procurare. Hinc adhibere debet materiam certam ac certam formam, ac procurare certam unionem formæ cum materia. Hinc peccat, si sequatur opinionem probabilem 20; et quidem, etsi ea materia vel forma, etc. probabilius valida sit quam invalida.

5.ª Sacerdos in Missæ celebratione uti nequit liquore, quem probabiliter et probabilius judicat esse vinum; et, aquam vino immittens, debet esse certus se tam parvam miscere aquæ quantitatem, ut liquor in calice exsistens sit certe vinum.

6.ª Si quando in sacramento conferendo impossibilis sit usus materiæ vel formæ certæ, et in subjecto habeatur necessitas habendi sacramentum, minister adhibere debet materiam et formam certiorem, quam adhibere potest. Ratio est, non ea tantum quod secus periculum haberetur profanationis sacramenti, sed, et in primis, ea quod secus minister damnum inferret subjecto.

7.ª Generatim peccat quisquis actionem ponit, quæ non certe, at probabiliter, nociva poterit esse, aut sibi, aut proximo, sive quoad animam, sive quoad corpus et cetera bona temporalia 21. Probabilitas enim, quod actio illa forte non sit nociva, non tollit ei efficaciam nocendi, si objective nociva sit. — Hinc quoad animam.

8.ª Peccat, qui legat libros aut diaria, aut frequentet socios, a quibus probabile ei impendet periculum amittendi fidem et exuendi quemcumque sensum religiosum; item qui nomen det societati, de qua dubitet num sit massonica.

9.ª Idem dicendum de iis, qui aut teneant, aut facile adeant, occasiones honestati morum periculosas. Hac de causa S. Alphonsus confessariis suadet ut in hac materia sententias rigidiores sequantur; sic enim certius consulent suorum pœnitentium saluti 22.

10.ª Item certe peccant, qui aliis præbeant occasiones non certas peccandi; qui scribant libros parum honestos; qui operam suam præstent diariis liberalibus; qui hæc vel illos in propriam domum aut tabernam admittant; qui locent domum feminæ moribus suspectæ, etc.

11.ª Peccat confessarius, qui utatur opinione probabili, sive juris, sive facti, in materia sigilli sacramentalis. Si enim probabile est, quod hæc vel illa locutio de auditis in confessione sit contra sigillum, jam ce-

20) S. Ligorius *Num. 51;* Ball. *146.* De casu, quo Ecclesia defectum supplere possit, et reapse supplere censeatur, dicemus in tractatu *De sacramentis.* — Simili ratione, si quis lucrari omnino vult indulgentiam, peragere debet omnia ea opera, quæ ad eam præscribuntur: si ponat ea quæ sufficiunt *probabiliter,* forte lucrabitur, forte non lucrabitur; nec probabilitas sufficientiæ certam faciet indulgentiæ lucrationem. Hinc norma pro parochis, confessariis, etc

21) Exempla plura apud D'Annibale *Num. 256, 5.*

22) S. Ligorius *Lib. VI. Num. 456.* Cf. Bucceroni *De conscientia 80.*

dere potest in diffamationem pœnitentis et in odium sacramenti; quod periculum non tollitur per probabilitatem contrariam. Porro tale periculum vitari omnino debet; ergo ea locutio certe illicita est [23].

12.ª Quamvis non prorsus indubius sit diabolicus interventus in phænomena spiritistica, tamen graviter est illicitum se illis immiscere: nam id saltem probabile est; ac proinde est periculum conversandi cum dæmone nostro et humani generis hoste infensissimo [24].

13.ª Episcopus (vel qui pro ipso), antequam juvenem ad statum clericalem assumat, debet habere certitudinem late moralem de ipsius divina vocatione ac de qualitatibus intellectualibus et moralibus ad hunc statum requisitis: hinc, si ipsum promoveat, de illa, vel de his dubitans, graviter peccat contra jus Ecclesiæ et fidelium habendi sacerdotes certe idoneos [25]. — Quoad corpus.

14.ª Medicus, si remedium cognoscat infirmo certe profuturum, hoc eidem applicare debet, omisso quolibet alio, etiam probabilius profuturo, quam inefficaci au nocivo. Deficiente remedio certe profuturo, applicare debet illud, quod probabilius præ ceteris profuturum esse censet [26].

15.ª Mulier gravida tenetur vitare periculum quodcumque, etiam mere probabile, abortiendi; venator explodere non debet arma, si periculum habeatur, etsi remotum, occidendi hominem; famulus cavere debet periculum quodcumque incendii vel alterius damnificationis.

16.ª Demum judex, si non possit rei veritatem omnino perspicere, nec rem ex æquo componere, debet eam sententiam ferre, quam probabilius veram habet [27]: hæc enim tutior est.

§ II. De conscientia certa efformanda, quando speculative dubia est liceitas alicujus actionis aut omissionis.

97. **Thesis 11.** — Quoties agitur de sola liceitate vel illiceitate actionis aut omissionis, quisque licite sequi potest opinionem vere et certe sibi probabilem suæ libertati faventem, etsi opinio opposita, favens legi, sit æque probabilis vel etiam probabilior [28].

23) Bucc. *Casus Num. 12, 3.*

24) D'Ann. II *Num. 54.* — Cf. et S. Off. die 25 aprilis anno 1917, apud *Mon. eccl.* XXIX. 248.

25) Sardi *Lettera ad un Vescovo* (Roma 1906); *Monit. eccl.* XIX. 29.

26) S. Ligorius *Num. 44.*

27) Confirmatur ex damnata *Prop. 2* ab Innocentio XI: « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus-probabilem ». — S. Ligorius *Num. 47.*

28) Cf. Gury *Num. 60-68;* Sabetti *59-67;* Ferreres *116-138;* Vermeersch *360-364.*

98. **Expositio theseos.** — Attendantur quatuor hypotheses præstitutæ. Prima est, quod agatur de sola liceitate vel illiceitate actionis; non de actione, prout potest esse, vel non esse, medium efficax ad finem, aut innocua, vel nociva ipsi agenti aut aliis. Ex. gr., de sola liceitate agitur, quando quæritur, num hodie prohibeantur carnes, num carnes prohibeantur mihi infirmitate laboranti, num hoc ferculum sit ex carnibus: non de sola liceitate vel illiceitate agitur, quando quæritur, num liceat baptizare cum aqua vino commixta, num hic liquor sit aqua, etc. — Secunda hypothesis est, quod opinio favens libertati sit probabilis *vere*, h. e., solide et graviter, non tenuiter vel leviter. — Tertia hypothesis est quod eadem opinio sit probabilis *certe*, h. e., non dubie, vel tantum probabiliter [29]. — Demum, ut per se patet, opinio debet esse vere et certe probabilis ipsi agenti; hic enim debet ex ea efformare sibi conscientiam practice certam de honestate actionis (vel omissionis) a se ponendæ: ceterum satis est quod ipsi sit probabilis probabilitate extrinseca.

99. **Demonstratio.** — Hac thesi enuntiatur *Probabilismus*, et quidem *absolutus* seu *purus*: ea vero statuitur directe contra probabilioristas; qui volunt non esse licitum sequi opinionem faventem libertati, nisi hæc probabilior sit opposita favente legi: ceterum indirecte statuitur quoque contra quamcumque formam probabilismi comparativi. — Thesis demostrantur triplici classe argumentorum [30].

A. — Ex *ratione*. — Nulla est obligatio servandæ legis, nisi de ejus exsistentia certo constet: atqui non certo constat de exsistentia legis, quam vere et certe probabile est non exsistere. Ergo in eo casu nulla est obligatio ejusmodi legis servandæ; sed licitum est sequi opinionem faventem libertati. — *Minor* videtur esse evidens. — *Major* patet ex eo, quod lex non potest quempiam obligare, nisi ei fuerit per certam notitiam manifestata. « Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante scientia illius præcepti » [31]. Jamvero notitia legis, quam vere et certe probabile est non exsistere, non potest esse nisi probabilis, et proinde non scientia. « Quod sub nomine *scientiæ* intelligatur probabilis opinio, hæc est novi vocabularii nova significatio; dum philosophi omnes cum S. Thoma distinguunt opinionem a *scientia*, quæ accipitur ut *cognitio certa* alicujus veritatis » [32]. Quamobrem « si non constat de exsistentia legis.... cessat legis obligatio » [33].

Quod argumentum aliâ formâ proponi potest: Lex dubia nihil obli-

29) Modo excludimus casum probabilitatis *probabilis*, ut principium statuamus ineluctabile: ceterum de isto casu dicemus inferius.

30) Demonstratio fusior apud BALLERINI *Num. 82-132.*

31) S. THOMAS *De veritate Qu. 17 art. 3*: cf. et *1. 2. Qu. 90 art. 3.* Cf. dicenda *Num. 101.*

32) S. LIGORIUS *Lib. I. Num. 74*, et *De usu moderato opinionis probabilis Num. 76*: cf. et *Num. 63.*

33) D'ANNIBALE *Num. 162*: cf. ibidem *Notas 21, 22.*

gat: atqui lex, quam vere et certe probabile est non exsistere, est dubia; ergo obligatio ipsius nulla est.

B. — Ex *auctoritate*. — Ex quo probabilismus sub forma theseos propositus fuit a Bartholomæo Medina (circa a. 1577), innumeri theologi ex omni ordine et conditione ipsius patrocinium susceperunt; adeo ut Gonzalez a. 1656 fassus fuerit ipsum omnes fere theologos in sui assensum traxisse. Quamvis vero ab invadente eo tempore Jansenismo nonnulli theologi in transversum acti fuerint, tamen etiam postea doctrina Medinæ maximam theologorum partem pro se habuit; adeo ut per integrum sæculum ante tempora S. Alphonsi eam quasi communiter auctores tenuerint [34].

Hæc doctrina ferme communis hodie est in scholis catholicis: nominatim in scholis romanis, quæ subsunt immediatæ R. Pontificis inspectioni. In universitate Gregoriana, quo ex universo pene orbe christiano clerici erudiendi conveniunt, ut quæ Romæ didicerint in omnes scholas catholicas disseminent, probabilismus, et quidem purus, ab annis saltem sexaginta ad modum theseos certæ proponitur et propugnatur. Huc facit consensus fere universalis theologorum recentium; quorum satis sit recensere præcipuos: Gury, Ballerini cum Palmieri, Ojetti, Frassinetti, Bouquillon, Delama, Génicot, Alberti, Noldin, Bucceroni, Busquet, Llevaneras, Costantini, Vermeersch, Sabetti, Arregui, Sebastiani et alii [35].

Accedit auctoritas Ecclesiæ declarantis « nihil esse censura dignum in operibus S. Alphonsi », ac proinde posse theologum et confessarium quemquumque tuto docere et sequi opiniones, quas S. Ligorius profitetur [36]. Jamvero S. Doctor in suis operibus expresse et pluries docet omnia principia speculativa, in quibus substantia probabilismi consistit. Hæc sunt: *neminem ad aliquam legem servandam teneri, nisi illa ut certa ei manifestetur; — non posse legem incertam certam obligationem inducere; legem dubiam non obligare;* etc. [37]: quin et hæc principia sæpissime in particularibus quæstionibus solvendis applicat. Quamvis vero S. Doctor in eam formam probabilismi concessisse dicatur, quæ æquiprobabilismus dicitur vel probabilismus moderatus, tamen ejus

34) Hæc est thesis Medinæ: « Si est opiino probabilis, lictum est eam sequi, licet opposita probabilior sit ». Barth. Medina *Expos. in I. II. Qu. 49 art. 6.* — Catalogus auctorum usque ad medium sæculum XVIII, apud Ball. *Num. 122,* ex S. Ligorio *Dissert. schol. moralis* (Neapoli a. 1755). Cf. et D'Ann. *Num. 10* et *Notas.*

35) Gury *Num. 60-74;* Ball. *Num. 82-132;* Ojetti ad v. *Opinio;* Frassin. *Dissert. III;* Bouquillon *Theol. fund. 304, seqq.;* Gen. *68-74;* Alberti *31, 43;* Noldin *233-239;* Lehmk. *79-118;* Ferr. *117, seqq.;* quoad rei summam, D'Ann. *Num. 10, 11, 131, 256-263. Insuper* Rappenhoner, Goepfert, Van der Velden, Raphael a S. Joseph, Waffalaert, Haine, apud Noldin *218.*

36) Decreta apud Scavini et Marc ab initio operis sui; Lehmk. *Num. 86.* — Cf. et Pii IX Decretum 7 julii a. 1871 pro confirmatione tituli *Doctoris.*

37) Alia apud Genicot *72;* D'Ann. *261, 30* et *263, 10.*

doctrina certe est contraria probabiliorismo, contra quem directe militat thesis præsens: ac insuper inter ipsius probabilismum moderatum et probabilismum absolutum forte magis apparens, quam reale adest discrimen, ut indicabimus inferius [38].

C. — Accedit indirectum, at gravissimum, argumentum ex *incommodis*, quibus gravatur, nedum probabiliorismus, sed et quæcumque forma probabilismi innixa probabilitati comparativæ. Haud enim difficile est confessariis dijudicare, num opinio aliqua habeat pro se motiva gravia aut graves auctores; dum difficillimum sæpe est dijudicare, utrum motiva pro una opinione sint plura et graviora, quam pro opposita; utrum plures aut graviores sint auctores pro illa, quam pro ista: aliis verbis, facilius constat de probabilitate absoluta, quam de comparativa. Difficultas longe gravior erit pro fidelibus, ut per se patet. Hi ergo in casu difficultatis interrogabunt confessarium, qui eis dabit probabilitatem extrinsecam, solitariam et privatam: at, si efformare sibi debent probabilitatem comparativam, interrogare debebunt plures, at quot et quos? — Necessario itaque eis amplectendus erit tutiorismus.

Nec inde probabilioristæ ac æquiprobabilistæ probabilistas accusent, quasi hi, unice præ oculis habentes rationes pro opinione favente libertati, negligant argumenta opinionis oppositæ faventis legi. — Non enim hæc argumenta negligenda esse dicunt probabilistæ; cum et hæc perpendenda sint, ut constet de probalitate alicujus opinionis: hoc tantum dicunt, non esse curandum de comparatione inter probabilitatem comparativam opinionem oppositarum, quando, utriusque argumentis perpensis constet opinionem faventem libertati esse probabilem vere et solide; esto, quod et opposita vere et solide probabilis sit, imo et probabilior, id nihil nocet probabilitati prioris.

Gravitas incommodi confirmatur phænomeno passim occurrente, quod circa aliquod caput doctrinæ, nedum varia sint plurium theologorum judicia, sed ab uno eodemque theologo circa idem caput diversi affirmentur gradus probabilitatis. Exemplum sit ex S. Alphonso; apud quem una eademque opinio in diversis locis dicitur *probabilior, satis probabilis, non improbabilis;* alia dicitur *probabilis, probabilior,* ac tandem *quasi certa* [39]. Ab his incommodis immunis est thesis probabilistarum, et ea tantum.

38) Quænam sit probabilismi forma *Ligoriana,* difficile est definire. Quidam volunt esse probabilismum moderatum aut æquiprobabilismum: ita Auctores *Vind. Alph.*, Haringer, Scavin, Muller, De Chagy, etc. Alii volunt esse probabilismum purum: ita Ballerini, Bouquillon, D'Annibale, Génicot, Lehmkuhl, Arendt, Noldin, etc. Alii dicunt ab initio fuisse probabilismum purum, postremis annis æquiprobabilismum: ita Marc, Gaudé, etc. Demum quidam contendunt S. Doctorem primis quidem annis patrocinatum esse probabilismo; at numquam eidem adhæsisse firmiter et ex animo, sed potius ex obedientia tunc sectatum esse sententiam probabilem; ita Wouters *De systemate morali* pag. 15 (Galopiæ 1909). — Fuse Sabetti *Num. 70.*

39) Cf. D'Annibale *Num. 266 Not. 22, 23*: Gén. *Num. 73.*

100. **Objectiones.**[40]. — *Objectio* 1ª movetur *a*) a probabilioristis hac forma : Quamvis lex particularis dubne exsistens non possit obligare ex se ipsa, tamen vim obligandi accipit a lege generali, qua quisque tenetur vitare periculum transgrediendi legem particularem. Porro hoc periculum non vitatur, nisi sequendo opinionem probabilem faventem legi.

Resp. Propositio *major* a probabilioristis asseritur gratuito. Habetur quidem lex naturalis obligans ad vitandum periculum peccandi formaliter ; sed hoc periculum vitatur per conscientiam pratice certam, quæ vi probabilismi efformatur ex dubio speculativo. Obligatio vero vitandi periculum transgrediendi materialiter legem particularem non exsistit ; nec eam admittere possunt probabilioristæ ; quippe qui, sequendo opinionem faventem libertati, quando ea sit probabilior oppositâ, nullatenus vitant periculum transgrediendi eam legem : hoc periculum vitarent tantummodo tutioristæ, quales necessitate consequentiæ sunt aut fiunt probabilioristæ [41].

b) Eadem objectio a recentibus æquiprobabilistis movetur sub alia forma : Quisque tenetur sectari in agendo convenientiam cum moralitate objectiva, ultimatim cum ordinatione divina objectiva seu antecedenti : atqui hanc convenientiam non servant probabilistæ [42].

Respondemus negando *majorem;* quam nobiscum negare debent æquiprobabilistæ sinceri, si vitare volunt scopulos tutiorismi.

Simili modo respondendum alteri objectioni, quam jure opponerent tutioristæ, non jure in quæstione præsenti probabilioristæ : In dubiis adest lex sequendi tutiora.

Obj. 2.ª Nemo prudens, theologicarum disputationum ignarus, admittet sibi licitum esse peragere id, quod ipsemet, omnibus consideratis, probabilius objective inhonestum, quam honestum, esse judicet : porro qui imprudenter agat, male agit. Hinc jure a S. Alphonso reprobatur probabilistarum principium : *Qui probabiliter agit, prudenter agit* [43].

Resp. Videant æquiprobabilistæ, ne hæc ad sensum cummunem appellatio fiat contra eos a probabilioristis ac tutioristis ; quo in casu cogerentur responsionem mutuari a probabilistis. Scilicet : non agit imprudenter, qui sequitur opinionem suæ libertati faventem, quando ei vere et solide probabile est hanc suam libertatem nulla in eo casu lege coarctari : tunc enim per principium reflexum « lex dubia non obligat » sibi efformat conscientiam practice certam de honestate actionis a se ponendæ. Hinc principium illud : *Qui probiliter agit,* etc. falsum est et insufficiens, si accipiatur tamquam principium directum ad honestandam actionem : si

40) Plures alias solutas invenies apud GURY *Num. 69-74;* LEHMK. *94-106;* GÉN. *74;* NOLDIN *242.*

41) Cf. D'ANNIBALE *Num. 40, 98.*

42) WOUTERS *De systemate morali* pag. 20.

43) MARC *Num. 100, 11,;* WOUTERS pag. 19, ex S. LIGORIO *Lib. I. Num. 56.* et *Dissert. de usu moder.* etc. *58, 80.*

vero accipiatur tamquam innixum aliis principiis reflexis, vere prudens et certum est [44].

Obj. 3.ª Probabilismus ad amplectendas sententias justo benigniores ducere videtur; quod sane experientia confirmatur, cum probabilistæ plures in sententias laxas et ab Ecclesia dein proscriptas lapsi fuerint [45].

Resp. Priorem assertionem theoreticam *negamus*. Basis probabilismi est opinio vere et solide probabilis: porro ex hac basi, tamquam vi ipsius, nullum provenit sententiarum laxarum periculum; cum hæc non possint aliam originem habere, quam opinionem tenuiter vel dubie probabilem [46]. Hinc concedimus quosdam probabilistas in laxismum concessisse ex principio probabilismi male intellecto vel perperam applicato; negamus eos huc devenisse vi ipsius probabilismi: dum e contra in tutiorismum, et quidem vi sui ipsius principii, lapsi sunt plures probabilioristæ, ac in eum devenire debent quoque æquiprobabilistæ, si suis principiis cohærere volunt.

Ceterum advertit Gousset, tunc maxime in Galliis omnem moralitatem dilapsam esse, cum theologi in eam regionem opiniones rigidiores invexerunt [47].

Obj. 4.ª Ecclesia adversata est probabilismo, eumque per decreta tam doctrinaria quam disciplinaria et mixta inhibuit: nec causæ probabilismi quidquam juvat, quod Ecclesia ipsum toleraverit et toleret.

Resp. 1.° Mirum sane, quod dicatur Ecclesia inhibuisse probabilismum, qui a prima sui origine per integrum ferme sæculum (1577-1656) omnes fere theologos in sui assensum pertraxit; quem, S. Alphonso testante, « elapsi (ante ipsum) sæculi auctores quasi communiter tenuere » [48]; quem doctissimi viri contendunt nec theoretice nec practice differre a systemate S. Alphonsi [49]; quem post tot prohibitiones adhuc hodie fere omnes scholæ catholicæ sub oculis Episcoporum, et in primis scholæ romanæ sub oculis R. Pontificis amplectuntur et tradunt tamquam systema tutissimum! Hæc affirmatio, theologice et historice spectata, absurda est. Nec minus absurda est altera, quod Ecclesia probabilismum toleraverit ac toleret; verius enim diceres Ecclesiam ipsum theoretice et practice tenuisse ac tenere [50].

2.° Directe respondemus breviter ad præcipua capita objectionis.

Dicunt ergo: *a*) Alexander VII per decretum S. Inquisitionis die 24 septembris anno 1665 damnavit quasdam propositiones laxiores, quæ erant opiniones probabilistarum.

44) Cf. S. Ligorium *Dissert. cit. Num. 80;* Scavini *71, 129*: Ball. *102-104.*
45) Marc *Num. 102;* Wouters pag. 23.
46) Cf. Noldin *Num. 242;* Gén. *Num. 74 Obj. 5.*
47) Cf. Frassinetti *Manuale del Parroco nov. Num. 256, 393.*
48) S. Ligorius *Homo apostol. Tract. I. Num. 31.*
49) Noldin *Num. 251, sequ.* etc.
50) Cf. D'Annibale *Num. 263, 5.*

Resp. Alexander VII damnavit propositiones quasdam, quarum probabilitas tenuis erat aut dubia: quamvis vero scriptores quidam eas propositiones tribuerent doctoribus probabilistis, ac nominatim patribus societatis Jesu, hanc attributionem numquam affirmavit aut probavit, sive Pontifex, sive S. Inquisitio 51.

c) Innocentius XI per decretum S. Inquisitionis die 26 junii anno 1680 P. Thyrso Gonzales mandavit, ut libere et intrepide impugnaret probabilismum 52.

Resp. Innocentius XI per citatum decretum Thyrsum Gonzales excitavit ad impugnandum probabilismum, qui ab adversariis societatis, et speciatim a Jansenianis, prædicabatur futurus esse excidium totius moralis christianæ: at hoc non infert prohibitionem probabilismi, ut per se patet. Insuper idem Pontifex jussit, ut patribus societatis Jesu daretur libertas propugnandi probabiliorismum, et impugnandi, si vellent probabilismum; quam libertatem filiis suis numquam denegavit societas Jesu. Ceterum, omnia quæ tunc acta fuerunt contra probabilismum, ea faverent probabiliorismo, non æquiprobabilismo; quippe qui (saltem sub forma systematis) nondum natus erat 53.

c) Clemens XIII die 6 februarii anno 1761 probabilismum diris devovit, damnatis thesibus cujusdam parochi Avisii.

Resp. Probabilismus thesibus illis propugnatus comprehendebat quoque casum eligendi medii probabiliter efficacis ad finem absolute consequendum; insuper extendebatur quoque ad casum probabilitatis dubiæ vel tenuis; hinc jure damnatus fuit, quin ex hoc infirmata quidquam fuerit causa probabilismi legitimi, qui jam tunc a pluribus doctoribus sensu catholico propugnabatur 54.

d) Ecclesia positive commendavit atque commendare non desinit doctrinam S. Alphonsi: atqui probabilismus a S. Alphonso rejectus, impugnatus, refutatus fuit.

Resp. ad majorem: Ecclesia commendando doctrinam S. Alphonsi, declaravit eam in omnibus et singulis veram esse, *nego;* declaravit eam in suo complexu spectatam commendabilem esse, *conc.* Insuper ipsa commendatio doctrinæ S. Alphonsi spectat eam in oppositione ad tutiorismum et probabiliorismum; non vero in oppositione ad doctrinas forte benignores. Aliis verbis, Apostolica Sedes declaravit licitum esse theologo sequi ac profiteri opiniones S. Alphonsi; quin tamen reprehendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequantur;

51) Cf. S. Ligorium. *Homo apost. Tract. I. Num. 73.*

52) Decretum publicatum a. 1902 habetur apud Tanqu. *Num. 401 Nota 1.*

53) D'Annibale *Num. 259, 21,* et *263, 10* circa finem. — Forte circa initia sæculi XVIII quidam doctores æquiprobabilismum propugnaverant; at rationibus, quæ ne ipsis quidem auctoribus omnino probabantur. Cf. Palm. ad Ball. Vol. I. pag. 599 *Nota a;* Sabetti *Num. 64.*

54) Cf. S. Ligorium *Num. 86* in fine; D'Ann. *Num. 4.*

insuper declaravit non esse inquietandum confessarium, qui in praxi sequatur omnes opiniones S. Alphonsi. Hæc important declarationem, quod licitum est eas opiniones profiteri ac sequi: porro quod licitum esse declaratur, id est contra partes severiores, non contra benigniores.

Ad minorem: Eodem jure, quo hæc propositio ab adversariis asseritur, potest et negari; saltem prout est universalis. E pluribus satis sit unum exemplum afferre: « Ut non sit peccatum mortale, sufficit ut vera probabilitas habeatur, quod tale non sit; intelligo illam, quæ fundamento non tenui nititur, ut tuto, *seposita quæstione de probabiliori et minus probabili,* possit teneri et doceri.... Ut affirmetur absolute aliquam actionem esse peccatum mortale, non sufficit opinio probabilis, nec etiam probabilior; nam probabilior non excludit rationabilem timorem errandi; unde non efficit quod lex non remaneat dubia » [55]. Porro hic est probabilismus absolutus et purus; qui, cum a S. Alphonso assumatur ut doctrina certissima ad aliam doctrinam demonstrandam, dici nequit ab eodem rejectus, impugnatus, refutatus. Quapropter jure theologus recens affirmat: « Systema S. Alphonsi a simplici probabilismo nec theoretice nec practice differt » [56].

Verum (*dicunt*) nimis aperta est S. Doctoris protestatio contra minusprobabilismum, seu probabilismum purum: « Utrum liceat cum opinione probabili operari, tres adsunt sententiæ; quarum prima est, quod possit quis licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior: . . . hanc sententam nos dicimus esse laxam, et licite amplecti non posse » [57].

Resp. Quæstio exegetica difficilis; at, si solutu difficilis est probabilistis, nec facilis æquiprobabilistis. Itaque, una cum illis censemus S. Doctorem hoc in loco et aliis similibus excludere illum probabilismum, qui *latus* dicitur. Sane doctrina heic rejecta illa est, quæ latissime dicit licitum esse sequi opinionem *probabilem;* dum probabilistæ non lati supponunt opinionem probabilem certe et solide. Insuper eodem loco rationem affert, quod in casu proposito opinio pro lege est *certe probabilior,* et ideo lex non est amplius dubia, sed *moraliter certa.* Addit, quod in eodem casu opinio minus probabilis pro libertate remanet *tenuiter* aut saltem *dubie probabilis.* Jamvero hæc sunt indicia probabilismi lati: quare videtur hunc voluisse excludere; non probabilismum illum, cujus hypothesis sit opinio certe et solide probabilis [58]. Concludimus cum doctissimo viro: « S. Doctor ea, quæ primo initio jecit fundamenta probabilismi, numquam postea mutavit; probabilismi moderati, inquam, et non æquiprobabilismi nondum exstantis. Et quæ postea æquiprobabilismo tuendo scripsit, disseruit, ab a. 1748 et 1755 usque ad vitæ suæ

55) S. Ligorius *Lib. III.* post *Num. 132.*
56) Ita Noldin *Num. 250.*
57) S. Ligorius *Homo apost. Tract. I. Num. 31.*
58) Cf. Génicot *Num. 72, 3.*

exitum, illa ad tuendum moderatum 59, contra latum probabilismum scripta cum primis fuerunt » 60.

101. **Conclusio.** — Breviter, omnis controversia cum probabilioristis, æquiprobabilistis ac probabilistis moderatis (sensu superius indicato) huc reducitur: Utrum thesis illa — *Lex dubia non obligat* — certa sit. Si enim ea certa sit, certissimus est probabilismus absolutus, et quidem ipse solus: cum thesis ea sit absoluta et indipendens a comparatione probabilitatum. Porro ea thesis certissima est ex ratione 61; eadem certa fuit Doctori Angelico 62; item S. Alphonso ac innumeris et gravissimis theologis antiquis et recentibus; ea sola vitare licet scopulos in quocumque alio systemare inevitabiles. Ergo probabilismus absolutus, seu purus, verus est; quæcumque forma probabilismi innixa probabilitati comparativæ est falsa.

Itaque, quoties quis in eo est ut agat, si coram se habeat legem dubie exsistentem vel dubie actioni suæ applicandam, postquam frustra curavit dubium solvere, hunc syllogismum connaturaliter instituet: Hæc lex in concreto dubia est; atqui lex dubia non obligat; ergo hac lege ego non obligor. Porro utraque præmissa certa est; consequentia legitima: ergo legitimum et verum est etiam consequens 63.

ART. III. — De usu probabilitatis ac de principiis subsidiariis

102. Hac tractatione, veluti complemento theseos probabilisticæ, designamus vias practicas, quibus in quibuscumque dubiis possibilis fiat conscientia practice certa de honestate actionis (vel omissionis) hic et nunc ponendæ:

Principia.I. Quoties homo in eo est ut agat actu humano, tenetur adhibere diligentiam sibi moraliter possibilem, ut certus fiat se non agere contra legem: hoc autem, sive directe ex rationibus internis aut externis propriis actionis a se ponendæ, sive saltem reflexe ex principiis generalibus. Ratio est, quia homo, quando agit, tenetur legem non violare, et consequenter debet anta de eadem inquirere.

II. Quoties homo, nec ex rationibus propriis actionis ponendæ, nec ex principiis generalibus, fieri possit certus, certitudine mo-

59) Cf. dicta superius *Num. 19*, ibique *Nota 13*.

60) D'Annibale *Num. 252, 10* — Cf. Ball. II. In fine *Dissert. de mente S. Alphonsi Num. 8, seqq.*; Ferreres *132-138*.

61) « Certissimum est legem dubiam non obligare ». Ita D'Ann. *Num. 265*.

62) V. C. S. J. *Quid senserit S. Thomas de principio « Lex dubia non obligat »*, apud *Gregorianum* III. pag. 447-457 (Romæ 1922).

63) Cf. D'Annibale *Num. 265, 18*; Muzzarelli *Dissert. de regula mor. opin.* pag. 30 - sequ. (Romæ 1807).

rali late sumpta, de exsistentia legis ejusque extensione ad actionem a se ponendam, tuto agere potest contra eam legem, innixus principio universali certo : *Lex dubia non obligat.*

103. **Expositio.** *Princ. I.* — Juxta alibi dicta, voluntas est Dei (et cujuscumque legislatoris) ut lex a se lata adimpleatur, et actiones nostræ, nedum non sint subjective malæ, sed et objective sint legi conformes. Inde necessitas et obligatio cognoscendi num lex exsistat et ad actionem hic et nunc ponendam extendatur. Hæc cognitio generatim haberi potest directe, sive ex cognita actionis relatione ad legem, sive ex auctoritate doctorum: at non raro norma practica acquiri potest ac debet indirecte seu reflexe, mediis quibusdam principiis generalibus, quæ dici possunt *rationibus directis subsidiaria.* Hæc principia (dicuntur etiam *regulæ generalex* 64) juvant, ut homo dubium speculativum solvat in casibus particularibus, ac a statu dubii perveniat, quandoque ad certitudinem, sæpe ad opinionem probabilem, ex qua deinde ope theseos de probabilismo efformare sibi possit conscientiam practice certam.

Præcipua ex his principiis sunt octo sequentia :

I. *In obscuris, quod minimum est, tenendum.* — Hoc principium spectat generatim dubium *juris;* id vero, quod *obscurum* dicitur, est lex, præceptum, statutum, sanctio. Itaque ubi non clare constat de sensu legis, etc., intelligenda est habere minimam extensionem, quam verba patiantur; seu superior non censetur velle ligare libertatem ultra id quod clare edixit. Si non constet utrum regula obligatoria sit, aut non constet utrum sub gravi an sub levi, habenda est ut non obligatoria, aut obligatoria sub levi. — Huic principio affine est sequens :

II. *Odia restringi, favores convenit ampliari.* — *Odium* hic intelligitur quidquid libertatem coarctat, pœnam statuit, aut jus aliquod lædit : *favor* e contra est quidquid indulget libertati, aut gratiam concedit sine detrimento juris communitatis aut privatorum. Itaque, exceptis casibus, in quibus quod uni favet alteri onerosum et ideo odiosum est, leges, statuta, etc. accipi debent sensu benigniori, quem verba patiantur : quando princeps facultatem concedit aut gratiam largitur, ejus verba accipienda sunt sensu latiori. Ita, si ex verbis non pateat sensus legis tributorum, haberi potest ut mere pœnalis; simonia, quæ excommunicatione plectitur in Codice Juris canonici, censenda est juris divini; censura quælibet in dubio, num sit sententiæ *latæ* an *ferendæ,* habenda est ut *sententiæ ferendæ,* etc. ; dum, e contra, in favorabilibus (spectamus leges Ecclesiæ) pater adoptivus est pater; et filius adoptivus aut (in pluribus) naturalis est filius : ita et novitius in favorabilibus est religiosus.

64) Hæ regulæ desumptæ, quædam ex Jure canonico, quædam ex Jure civili, directe spectant forum externum : tamen generatim attendendæ quoque sunt in foro conscientiæ; nisi quandoque constet quampiam ex his referendam esse ad forum externum exclusive. — Theoretica et practica habet LEHMKUHL *Num. 107-118.*

in odiosis non est religiosus. Verum, si lex, uni favorabilis, alteri sit onerosa, utrum sit amplianda an restringenda, sæpe difficile est definire; generatim spectandus est finis legislatoris: ita canon contra injicientes manus violentas in clericos accipiendus est ample, tum quoad injectionem manuum, tum quoad personas clericorum.

III. *In dubio standum est pro eo, pro quo stat præsumptio.* — Scilicet, præsumptio dat grave fundamentum ad judicandum de veritate objectiva, si non cum certitudine, certe cum magna probabilitate. Ita in dubio, num superioris præceptum justum sit, habendum ut justum: in dubio, num horologium exsistens in rebus Titii sit Titii, habendum est ut Titii. Si, sciens te vovisse, dubites utrum propter ætatem compos tui fueris, teneris, si votisti ineunte anno octavo, non teneris, si exeunte septimo. — Principium hoc spectat dubium negativum; ac in ipsum, ut plurimum, recidit sequens.

IV. *In dubio judicandum est ex communiter contingentibus.* — Ratio est, quia ex communiter contingentibus fit præsumptio. Hinc, si soleas Matutinum die præcedenti anticipare, et hodie dubites num illud heri recitaveris, præsumptio est te recitasse; ac proinde non teneris hodie recitare: si soleas in confitendo diligens esse et sincerus, ac dubites num peccatum aliquod alias accusaveris, judicare potest te ipsum accusasse. In dubio, utrum quis pravis cogitationibus consenserit, consensisse præsumitur, si sit conscientiæ laxæ; secus, si sit conscientiæ timoratæ [65].

V. *In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet.* — Casus est quod dubia sit ipsa positio actus in se, non circumstantia accessoria. Ita, qui ad adeundam hereditatem asserat Lucam patrem suum obiisse, hoc debet probare; si constet Lucam obiisse, probare debet se ex eo genitum fuisse. — Contra hoc principium exceptio aliqualis est sequens.

VI. *In dubio præsumitur factum, et recte factum, quod de jure faciendum erat.* — Scilicet: *a*) Quia numquam præsumitur violatam fuisse legem, si lex postulabat quidpiam fieri, at factum esse non constet, præsumendum est quod factum fuerit. Parochus duos sponsos matrimonio junxit; licet haud constet matrimonio præmissas fuisse proclamationes, præsumendum eas præmissas fuisse. — *b*) Ex eadem ratione, id, quod faciendum erat, præsumitur factum esse recte. Ita in casu præcedenti præsumitur quod proclamationes habitæ fuerint diebus festis, quod lecta fuerint vera sponsorum nomina, etc. — *c*) E contra, male factum numquam præsumitur. Livius, cui libellæ centum sublatæ sunt, præsumere nequit eas sublatas esse a famula Livia, de cujus honestate ex adjunctis dubitat: hinc ex ejus bonis se non potest de libellis sublatis compensare.

VII. *In dubio standum est pro valore actus.* — Si constet actum positum fuisse, et dubitetur de aliqua conditione necessaria ad ejus validitatem, præsumendum est hanc conditionem positam fuisse. Si quis,

65) S. Licorius *Lib. VI. Num. 476.*

contracto jam matrimonio, affirmet se non consensisse actu interno, matrimonium ceu validum habetur; cum ejus affirmatio nonnisi dubium pariat: qui novit se certe confessionem peregisse, si dubitat num cum dolore et proposito, judicare potest se confessum esse rite.

VIII. *Nemo præsumitur malus.* — Scilicet, quoties dubitatur num quis delictum patraverit, ille habendus est ut innocens, quousque veritas delicti non probetur: hinc judex ipsum damnans peccaret; imo et peccaret, si ipsum damnaret innixus indiciis probabilibus reitatis ejusdem.

104. **Expositio.** *Princ. II.* — Quousque exsistentia legis ejusque extensio ad actionem hic et nunc ponendam non est certa, ne certitudine quidem morali late sumpta, ipsa obligationis exsistentia incerta est, seu dubia, et proinde practice nulla. Quare, qui contra ipsam agat, agit honeste et licite: tunc agit male, cum agit contra obligationem certe exsistentem. — Inde habentur quædam

105. **Consectaria.** — 1. Usus probabilismi legitimus est, quæcumque sit lex, de cujus exsistentia dubitatur; sive ea civilis sit aut ecclesiastica, sive divina positiva, sive etiam naturalis. Ratio est, quia ad essentiam cujuscumque obligationis necessario requiritur ejusdem notitia, et quidem certa; porro, nedum de quavis lege positiva, sed et de ipsa lege naturali quoad ejus deductiones remotas et magis practicas, haberi potest, tum ignorantia invincibilis, tum notitia mere probabilis seu incerta 66.

Hinc practice non sunt arguendi de peccato: *a*) Qui in confessione omittat circumstantias gravitatem peccati mortalis aggravantes; *b*) qui omittat circumstantias, quæ aggravant peccatum, at ejus speciem probabiliter non mutent; ut esset primus gradus consanguineitatis aut affinitatis collateralis in incestu: *c*) qui omittat circumstantias, quæ probabiliter aggravant peccatum, quin peccata multiplicent; ut esset numerus audientium in detractione. Neque argui possunt de peccato: *d*) qui in gravi infirmitate renuat Extremam Unctionem suscipere; *e*) qui per integrum annum actus virtutum theologicarum non eliciat; *f*) qui post lapsum in peccatum mortale in eo statu per annum permaneat.

2. Usus probabilismi legitimus est, nedum in dubio num lex esistere cœperit, sed et in dubio, utique positivo, num exsistere aut obligare cessaverit. Ratio est, quia lex, seu ejus actualis exsistentia, æque dubia est, tum in primo, tum in altero casu 67.

Hinc: *a*) Si probabile est legem cessasse, sive quia ejus finis adæquate cessavit in casu particulari, sive quia probabile est elapsum esse tempus obligationis ejusdem; sive quia subjectum probabiliter non subditur legislatori, qui contra ipsam agat, immunis est a peccato;

66) S. Ligorius *Num. 61-63, 77,* et *De legibus 170;* Arregui *Num. 44, seqq.*

67) Noldin *246;* Gen. *76.* — Obstant Marc *97;* Wouters pag. 33, seqq.

b) nec peccat, qui agat contra legem, quando probabile est eam fuisse abolitam, vel abiisse in desuetudinem [68]; neque *c*) peccat qui omittat fratris correptionem, quam cum fundamento timet inutilem fore; *d*) Neque omittens jejunium peccat; sive juvenis, qui dubio hic et nunc insolubili dubitat num annum vigesimum primum ætatis explevevit; sive senex, qui dubio hic et nunc insolubili et simul positivo dubitet num annum sexagesimum inceperit. Demum *e*) nec peccat, qui carnes comedat, quando e duobus horologiis non habitualiter erroneis, unum jam mediam noctem signavit, alterum nondum; sive a feria quinta ad feriam sextam, sive a feria sexta ad sabbatum.

3. — Usus probabilismi licitus est, non modo in casu probabilitatis *juris*, sed etiam in casu probabilitatis *facti;* dum, scilicet, certa est exsistentia legis aut obligationis in abstracto, sed est positive dubia exsistentia facti, quod legi illi actionem ponendam subigeret.

Hinc: *a*) Non tenetur votum implere, qui dubitat num voverit; vel qui, sciens se vovisse, dubio positivo dubitat num id fecerit compos sui: *b*) potest communionem accipere, non modo qui negative, sed et qui positive dubitat utrum ante, vel post, mediam noctem aliquid biberit: *c*) non peccat, qui omittat corrigere fratrem, quando probabile habet eum non deliquisse, aut correctionem inutilem fore.

At usus probabilismi licitus non est in casu probabilitatis *facti periculosi;* quoties, nempe, ejus usus probabiliter causabit damnum, sive alii exsistenti in certa possessione sui juris, sive ipsi utenti, quando agatur de damno quod licite velle non potest.

105. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Quid censendum sit de illa regula Juris: *In dubio eligenda est via tutior?*

Resp. 1.° Regula recta est, si agatur de dubio practico; quando quis dubium speculativum, nec directe, nec reflexe, solvere vult aut potest: tunc enim eligere debet viam tutiorem, sequendo opinionem faventem legi. Ita, qui die quadam forte esuriali, non vult inquirere utrum vere esurialis sit, an non, abstinere debet a carnibus: item, qui, cum veritatem non possit, non valet sibi conscientiam certam efformare vi principii reflexi, eligere debet viam tutiorem.

2.° Item recta est, quoties agatur de eligendo medio ad finem necessarium, vel de curanda actus validitate, de cavendo damno sive sui, sive alterius injusto: scilicet, quoties casus est, de quo agit thesis prima.

3.° Ubi dubium versatur circa solam actionis honestatem, regula recta est, si proponatur ad modum consilii; minime vero, si ad modum præcepti. Imo ex S. Alphonso, sensus hujus regulæ penes doctores iste communiter est, ut sit de consilio. « Inducunt illud: *In dubio tutior via est eligenda.* Respondetur, hoc esse verum de honestate et meriti majo-

68) Cf. S. Ligorium *Lib. 1. 199,*et *III. 290;* item S. Thomam *In IV. Distinct. 32 art. 4 ad 3.* — Plura Alberti I. *Num. 42,* et *Nota 1.*

ritate, at non de salutis necessitate quoad omnia dubia; alioquin oportet omnes religionem intrare » 68 bis. Scilicet, qui hanc regulam urgeant, tamquam præceptivam, necessario incidere debent in tutiorismum.

Qu. 2. Quid censendum de illa regula Juris: *In dubio melior est conditio possidentis?*

Resp. 1. Hæc regula, prout in Jure reperiebatur, proprie refertur ad materiam justitiæ commutativæ, et immediate spectat ad forum externum. Sensus ejus est: si inter duos lis de proprietate alicujus rei habeatur, et utrinque, aut nullum jus probetur, aut par videatur, res illi adjudicetur, qui eam possidet; pro ipso enim stat præsumptio. Hinc nec ipse possessor tenetur se re illa expoliare, quousque ei ab adversario probetur, aut ipsi aliunde constet, rem non suam, sed alterius, esse: nec alter potest licite rem sibi arripere, nisi probet, aut certo sciat, eam esse suam. Hoc sensu regula mediate spectat etiam ad forum internum.

2.° Quamplures theologi tenent hanc regulam ad modum principii generalis applicari posse in ipso foro interno ad solvenda dubia de obligatione legis in quacumque materia. Supponunt enim libertatem ac legem habendas esse veluti duas personas, inter quas altercatio habeatur, utrum libertas jus habeat agendi pro lubito, an lex jus habeat coarctandi libertatem. Facta hac hypothesi, dicunt esse meliorem conditionem libertatis vel legis, prout illa vel ista est in possessione; seu prout illa, vel ista prior exsistit. Hinc hi omnes concedunt jus inesse libertati agendi pro lubito, quando dubium sit, utrum lex facta fuerit, utrum fuerit promulgata; breviter, utrum existere et obligare cœperit 69: at, quando constet legem exstitisse, quidam volunt eam esse in possessione contra libertatem, quousque positive non constet eamdem cessasse; ac proinde docent eamdem exsistere et obligare, non modo quando cessatio dubia sit negative, sed et quando dubia sit positive, seu vere et solide probabile sit eamdem cessasse.

Præter æquiprobabilistas et probabilistas moderatos 70, hac regula, tamquam systemate morali, utendum esse vult Card. D'Annibale, addens hac regula perpetuo usum esse S. Alphonsum; eam vero invocandam esse vult contra libertatem, quando dubia sit legis cessatio.

Verum, præterquam quod sui systematis infirmas affert rationes, concedit ab ea recedere plures, etiam ex his, qui eam profiteri videntur, et inter hos S. Alphonsum: admittit eam perpetuam non esse; ac demum fatetur eam in pluribus casibus deficere. Hinc haud invitus affirmat cuique licitum esse ex indicatis systematibus eligere quod sibi magis arriserit; ac demum expresse docet « semper licitum esse sequi opiniones vere graviterque probabiles » 71. Quibus confessionibus et concessioni-

68 bis) S. ANTONINUS, apud S. LIGORIUM *De usu moderato.... Num. 79 Ob. IV.*
69) Excipiendi sunt tutioristæ ac probabilioristæ, ut per se patet.
70) GOUSSET *Num. 216;* MARC *96, seqq.;* WOUTERS pag. *33,* sequ., 199.
71) D'ANNIBALE *Num. 260*: simul vero *Num. 11, 262, 263, 269, 270.*

bus ipse doctissimus vir tandem aliquando a sua regula in purum probabilismum declinat 72.

Itaque censemus hanc regulam ,hoc sensu acceptam, non esse rectam. Etenim, quando certum est legem exstitisse et simul probabile est eamdem cessasse, ejusdem actualis exsistentia dubia est, ac proinde ejusdem obligatio nulla. Hinc huic regulæ præferendum axioma: *Lex dubia non obligat;* seu: *obligatio dubia, obligatio nulla.*

107. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum liceat sequi opinionem probabiliter probabilem?

Resp. Dummodo probabilitas opinionis illius sit probabilis vere et solide, non videtur esse negandum. Ratio est, quia judicium probabile est judicium prudens; qui ergo ex gravi motivo judicat opinionem aliquam esse probabilem, judicat prudenter; ergo et prudenter eam practice sequi potest. Finge opinionem aliquam in re canonica probabilem dici a Card. D'Annibale, aut a Card. Gennari, ac pro eadem ab iisdem, aut etiam ab alterutro, afferri rationem vere gravem: etsi ab aliis recentibus negetur esse probabilis, quis te de imprudentia arguere potest, si eam probabilem habeas? Ergo nec de imprudentia arguere te potest, si eam in praxim adducas.

Nec obstat *Prop. 3.ª* ab Innocentio XI damnata: « Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus ». — Duplici enim titulo ea propositio damnari potuit independenter a quæstione præsenti. Nam nimis generalis est, et comprehendere potest casum medii probabiliter inepti ad finem, vel actionis probabiliter periculosæ: insuper ea docet prudens esse sequi opinionem quantumvis tenuiter probabilem; qua forma intelligitur etiam probabilitas apparens, de qua merito dubitent viri sapientiores.

Qu. 2. Utrum confessarius imponere possit pœnitenti opiniones proprias; quæ nedum sibi, sed et in seipsis, probabiliores sint?

Resp. Negative, cum S. Alphonso: « Sententia communis et sequenda docet, non solum posse, sed etiam teneri *sub gravi* confessarium absolvere pœnitentem, qui vult sequi opinionem probabilem, licet opposita videatur probabilior ipsi confessario.... Confessarius non est judex opinionum, quas pœnitens sequi teneatur.... Quod vero pœnitens velit hanc vel illam opinionem sequi, hoc impertinenter se habet ad judicium confessarii; nisi hic judicet opinionem pœnitentis esse evidenter falsam » 73. Quod si pœnitens ignoret hanc vel illam opinionem probabilem esse, vel non, confessarius hac pœnitentis ignorantia abuti non debet, ei tamquam certam imponens obligationem dubiam. Hinc, si in

72) Cf. NOLDIN *Num. 248;* GEN. *76* Nota *2;* LEHMK. *108;* SEBAST. *93.*

73) S. LIGORIUS *Lib. VI Num. 604.* — Cf. BALL. *De Pœnit. Num. 804, seqq.*

casu concreto probabile sit, tum pœnitentem teneri ad restitutionem, tum non teneri, confessarius vero ut opinionem suam habeat eumdem teneri, non debet hanc suam opinionem pœnitenti ignaro imponere; ac proinde graviter (in materia gravi) peccaret eidem imponens obligationem restituendi.

Qu. 3. Utrum inter duas opiniones probabiles oppositas liceat modo unam sequi, modo aliam?

Resp. Affirmative. Ut enim hodie licitus est usus hujus opinionis probabilis, ita et cras licitus est usus oppositæ, quippe quæ probabilis manet; nec repugnat uni eidemque personæ vere probabiles esse, saltem extrinsece, duas opiniones oppositas. Hinc confessarius Titio habenti testamentum Caji defuncti sibi favorabile, sed informe, permittere potest ut eas Caji pecunias quas secum habet, retineat: mox Sempronio Caji heredi legitimo ac bona Caji immobilia possidenti permittere potest, ut ea usque ad sententiam judicis sibi retineat. Idem confessarius in simili casu uti potest duobus testamentis diversis in commodum proprium; ex priori bona mobilia possessa retinendo, alterum judicialiter impugnando.

Verum in uno eodemque casu non licet duabus uti opinionibus; una, quatenus sibi utilis est, altera ad cavendum incommodum utilitati adnexum. Sic non licet unum idemque testamentum informe, ut validum habere ad adeundam hereditatem, habere ut invalidum ad negandam solutionem legatorum: obligatio enim solvendi legata inseparabilis est ab aditione hereditatis.

Qu. 4. Utrum teneatur obligationi suæ satisfacere, qui dubitat utrum eidem jam satisfecerit?

Resp. 1.° *Affirmative* in dubio negativo; cum in eo casu certe possideat obligatio: item *affirmative* in dubio practico; cum in tali dubio non liceat agere contra legem, sed sequenda sit via tutior.

2.° Si agatur de dubio positivo, seu de vera et solida probabilitate, controversum fuit; at hodie sententia communissima negat. Ratio intrinseca est, quia obligatio illa, certe quidem exsistebat, at nunc dubie exsistit, cum vere probabile sit eam non amplius exsistere; porro, si obligatio dubia est, est nulla [74]. Accedit ratio ad absurdo. Si ad finiendam obligationem alicujus præcepti postules satisfactionem certam, ne per satisfactionem quidem probabiliorem aut probabilissimam præceptum dici poterit impletum; ac sic iterum confirmatur inter applicationem illimitatam thesis probabilisticæ ac tutiorismum nihil medium esse. Hinc axioma illud — *Non satisfit obligationi certæ per impletionem dubiam* — tunc tantummodo verum est, cum accipitur de dubio negativo, vel de

74) « Ratio subtilis, sed non contemnenda ». D'Ann. *Num. 169, 49;* qui in oppositam sententiam hærens inclinat ex principio *possessionis*, cui se totum devoverat.

dubio practico; si extendatur ad casum satisfactionis vere probabilis, est falsum.

Hæc sententia, præterquamquod satis communis est apud veteres theologos, conceptis verbis sub forma generali traditur a S. Alphonso. Proposita enim quæstione: « Quid in dubio an legem impleveris? », respondet: « In dubio negativo teneris implere; secus, in positivo » 75.

Hæc solutio valet, tum quando quis positive dubitat num actionem legis impletivam posuerit, tum quando quis novit se obligationi satisfecisse modo probabili. Hinc: *a*) Non tenetur peccatum accusare, qui positive dubitat, num jam illud accusaverit 76; nec *b*), qui novit se illud accusasse, at dubitat, num a confessario dormitante auditum fuerit; nec *c*), qui peccatum incestus cum sorore accusavit omittendo gradum consanguinitatis; nec *d*) qui detractionem gravem accusavit, tacendo numerum audientium. *e*) Item non tenetur Horas canonicas recitare, qui positive dubitat, num eas recitaverit; nec tenetur votum implere, qui vere probabile habet se jam illud implevisse; nec *f*) iterum tenetur, qui actionem posuit, quæ juxta opinionem probabilem sufficiens est ad votum illud implendum; ex. gr. femina, simul intendens Missam ex voto audire, dum sua peccata confitebatur 77.

Eadem theoria applicanda quoque est casui, quo quis, certus de exsistentia legis, dubitet dubio positivo, num ipse ab ea servanda excusetur. Alia res est, si dubitet dubio negativo 78.

Qu. 5. Utrum hæc solutio applicari possit in casu rei alteri debitæ ex justitia, vi contractus onerosi?

Resp. 1.° Casus esset de Titio, qui post emptam mercem certam dubitat, num monetam chartaceam dederit dubiam; vel de summa mutuo accepta dubitat, num eam reapse restituerit. Itaque Titius, nisi viam tutiorem sequi malit, tenetur diligenti studio factum investigare: quod si dubium deponere non valeat, juxta plures, tenetur restituere. Ratio est, quia intentio contrahentium ea fuisse videtur, ut in exsecutione contractus obtineatur æqualitas; hæc autem non obtinetur, nisi per solutionem certam 79: esset ergo casus theseos primæ, non secundæ.

Ceterum, si agatur de contractibus bonæ fidei, in quibus judici fit facultas arbitrandi ex æquo et bono, ipsa æqualitas, quæ in contractu oneroso servanda est, prudenti, idest probabili, judicio determinari solet. Imo practice, saltem propter dissensum theologorum, obligari non potest

75) S. Ligorius *Num. 99*, qui alibi fatetur id *communissime dici*. Cf. *Lib. IV. Num. 150*, et *Homo apost. I. 17*.

76) Quod non probat S. Ligorius *Lib. IV. Num. 477*.

77) Hæc duo non probat S. Ligorius *Lib. I. Num. 28*, et *Quæst. reform. Add. Qu. I.* — At cf. D'Ann. *169, 49-53*.

78) Cf. Suarez, apud Ballerini *Num. 156*.

79) De Lugo, apud Ball. *Num. 172*, et ad Gury *80, 17*.

ad solvendam rem alteri debitam ex justitia commutativa ille qui positive dubitat num jam suæ obligationi satisfecerit 80.

Quod si res debita sit ex contractu gratuito, certe Titius tranquillus manere potest in conscientia.

Qu. 6. Quid censendum de sic dicto systemate *compensationis?*

Resp. Systema *compensationis* invexerunt scriptores quidam ex Gallia et Germania exeunte sæculo superiori. Ipsum in hoc consistit, quod obligatio legis dubiæ, neque est nulla, neque est totalis et absoluta, sed est proportionata gradui cognitionis ejusdem ex parte subjecti, habita simul ratione utilitatis ex non servata lege provenientis, sive subjecto, sive alii, sive communitati. Si cognitio legis minima sit, minima ex non servata lege utilitas, ab obligatione legis eximit omnino: si cognitio major sit, major requiritur utilitas vel causa, ut obligatio cesset: en *compensatio* vel *ratio sufficiens*. Breviter, necesse est quod utilitas ex non servata lege proveniens æquet gradum cognitionis, qui de ejus exsistentia habetur.

Porro obligatio legis consistit in indivisibili. Lex, aut obligat, aut non obligat graviter vel leviter pro gravitate vel levitate materiæ, vel pro voluntate legislatoris obligantis: lex incerta seu dubia obligat nihil; cum de essentia obligationis passivæ sit quod legis obligantis exsistentia cognita sit. Ergo systema *compensationis vanum* est: obstat enim principio certissimo « lex dubia non obligat » 81. Adde quod obnoxium est omnibus incommodis probabilismi comparativi.

CAPUT V.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA

108. Jam supra innuimus nomen *conscientia* quandoque accipi pro dispositione cujusque hominis habituali in judicando de actionum moralitate bona vel mala. Sub hoc respectu quidam dicuntur esse conscientiæ honestæ, delicatæ, scrupulosæ; alii esse conscientiæ laxae. elasticæ, cauteriatæ.

Breviter de conscientia *scrupulosa,* et de conscientia *laxa.*

ART. I. — De conscientia scrupulosa

109. *Scrupulus* est « timor de malitia alicuius actionis ex inani mentis apprehensione ». Quare *conscientia scrupulosa* dicitur « ea habitualis animi dispositio, qua quis inclinat ad judicandum esse peccatum, ubi non est ». Hinc patet distinguendam et sedulo discernendam esse conscientiam scrupulosam a conscientia delicata. Judicium practicum

80) Cf. Genicot *Num. 602;* Alberti *45 I, 49 II;* Noldin *l. c.*
81) Cf. Gury *Casus* I. *Num. 61. seqq.;* Ferr. *145-147;* Tanqu. *415, seqq.*

conscientiæ scrupulosæ communiter erroneum est: e contra, judicium conscientiæ delicatæ est verum; qui est conscientiæ delicatæ, ex reverentia erga Deum, ex caritate erga seipsum generatim ex amore cujuscumque virtutis, peccatum quodcumque magni facit, et ab eo, etsi levi, quammaxime abhorret.

Causæ scrupulorum, præter divinam voluntatem, quandoque positivam, sæpe permissivam, duæ potissimæ sunt: alia physica, complexio melancholica ac in angores proclivis; alia moralis, animi imbelicillitas cum exaggerata formidine divinæ justitiæ. Sæpe accedunt causæ quædam extrinsecæ: conversatio cum personis scrupulosis, ac præsertim scrupulosi confessarii directio; lectio librorum severiorum; quandoque dæmonis operatio.

110. Confessarius studeat in primis morbum pœnitentis dignoscere, quis, et qualis, et quantus sit: error in his posset esse funestus 1.

1.° Morbus omnibus scrupulosis communis est obstinatio in suis judiciis, eo magis pertinax, quo magis judicando impares sunt: inde et exigentia ut confessarius ea judicia probare debeat, et querimoniæ quod confessarius intimas pœnitentis dispositione non cognoscat. Quare scrupulosi generatim incapaces sunt efformandi sibi conscientiam proprie dictam, seu judicium practicum de liceitate vel illiceitate actionis ponendæ vel jam positæ. — Remedium huic morbo est, ut confessarius doceat absque ulla hæsitatione, imperet absque ullo temperamento: doceat quidem et imperet rationaliter; sed nec imperii nec doctrinæ ullam reddat rationem 2. Hoc modo indirecte et reflexe efformanda est pœnitenti scrupuloso conscientia practica, ut hic de moralitate suarum actionum certus fiat, non conscientiâ suâ, sed ex judicio confessarii.

2.° Morbus pluribus scrupulosis communis est, quod de præcedentibus confessionibus semper anxii sint, et confessionem generalem in indefinitum exigant. — Huic morbo remedium confessarius apponat imponendo pœnitenti ut confessiones omnes præteritas ceu validas habeat, earumque iterationem omnino non permittat. Tantummodo, postquam novum aliquem pœnitentem scrupulosum per semestre vel annum audierit, forte poterit ejus confessionem generalem per summa capita excipere; si, omnibus perpensis, speret eam allaturam esse pœnitenti aliqualem tranquillitatem; quod forte numquam fiet.

3.° Quibusdam scrupulosis morbus est, quod sibi videantur negare, vel saltem dubitare de veritatibus fidei catholicæ; de vita æterna, de exsistentia Dei, de veritate Corporis Christi in Eucharistia, etc. — Ut remedium huic morbo apponat, confessarius pro certo ipse habeat eos

1) Qui plura et optima cupit, adeat S. LIGORIUM *Lib. I. Num. 11-19;* GURY *Casus 48-35;* FRASS. *Dissert. II.;* REUTER *Neoconf. 255, 273; Monit. eccles.* XXII. *20-30, 70-77;* LEHMK. *Casus 56-64;* BALL. *174-202;* SABETTI *37-43;* GEN. *58-60.*

2) Si agatur de scrupulosis mente infirmis, forte nimis dura est ratio agendi, quam suggerit S. LIGORIUS *Praxis confess. Num. 97.*

hisce dubitationibus non adhæsisse; hinc audiat quidem bis vel ter, at super his non absolvat; deinceps eos has dubitationes confiteri prohibeat omnino, et pro viribus impediat.

4.° Scrupulosis fere omnibus communis morbus est, ut certo existiment se cogitationibus, delectationibus ac desideriis turpibus consensisse; item ut peccatum, et quidem grave, reperiant in quovis actu minus decenti, at simul necessario et in se indifferenti; ut abhorreant a quovis consortio, etiam moraliter necessario, cum personis alterius sexus; ut de audito quocumque verbo vel a longe res matrimoniales respiciente, agitentur et contremiscant, etc. — Hisce omnibus persuadeat (si valet) eos illis cogitationibus, etc., non consensisse, in illis actibus, verbis, etc., non peccasse (saltem graviter, plures nec leviter); imponat eis ut a quocumque examine super hisce materiis abstineant; ac regulariter de hisce eos audire recuset. Tamen generatim loquendo, eis consulat fugam ab otio et ab occasionibus periculosis; inculcet quammaxime devotionem erga B. Verginem, frequentem communionem: versamur enim in re nimis lubrica.

5.° Denique scrupulosi fere omnes illud oggerunt, se propter intimam persuasionem peccandi (quæ esset conscientia erronea) peccare etiam ubi non est peccatum. — Confessarius, tum sibi, tum ipsi pœnitenti (si valet) persuadeat scrupulosum in re scrupulis obnoxia carere conscientia proprie dicta; hinc eum ne tum quidem peccare, cum pro certo habet se peccare: hæc præsertim quoad præteritum. Quoad futurum, illi absolute intimet, ut omnem suæ conscientiæ rationem in confessarium transferat, qui pro pœnitente obediente rationem Deo reddet; hinc se agi ac dirigi sinat juxta monita et placita confessarii: si ei omnino se credere non vult, alium sibi reperiat, cui totum se credat. Nisi pœnitens scrupulosus in manus confessarii prudentis sese totaliter projiciat, numquam a sua infirmate convalescet.

Dicimus: in manus *confessarii prudentis;* veh enim illi scrupulosō, qui in manus incidat confessarii imprudentis!

Ceterum scrupulositas malum est in dies decrescens; dum, proh dolor! terribiliter invalescit malum oppositum.

ARTI. II. — De conscientia laxa

111. *Conscientia laxa* est « ea habitualis animi dispositio, qua quis ex inani fundamento inclinatur ad judicandum licitum, quod est illicitum, vel leviter malum, quod est malum graviter ». Exemplum sit illius, qui dicat: Mihi persuadere non valeo, quod Deus me ad ignem æternum damnaturus sit, eo quod carnes comedi die veneris, vel quia mihi excidit locutio blasphema.

Si hæc dispositio versetur circa materias graviores et sit valde

animo obfirmata, dicitur conscientia *cauteriata* 3; si ejusmodi sit, ut gravissima Dei mandata inania putet esse, maximi faciens externas observantias, dicitur conscientia *pharisaica* 4.

Causa communior hujus conscientiæ laxæ duplex est: alia, subjectiva et ad partem appetitivam pertinens, est cupido vivendi pro lubito; alia, origine exterior et pertinens ad partem cognoscitivam, est prava educatio, præsertim quæ hodie datur areligiosa et forte irreligiosa. Etsi quandoque contigat hujusmodi conscientiam ne in causa quidem culpabilem esse, tamen valde funesta est; cum ordinarie inducat mentis cæcitatem et obdurationem in malo, cum perfecta bona fide incompossibilem. Hinc maxime adlaborandum confessario, ut pœnitentem conscientiæ laxæ in viam rectam reducat. Curet in primis illius intellectum juxta veritates evangelicas illuminare, eique eam Christi sententiam frequenter inculcet: *Intrate per angustam portam; quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem;... angusta porta et arcta via est; quæ ducit ad vitam* 5. Dein curet etiam movere voluntatem, eidem timorem judiciorum Dei infundendo: insistat ut oret, ut sacramenta frequenter recipiat, præsertim vero ut frequenter sua novissima meditetur, juxta illud: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* 6.

3) I. Tim. *IV. 2.*
4) Cf. Matth. *XXIII. 23, seqq.*
5) Matth. *VII. 13-14;* Luc. *XIII. 24.* — Cf. A Lapide *In Mth. l. c.*
6) Eccli. *VII. 40.* — Præclare idem A Lapide *In hunc locum.*

TRACTATUS TERTIUS

DE LEGIBUS

Diximus de norma agendi subjectiva et proxima humanarum actionum: dicendum modo de regula objectiva, quæ homini agenti applicanda est per præcedentem; seu de lege. — Dicemus: 1.° De legibus in communi; 2.° De singulis legibus in particulari [1].

DE LEGIBUS IN COMMUNI

112. *Lex;* latissimo sensu accepta, ita describitur a S. Thoma, ut sit « quædam regula et mensura, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur » [2]. Hoc sensu lex spectat, nedum entia rationalia, sed et irrationalia quoque; locum habet, non solum in moralibus, sed etiam in artificialibus, sive honestis, sive turpibus; insuper sub se comprehendit quoque consilia. Theologo morali agendum est de lege accepta sensu magis proprio, prout moralia tantum attingit, et quidem voluntatem moraliter ligando.

Itaque, postquam quædam præmiserimus de notione et essentia legis proprie dictæ, pauca addemus de præcipuis cujusque legis elementis [3], atque de causis ab impletione legis deobligantibus.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET ESSENTIA LEGIS

113. *Lex* proprie dicta a S. Thoma definitur « ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata » [1]. Dicitur *a*) *ordinatio*, sensu magis italico, quam latino; scilicet, præscriptio, imponens obligationem [2]. — *b*) Dicitur esse ordinatio *rationis;* nempe procedens quidem a voluntate ordinante seu præscribente, sed a volutate rationali; ex quo ipsa lex rationalis sit. — *c*) Per verba *ad bonum commune* indicatur directe causa finalis cujuscumque

1) Tractant S. Thomas *1. 2. Qu. 90-118*; Suarez tractatu classico *De legibus;* S. Ligorius *Lib. I. Num. 90-208;* Ball. Vol. I. *Tract. III.;* Wernz *Jus Decretalium I. Num. 80-173* (Romæ 1898).

2) S. Thomas *Qu. 90 art. 1;* Suarez *Op. cit. Lib. I. Cap. I. Num. 1;* Lehmk, *70.*

1) S. Thomas *Qu. 90 art. 4.* — Cf. Suarez *Op. cit. Lib. I. Cap. XII.*

2) S. Thomas jam dixerat *art.* 1 legem dici a *ligando,* ejusque effectum proprium esse ut liget, seu obliget.

legis; indirecte indicatur quoque legis subjectum, nempe communitas ejusque membra; insuper et objectum, nempe actiones et omissiones in bonum commune ordinabiles. — *d*) Verba *ab eo, qui curam habet communitatis* indicant legis auctorem; nam « ordinare vel præscribere aliquid in bonum commune est vel totius communitatis, vel alicujus gerentis vices totius multitudinis » 3. — *e*) Demum additur quod ea ordinatio, ut proprie sit lex, debet esse *promulgata*: « Leges instituuntur, cum promulgantur » 4. Nempe ut lex liget, necesse est quod « applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent;... quod fit ex ipsa promulgatione » 5.

114. Inde patet quænam conditiones requirantur, ut aliqua ordinatio vere *lex* sit: sunt autem sequentes:

1.ª Sit *honesta;* quia nec ullus legislator humanus, nec ipse Deus, obligare potest ad faciendum quod est inhonestum.

2.ª Sit *justa;* nempe conformis regulis justitiæ distributivæ; adeo ut subditis obligatio imponatur proportionata eorum viribus et facultatibus; secus ordinatio non esset rationalis.

3.ª Sit *possibilis;* et quidem, nedum physice, sed et moraliter; adeo ut a generalitate subditorum, spectatis eorum moribus et consuetudinibus, servari possit.

4.ª Conducat, saltem mediate, *in bonum commune,* seu bono communi utilis sit; tum, quia hic est finis primarius cujuscumque legis; tum, quia lex est actus publicæ potestatis, quæ in bonum publicum instituta est. « Qui præsunt ceteris, hac una de causa præsunt, ut civitatis utilitatem tueantur » 6.

5.ª Communiter alia conditio a juristis postulatur, quod lex ex natura sua sit *stabilis,* hoc est, *per se* perpetuo duratura; ita ut semel lata perduret, quamdiu stat communitas, pro qua lata fuit: ceterum hæc conditio plures patitur limitationes, de quibus suis in locis dicendum erit.

115. Ex definitione legis ejusque conditionibus patet, quomodo lex a ceteris ordinationibus differat:

1.° Lex differt a *præcepto,* præsertim triplici ex capite: *a*) Dum lex ferenda est ab eo, qui curam communitatis habet, præceptum dari quoque potest a superiore privato: ita satisfactio præcipitur pœnitenti a confessario. — *b*) Dum lex ordinari debet in bonum commune, præceptum ordinari quoque potest in bonum privatum, sive illius, qui præceptum dat, sive illius cui præceptum datur, sive tertiæ personæ: ita pater præcipit filio. — Hinc *c*), dum lex fertur communitati, præceptum

3) S. THOMAS *Qu. 90 art. 3.*

4) CODEX *Can. 8 § 1.*

5) S. THOMAS *Qu. cit. art. 4.* Ex eodem S Thoma, promulgatio videretur non esse de essentia legis sed esse conditionem, sine qua eadem obligare non potest. — Cf. et D'ANNIBALE *Num. 162,* EC.

6) LEO XIII Encycl. *Immortale Dei* die 1 novembris a. 1885.

datur personæ; ac proinde, dum lex adhæret communitati et, saltem ordinarie *territorio*, præceptum adhæret *ossibus* seu personæ: ita sacerdos suspensus ab Episcopo suo *a divinis* prohibetur divina agere etiam extra Diœcesim. — Ceterum distinctio non semper ad apicem servatur: ita, quæ dicuntur Ecclesiæ præcepta, sunt veræ leges: insuper præceptum proprie dictum habet eamdem obligandi efficaciam, quam habet proprie dicta lex 7.

2.° Lex differt a *statuto*, præsertim in hoc, quod lex ex intentione legislatoris debet esse perpetua; dum statutum datur quidem pro tota communitate aut pro classe determinata communitatis, at temporanee pro circumstantia aliqua transeunte.

3.° Dum lex proprie dicta ac præceptum obligationem imponunt, lex improprie dicta et consilium mere dirigunt 8: violatio illorum est peccatum; violatio istorum potest esse error vel imperfectio. At ex libera subjecti volitione fieri potest eidem obligatoria observatio legis improprie dictæ et consilii: hinc et violatio fieri potest peccatum.

116. Lex multipliciter distinguitur: 1.° Ratione legislatoris, alia est *divina*, alia *humana*. Divina, alia est *naturalis;* alia *positiva*. Humana, alia est *ecclesiastica*, alia *civilis*: tum illa, tum ista, alia est *generalis*, alia *particularis*.

2.° Leges humanæ, nominatim ecclesiasticæ, aliæ sunt *territoriales*, aliæ *personales* 9. Sunt territoriales, quæ subjectum attingunt indirecte, mediante territorio: quæ ipsum attingunt directe et immediate, sunt personales. Hæc distinctio practice locum habet: *a*) si agatur de legibus latis ab habente jurisdictionem universalem et latæ sint pro quibusdam personarum cœtibus 10, aut pro determinatis locis 11; *b*) si agatur de legibus latis ab habente jurisdictionem limitatam, puta ab Ordinario. Quæ sunt personales, participant de indole præceptorum, quæ, « singulis data, eos, quibus dantur ubique urgent » 12. Si aliunde nihil constet, « lex non præsumitur personalis, sed territorialis » 13.

3.° Ratione objecti, lex est *affirmativa*, quæ præcipit actus positionem; est *negativa*, quæ eam prohibet, seu præcipit omissionem. Ecclesia pro die festo sanctificando, præcipit Missæ adsistere, servilia omittere.

4.° Ratione effectus in subjecto, lex est *moralis, pœnalis mixta;*

7) Plura NOLDIN *Num. 107.*

8) Hoc sensu dicuntur leges physicæ, grammaticæ, artis pictoriae, etc. Nec quidquam obstat appellari *leges* rubricas directivas.

9) TOSO *Ad Codicem Juris canonici Commentaria minora*. Vol. I. pag. 22, sequ. (Tiferni Tiberini 1922).

10) Ejusmodi est præscriptio, quam habet *Codex Can. 238 § 2.*

11) Ejusmodi sunt præscriptiones quædam circa dies festos jejunia et abstinentiam.

12) CODEX *Can. 24.* — Cf. D'ANNIBALE I. *Num. 119 Nota 9.*

13) CODEX *Can. 8 § 2.*

prout subjectum obligat, sub reatu culpæ, vel sub reatu pœnæ, vel sub utroque.

5.° Ratione effectus objectivi, lex est *obligans* (affirmative vel negative), vel *irritans* aut *inhabilitans;* prout actum reddit illicitum, vel invalidum. Porro « irritantes aut inhabilitantes eæ tantum leges habendæ sunt, quibus, aut actum esse nullum, aut inhabilem esse personam, expresse vel æquivalenter statuitur » 14. A pluribus ponitur etiam lex *permittens;* quæ prohibet agentem inquietari.

117. **Consectaria practica.** — 1.um Auctor legis, seu legislator, non potest esse, nisi qui curam habeat communitatis; h. e., qui super eam habeat potestatem jurisdictionis, et quidem legitimam, aut *per se,* aut saltem *per accidens.*

2.um Legislator non potest obligare nisi personas sibi subjectas; sive sint personæ physicæ, sive morales.

3.um Legislator poterit eas actiones imponere vel vetare, quarum positio vel omissio cedere possit in bonum commune, non in privatum tantummodo, sive suiipsius, sive aliorum.

4.um Legislator præcipere vel prohibere potest quoslibet actus indifferentes *distributive* sumptos, quorum positio vel omissio conferre possit in bonum commune. Numquam præcipere potest actus malos: actus vero bonos præcipere potest; quandoque potest etiam vetare; quando, nempe, videat eorum omissionem magis conducere in bonum commune, quam eorumdem positionem.

5.um Legislator ,ut subditos obliget, debet suam legem eisdem manifestare, imo et juridice intimare; adeo ut hi certo cognoscere possint voluntatem legislatoris eosdem obligantem.

CAPUT II.

DE PRÆCIPUIS ELEMENTIS CUJUSCUMQUE LEGIS

118. Elementum, vel suppositum essentiale, ad conceptum legis est quod ea detur ab habente jurisdictionem super eos, quos legislator obligare intendit. Jurisdictio autem est « potestas publica circa aliorum regimen et gubernationem »; juxta alios « legitima potestas regendi subditos, jus dicendo, leges ferendo, cogendo invitos, puniendo transgressores » 1. Præter hoc, plura et varia numerantur legis elementa, magis vel minus proprie dicta. Nos agendum heic suminus de illis, quæ plus minus identica competunt omnibus legibus; de iis, quæ sunt singulis legibus propria, acturi inferius. — Modo dicimus tantum: *a*) De virtute legis; *b*) de impletione legis.

14) Codex *Can. 11.*

1) D'Annibale I. *Num. 71-92;* Marc *138;* Noldin *127.*

ART. I. — De virtute legis

119. **Principia. I.** Lex quælibet proprie dicta ad aliquid faciendum vel omittendum obligat obligatione morali; adeo ut ejus violatio sit verum malum morale et verum peccatum, grave vel leve, pro diversa legis intentione, et prout gravis, vel levis fuit legis violatio.

Quod lex aliqua obliget *sub gravi*, vel *sub levi*, id pendet *a*) a materia legis, considerata ex objecto, circumstantiis et fine; *b*) in materia gravi, et relate ad legem positivam, pendet etiam a voluntate legislatoris.

III. Lex affirmativa obligat quidem *semper*, at *non pro semper;* lex negativa obligat *semper* et *pro semper*. Scilicet: Si lex est affirmativa, subditus semper ad eam servandam tenetur; at non tenetur eam implere semper: si est negativa, subditus tenetur eam numquam violare, seu semper implere.

IV. Lex obligationem aliquam imponens, simul obligat ad adhibenda ea media, quæ ad ipsam legem implendam ordinarie necessaria sunt.

120. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Lex jubens Deo esse credendum, Deum esse amandum, proximum esse diligendum, etc *sub gravi* obligat; item semper *sub gravi* obligat lex prohibens blasphemiam, perjurium, fornicationem. Harum obligationum gravitas necessario adnexa est earumdem objecto ac intentioni legis.

2.ª Parochus obligatione vere gravi prohibetur scandalum fidelibus præbere per frequentem et irosam usurpationem nominis Dei aut SS. Sacramenti, per verba minus pudica, per immodicas detractiones de suis Superioribus ecclesiasticis, per familiaritates exaggeratas cum feminis, etc.

3.ª Sacerdos Missam celebrans tenetur *sub gravi* modicissimam aquæ quantitatem vino in calice admiscere: materia gravis est ex fine legis.

4.ª Confessarius imponere potest pœnitenti satisfactionem in materia gravi implendam *sub levi*. Ita et Constitutiones Ordinum religiosorum, Prælati regulares, etc.

121. *Ex Princ. III.* — 1.ª Homo ab adepto usu rationis semper tenetur orare; at non tenetur orare semper: ita, qui peccatum mortale commisit, ipso instanti tenetur de illo dolere; at non tenetur dolere statim; puer, statim ac ad usum rationis pervenit, tenetur ex divino præcepto accipere Eucharistiam; at non tenetur accipere statim: incepto die fe-

sto, fidelis debet Missam audire, at non tenetur audire prima hora.

2.ª E contra, quolibet instanti prohibetur homo blasphemare, pejerare, furari, mentiri, detrahere, etc.: fidelis quolibet momento diei festi prohibetur servilia peragere, quolibet momento diei abstinentiæ prohibetur carnes comedere.

122. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Quia nemo potest legem implere, nisi eam cognoscat, ideo homo, cum dubitat num lex exsistat, de eadem debet inquirere; et quidem statim ac obligatio illius legis urget.

2.ª Qui, cum sit in peccato, debeat communionem paschalem accipere, debet prius gratiam per sacramentum Pœnitentiæ recuperare.

3.ª Obligatio conservandi vitam propriam simul est obligatio sumendi cibos, consulendi medicum, adhibendi medicinas: at non est simul obligatio permittendi sui cruris amputationem.

4.ª Qui novit se ambulando jejunare non posse, tenetur die jejunii ab ambulando cessare: at parochus, qui non possit jejunare et simul confessiones fidelium excipere, ratione jejunii non tenetur a confessionibus excipiendis abstinere [2].

123. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I, II.* — *Qu. 1.* Quænam materia in lege aut in præcepto habenda sit ut gravis?

Resp. 1.° Si materia spectetur *in se*, habenda est ut gravis illa, quæ imponitur tamquam notabiliter conducens in finem magni momenti: habenda est ut levis, tum ea, cujus finis levis est, tum ea, quæ in finem gravem non conducit notabiliter. Si lex negativa sit, idem dicatur relate ad materiam obstantem fini legis. Ita in finem gravem sanctificandi diem festum notabiliter conducit auditio Missæ: eidem fini notabiliter obstat exercitium servilium per integram diem; non notabiliter exercitium servilium per dimidiam horam. In finem gravem servandi justitiam commutativam notabiliter conducit quod debitor det creditori summam debitam ingentem; non notabiliter, quod det unum obolum [3].

2.° Si res spectetur *ex parte legislatoris*, gravitas legis dijudicari potest ex verbis legis vel præcepti, aut in se, aut in communi acceptione; ex gravitate pœnæ inflictæ; ex fine ab eodem legislatore intento. Sic graviter censendus est obligare Pontifex, cum adhibet verba; *districte præcipimus;* vel cum addit se id vetare sub pœna excommunicationis *sententiæ latæ*. Item Ecclesia *sub gravi* prohibet, ne qua guttula aquæ sumatur ante communionem; non *sub gravi*, ne die abstinentiæ sumantur quædam guttulæ juris ex carne.

Ceterum patet rem esse considerandam in singulis legibus; normam autem practicam esse potissime sensum Ecclesiæ, theologorum et fidelium.

Qu. 2. Utrum legislator vel superior obligare possit *sub gravi* in materia levi, *sub levi* in materia gravi?

2) Cf. D'Annibale *Num. 171.* — At cf. quoque Ball. *259-267.*
3) Alia exempla apud Tanquerey *Num. 274.*

Resp. Ad 1. *Negative;* eo quod materia levis incapax est obligationis gravis. Hinc, si ipsa materia totalis sit levis, vel in materia in se gravi spectetur ejus particula levis, non potest circa ipsam haberi nisi obligatio levis, et proinde transgressio levis, et peccatum mere veniale; quod valet, quæcumque sit forma adhibita vel pœna inflicta a legislatore.

Ad 2. *Affirmative.* Cum enim liberum sit legislatori vel præceptori in materia gravi imponere obligationem, vel nullam imponere, ita liberum ei erit in eadem materia imponere levem: tantum enim ligat, quantum ipse vult. Ita confessarius pœnitenti confesso peccata mere venialia imponere non potest pœnitentiam gravem *sub gravi* obeundam; at imponere potest gravem obeundam *sub levi*: imo, etsi levitatem obligationis non declaret expresse, ipsa obligatio nonnisi levis esse potest.

Qu. 3. Utrum circumstantia contemptus faciat esse gravem violationem legis in materia levi?

Resp. Si contemptus feratur in ipsam auctoritatem legislatoris, *affirmative*: imo contemptus ipse gravis est, etiamsi lex nullatenus violetur 4. Ita graviter peccat, qui die vetito comedat frustulum carnis, eo quod contemnit legem ipsam vel Ecclesiæ auctoritatem, dicens: *Non quod intrat per os coinquinat hominem* 5. — *Negative* vero, si contemptus feratur in materiam, utpote quæ levis est; puta, si quis frustulum carnis comedat, ea ductus ratione, quod pro re tam exigua non merebitur infernum. — Item *negative*, si contemptus feratur in personam superioris ex motivo personali; puta, quia putatur imprudens, indoctus, imperitus, etc.

ART. II. — De impletione legis

124. **Principia. I.** Ad satisfaciendum legi negativæ, satisfactione moraliter bona et meritoria, requiritur et satis est, quod opus prohibitum omittatur omissione quæ sit voluntaria legis impletio, sive *directe*, sive *indirecte*: ad eam legem non violandam satis est, quod opus omittatur, etsi involuntarie.

II. Ad satisfaciendum legi affirmativæ necesse est, quod opus præceptum ponatur totum, cum adjunctis præscriptis, et quidem actu humano: non est necesse, quod ponatur intentione implendi legem, vel consequendi finem legis; nec enim intentio præscribitur, *nec finis præcepti cadit sub præcepto.*

125. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Ut quis, die vetito abstinens a carnibus, legem impleat, eamque implendo bene agat et mereatur, necesse est quod sciat ea die carnes prohiberi; si abstineat

4) Eadem ratione peccat, qui contemnat consilia evangelica.

5) Tempore S. Alphonsi rarus putabatur esse casus contemptûs auctoritatis legiferæ (*Lib. II. Num. 142*): hodie alia res est.

inscius, legem quidem non violat, at nec eam voluntarie et meritorie implet: idem dic de omissione servilium die festo ab homine dormiente per integrum diem, quem ignorat esse festum.

2.ª Legem abstinentiæ implet et meretur pauper, qui die, quo vetantur carnes, sciens et volens comedit legumina; licet sua quoque paupertate a carnibus comedendis impediatur.

3.ª Legem non violat, qui a carnibus abstinet prorsus invitus et repugnans: at coram Deo reus adhuc erit malæ volitionis.

4.ª Si quis die festo ab operando abstineat propter condictum operistitium, præceptum Ecclesiæ non violat.

5.ª Quia præceptum restituendi est in se negativum, ut quis ipsum non violet, satis est quod res alteri debita cedat; sive id faciat sciens volens debitor ipse 6, quo in casu legem voluntarie implet et meretur; sive id faciat inscius; sive alius id faciat pro eo; sive creditor ipse suam rem vel suum jus per occultam ablationem recuperet.

126. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui valeat die festo Missam audire, non satisfacit, si pro Missa integrum rosarium recitet, si Missam non totam audiat. Idem dic de eo, qui Missam eo die audire non valeat; quare nec tenetur quidquam Missæ illius diei subrogare 7.

2.ª Si legi implendæ tempus est assignatum, opus perfici vel omitti debet eo tempore. Huc spectant plura præcepta Ecclesiæ.

3.ª Qui die festo ecclesiam ingrediatur unice ut arti pictoriæ operam det, vel ut expectet amicum, etsi interim Missa celebretur, non satisfacit præcepto; Missam enim non audit, quam non vult (saltem negative) audire.

4.ª Qui voluntarie Missam audiat die, quem ignorat esse festivum, satisfacit præcepto: item satisfacit, qui die festo Conceptionis B. Mariæ Virginis intendit primam Missam audire ex devotione erga B. Virginem, intendens aliam deinceps audire ad implendum præceptum. Ita præcepto confessarii satisfacit pœnitens, qui, accepta pœnitentiâ recitandi ter Salutationem angelicam, ex devotione recitat rosarium.

5.ª Puer, qui Missam audiat ut accipiat obolum sibi a patruo promissum, vel ne privetur jentaculo, præcepto Ecclesiæ satisfacit; nec postea tenetur aliam Missam audire sponte sua: non satisfacit, qui prorsus violenter adsistat.

6.ª Imo satisfacit et ille, qui Missam audit, Horas canonicas recitat, absolvit pœnitentiam sacramentalem, etc., cum animo non satisfaciendi et cum intentione iterandi ad satisfaciendum 8.

6) Probabile est eumdem, saltem plerumque, restituisse, etsi intenderit donare. — Cf. D'Annibale *Num. 166, 3.*

7) Cf. D'Annibale *Num. 166, 29.* — Alia habentur exempla apud Gury *Casus Num. 99, seqq.*

8) S. Ligorius *Lib. IV. Num. 176.* — In voto res alia esse potest; cum ab ipsa intentione voventis originem habeat obligatio.

7.ª Qui cibis esurialibus magis delectetur et nutriatur quam carnibus, comedens die abstinentiæ pisces et legumina, legem implet et meretur: hinc ipse quoque ad abstinendum a carnibus tenetur, licet finem, et quidem intrinsecum, legis non consequatur.

127. **Quæstiones**. — *Circa Princ. I, II.* — *Qu. 1.* Utrum ad implendam legem requiratur status gratiæ?

Resp. Negative, nisi pro aliquo præcepto requiratur *per accidens.* Ratio est, quia necesse et satis est omitti quod est prohibitum, fieri quod est præceptum. Ita et peccatores tenentur exercere actum fidei, servare justitiam in contractibus, dies festos sanctificare per cessationem a servilibus et per auditionem Sacri, sua peccata aliquando confiteri, etc. Quod confirmatur ex damnatione *Prop. 16* Baji: « Non est vera legis obedientia, quæ fit sine caritate ». Ceterum hujusmodi legis obedientia in statu peccati non potest habere rationem meriti ad vitam æternam, propter incapacitatem merendi in subjecto.

Quandoque autem status gratiæ requiritur *per accidens,* ratione rei præceptæ. Ita ad implendum præceptum Ecclesiæ accipiendi in Paschate Eucharistiam prærequiritur status gratiæ.

Qu. 2. Utrum ad implendam legem necesse sit, quod impleatur ex motivo caritatis erga Deum?

Resp. Negative, nisi agatur de implendo præcepto dilectionis Dei 9. Ratio est, quia lex quælibet, præcipiens exercitium alicujus virtutis, obligat ex motivo proprio ejusdem virtutis. Sic quisque prohibetur blasphemare ex motivo religionis; fur tenetur restituere ex motivo justitiæ; filius tenetur honorare patrem ex motivo pietatis, etc. Quod motivo proprio legis adjiciatur motivum caritatis erga Deum, hoc erit ad perfectione majorem obedientiæ et ad augmentum meriti.

Qu. 3. Utrum satisfaciat legi, qui in actu ipsam implendi peccat?

Resp. 1.° Negative, quoties peccatum afficit ipsam substantiam operis præcepti. Ita per confessionem aut communionem sacrilegam non satisfit præcepto Ecclesiæ 10.

2.° *Affirmative,* quoties actus ipse implendi legem malus sit ex circumstantia non pertinente ad substantiam operis nec ad adjunctum præscriptum, vel etiam si malus sit ex fine agentis.

Ita præcepto elemosynæ faciendæ satisfacit dives eleemosynam largiens ex vana gloria voluntaria, vel etiam ad vanam gloriam; item, qui jejunet ex avaritia, vel ex gula manducandi pisces: qui ad hanc Missam audiendam accedat ut videat, ut videatur, ut furetur. Ratio est, quia lex præcipit substantiam actus; et hæc ponitur.

Sacerdos recitans Horas voluntarie distractus, satisfacit quoad sub-

9) Cf. S. THOMAM *1. 2. Qu. 100 art. 10.*

10) CODEX *Can. 861, 907.* — Cf. *Prop. 14* damnatam ab Alexandro VIII, et *Prop. 55* ab Innocentio XI, apud DENZIGER *Num. 114, 1205;* S. LIG. *Num. 162.*

stantiam, non quoad modum, qui ab ipsa rei præceptæ dignitate exigitur; at non tenetur iterum recitare.

Qu. 4. Utrum unico actu impleri possint plures leges vel præcepta?

Resp. Affirmative, si præcepta hæc eamdem imponunt materiam et ex eodem motivo: *negative,* si aut diversam imponunt materiam aut eamdem ex diverso motivo. Ratio est, quia in priori casu præcepta plura sunt moraliter unum; in altero sunt plura. Ita fidelis unius Missæ auditione satisfacit, si festum S. Petri incidat in Dominicam: utrique præcepto, Ecclesiæ et patris, satisfacit filius unam Missam audiendo. Verum, si Titio debeas francos centum ex una re empta, centum ex alia, solvendo centum non satisfacis; materia est diversa. Eadem ratione sacerdos unius Missæ celebratione satisfacere non potest pro duobus stipendiis acceptis. Si confessarius cuipiam imponit ut die Paschatis in pœnitentiam audiat Missam, pœnitens unius Missæ auditione non satisfacit utrique præcepto [11]; diversum enim est motivum, et ideo diversa moraliter sunt præcepta.

Qu. 5. Utrum præcepta plura impleri possint eodem tempore?

Resp. Affirmative; nisi aut opera præcepta se ad invicem impediant, aut legislator intenderit præcepta implenda esse separatim. Ita eodem tempore potest subdiaconus Horas recitare et Missam audire; pœnitens potest simul Missam audire et implere pœnitentiam. Si confessarius die festo imposuerit in pœnitentiam audiendam esse Missam, censetur imposuisse Missam diversam a præcripta vi legis Ecclesiæ: at, si duo simul Missæ in diversis altaribus celebrantur, nil vetat pœnitentem utrique præcepto simul satisfacere; nisi aliter etiam pro isto casu confessarius statuerit.

Si duo præcepta simul impleri non possint, tunc communiter impleri debent successive: at, si urgeant simul, generatim majus præferendum est minori; scilicet, naturale positivo, divinum humano, ecclesiasticum civili. Ceterum res perpendenda est in singulis materiis.

Qu. 6. Quandonam impleri debeat præceptum?

Resp. 1.° Generatim eo tempore, quod est determinatum in lege. Si hoc tempus habet latitudinem et præceptum est affirmativum, liberum cuique est implere quovis die vel momento inter limites contento: ita Missa audiri debet intra horas vigintiquatuor diei festi naturalis; Communio sumi debet intra quindecim dies quindenæ paschalis. Hinc, qui prævidet se Missam audire non posse horâ undecimâ, tenetur audire qua potest ante; qui prævidet se communicare non posse hebdomada majori: eâdem ratione, qua similis obligatio evidens est in casibus oppositis.

2.° Si tempore determinato obligatio impleri non potest, non adest obligatio præveniendi; imo per præventionem obligatio non impletur,

11) Ceterum confessarius posset in pœnitentiam imponere auditionem Missæ jam ab Ecclesia præceptam; sed, quia id communiter non fit, ideo non præsumitur.

nisi in materia justitiæ. Qui non potest Missam audire die festo, non tenetur audire die sabbati, nec Missam die sabbati audiendo eximitur ab obligatione audiendi die dominica. Qui non potest tempore paschali communicare, non tenetur id præstare sabbato Passionis; et si, id præstiterit, cessante dein impedimento, adhuc tenetur communicare tempore paschali. At in materia justitiæ, qui prævidet se non posse stato die solvere decimas aut legatum vel usuras, præveniendo satisfacit: imo generatim prævenire tenetur, licet creditor ante diem statutum exigere non possit.

3.° Si tempore determinato lex aut præceptum impletum non fuit, sive ex impedimento, sive ex ignavia aut mala voluntate, tunc obligatio cessat, quoties operi assignatum fuit tempus ratione *sui;* ut in præceptis de Missa audienda, de abstinentia, de jejunio: tunc enim tempore obligatio finitur. Si vero tempus assignatum fuit ratione *operis* præcepti, quod maxime interest præstari, tunc assignatum fuit ad obligationem illius operis urgendam, et consequenter elapso tempore obligatio perdurat. Ita si solvendo debito adsignata fuit dies, elapsa die obligatio adhuc urget; qui intra mensem confessarium sollicitantem non denuntiavit, adhuc ad denuntiandum tenetur 12.

4.° Si lex dicat opus præstandum esse *statim* aut *quamprimum*, determinatio juxta diversas materias pendebit ex communi æstimatione: ex hac norma neutrum adverbium videtur excludere dilationem per duos vel tres dies 13.

5.° Si tempus nullo modo est determinatum, tunc opus præstandum certe est ante diem illum, quo elapso, lex impleri amplius non poterit, aut, quo elabente, res ex lege aut præcepto aut voto debita minueretur: quandoque obligatio urgere quoque poterit *per accidens*, h. e., vi alterius præcepti. Ita obligatio sumendi Baptismum, vel post peccatum mortale conterendi, certe obligat ante mortem: si confessarius imponat pœnitenti ut usque ad finem anni debeat quotidie recitare rosarium, pœnitens de die in diem differens peccat; ita et qui differat exsecutionem voti ingrediendi religionem. Demum sacerdos, qui exsistens in peccato mortali velit hodie celebrare, debet hoc mane suum peccatum confiteri. — Ceterum de his dilationibus fusius agendum suis in locis.

Qu. 7. Quo modo impleri debeat præceptum?

Resp. Eo modo, qui aut præceptus sit ab ipsa lege, aut a natura rei præceptæ exigatur: et quidem, si modus spectat ad substantiam præcepti, non servato modo, non impletur præceptum; si est quid extrinsecum, non servato modo, præceptum impletur quoad substantiam, non quoad modum: in primo casu, præceptum adhuc implendum manet;

12) Nonnulli afferunt exemplum communionis in Paschate. At probabiliter duo heic præcipiuntur: communicare in Paschate, et communicare intra annum: qui in Paschate non communicavit, ante novissimum illius anni (paschalis) diem communicare non tenetur.

13) Cf. S. Ligorium *VI. N. 266;* D'Annibale *Num. 167 Not. 37, 38.*

secus, in altero. Si quis confessionem annuam faciat absque dolore, præceptum non implet, ac iterum intra annum tenetur confiteri. Parochus tenetur ex officio baptizare infantem, eumque baptizare debet trina aquæ infusione; si baptizet unicâ, obligationem suam baptizandi implet quoad substantiam; at peccat, et quidem graviter, contra modum; rebaptizare autem nec tenetur, nec debet. Sacerdos, qui Horas recitaverit non attente vel non devote, obligationi satisfecit quoad substantiam, non quoad modum; iterare non tenetur.

CAPUT III.

DE CAUSIS A LEGE DEOBLIGATIBUS

128. Hæ causæ triplicis generis sunt [1]: — 1.° Quædam faciunt ut lex ipsa cesset. Præterquam universim (per abrogationem vel derogationem, per cessationem causæ motivæ, per desuetudinem), id potest contingere relate ad particulares personas: sive *a*) ex parte legislatoris, qui dispensationem vel privilegium cuipiam concesserit; sive *b*) ex parte ipsius legis, quæ limitata fuerit aut hypothetica; sive *c*) ex parte alicujus personæ, quæ cessaverit subjecta esse auctoritati legislatoris. In hisce casibus dicitur ea persona lege *non teneri*, vel *ab ipsa lege exemptam esse*.

2.° Quædam causæ faciunt, ut, manente lege, pro determinato subjecto cesset ejusdem obligatio; sive id fiat propter ejus impotentiam physicam servandi legem; sive fiat propter impotentiam moralem, h. e., propter incommodum impletioni legis adnexum *per accidens*, adeo grave, ut legislator censeatur noluisse quempiam cum tali incommodo obligare. In eo casu persona, legi manens subjecta, dicitur *a lege implenda impediri*, ideoque *excusari*.

3.° Quædam causæ faciunt, ut, manente tum lege, tum ejus obligatione objective, hæc veluti suspendatur subjective; adeo ut subjectum, illi legi et obligationi obnoxium manens, eamdem violans non peccet formaliter. In eo casu subjectum dicitur *excusari a peccato formali* violationis legis: causæ autem hæ reducuntur ad ignorantiam actualem invincibilem, ebrietatem, dementiam transeuntem, etc.

129. **Principia 1.** Cessante utcumque lege, actio eidem opposita non est legis transgressio. Hinc cuique licebit, mediis in se licitis, efficere ut lex relate ad ipsum cesset.

11. Manente lege, *a*) *per se* manet et obligatio eamdem implendi. Hinc, qui debet legem implere, eo ipso prohibetur obstacula legi implendæ objicere, sive *directe*, sive, sine causa propor-

1) S. Ligorium *Num. 15;* Ball. *175, seqq.*, et*257*: D'Ann. *177-183.*

tionata, *indirecte;* imo et obstacula exstantia tenetur amovere. Tamen *b*) ex causa gravitati legis proportionata poterit obstacula non amovere; imo et ea objicere poterit *indirecte,* licet prævideat se inde a legis impletione impediendum fore. *c*) Obstante autem incommodo extrinseco et proportionate gravi, ex quo legis impletio fiat moraliter impossibilis, lex ipsa cessat obligare [2].

111. Ignorantia invincibilis, nec legem, nec obligationem legis tollit : ideoque, qui ex ea ignorantia contra legem agit, legem violat et materialiter peccat. Hinc ignorantia legis pro viribus amovenda est.

130. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ille, cui nonnihil grave videatur observare legem jejunii, aut pro Missa audienda adire ecclesiam publicam, aut Matrimonium cum determinata persona non contrahere, etc., petere potest a R. Pontifice dispensationem aut privilegium; dummodo nihil falsi in petendo alleget, nihil dicendum taceat: dispensationem vel privilegium consecutus, licite eo uti potest.

2.ª Qui gerat munus publicum vel privatum, ex quo obligationes quasdam servare debeat ex justitia, poterit (nisi quid obstet *per accidens*) se eo munere abdicare, ac ita ab ejus obligationibus sese eximere. Qui vero munus assumpsit ad annum, evidenter anno elapso ab ipsius muneris obligationibus liber est.

3.ª Eadem ratione legis hypotheticæ, quisque fame oppressus surripere sibi potest panes alienos.

4.ª Si in diœcesi Veronensi jejunium lege diœcesana occurrat, quisque potest ea die diœcesi abscedere; tum ad sua negotia peragenda, tum etiam ad hunc finem excutiendi onus jejunii. Idem modo dicendum de exeunte e territorio Ordinarii reservantis, dumtaxat ab absolutionem obtinendam a peccato in sua diœcesi reservato [3].

5.ª Eodem jure potest quis a loco, in quo lex quæpiam universalis viget, transire in locum, in quo non viget; et quidem ad hunc finem subducendi se a lege [4].

6.ª Verum non valide quis se eximit a lege, si tempore, quo ipsa urgebat eamque implere debebat, eam non implevit, sub prætextu quod mox, sive directe, sive indirecte, sese ab ea subducturus esset. Ita peccat contra legem, qui in festo particulari sui loci Missam ea hora, qua audire poterat, non audivit, sub prætextu quod inde discessurus esset hora undecima, postquam nulla ibidem Missa celebranda erat. Eadem ratio-

2) S. Ligorium *Lib. III. Num. 175-177* Ball. *256, seqq.;* Ferr. *177-180.*
3) Codex *Can. 900, n. 3.*
4) Codex *Can. 14, n. 3* nullam ponit limitationem.

ne, quousque quis est in loco suo, tenetur implere leges sui loci negativas; a carnibus abstinere operibus servilibus non vacare 5.

131. *Ex Princ. II.* — 1.ª Debitor, qui non habet ex quo creditoribus solvat, tenetur sumptibus domesticis parcere, artem exercere, munus obire, etc., ut solvendo par fiat.

2.ª Qui die jejunii iter sumit ad invisendum amicum, vel ad visitandum sanctuarium, etc., et inde jejunare non valeat, reus est violatæ legis jejunii; tum, si invisendi ea die amicum, visitandi sanctuarium, non habeatur causa gravis, tum multo magis, si hæc itinera sumat ut non jejunet.

3.ª Incepto tempore paschali non poterit quis transire ad locum ubi communicare non poterit, nisi prius præcepto satisfecerit. Poterit ex causa proportionate gravi, vel ex non præviso effectu.

4.ª Excommunicatus tenetur petere absolutionem, ut possit in Paschate communicare: non tenetur, ut die festo possit adsistere Missæ: præceptum prius longe gravius habetur, quam alterum 6.

5.ª Qui absque necessitate vel justa causa iter sumit feria quinta, prævidens periculum omittendi Missam Dominica sequente, forte non peccat; aut certe minus peccat, quam qui cum eadem prævisione iter sumat mane ipsius Dominicæ aut circa mediam noctem præcedentem 7.

6.ª Qui sine causa proportionate gravi incommodum alteri infert aut minatur, ex quo iste ab obligatione satisfaciendi legi excusetur, ipse reus est violatæ legis ad altero: ita, qui vexationem gravem intimet alicui, si ad Missam audiendam accedat; qui carnes comedendas die vetito sub aliquo timore alteri imponat.

132. *Ex Princ. III.* — 1.ª Non excusatur a peccato formali legis violatæ, qui, cum de exsistentia legis dubitaverit et inquirere potuerit, inquirere omisit; excepto casu, quo maluerit sequi viam tutiorem.

2.ª Qui, abutens ignorantia invincibili alterius, ipsi causa vel occasio voluntaria sit agendi contra legem, reus est legis ab altero violatæ. Ita peccat caupo, qui scienter die vetito carnes præbeat alicui ignoranti ea die carnes prohiberi: non peccat qui eas præbeat puero nondum septenni.

3.ª Qui videat alium laborare ignorantia invincibili circa aliquam obligationem, tenetur, si non ex justitia aut pietate, certe ex caritate, eumdem docere: excipe casum, quo præviderit monitionem futuram esse causam peccati formalis.

4.ª « Obligatio præcepti communionis sumendæ, quæ impuberes gravat, in eos quoque et præcipue recidit, qui ipsorum curam habere debent » 8.

5) Cf. LEHMKUHL *Casus Num. 97 — 102;* GURY *Casus 81-86;* VERMEARCH *221.*

6) Ita ex sensu communi theologorum. — Cf. S. LIGORIUM *Lib. VII. Num. 161.*

7) LEHMKUHL *Num. 158,* et *Casus 97-100.*

8) CODEX *Can. 860.*

133. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quale et quantum debeat esse incommodum, ut ejus causa quis ab obligatione implenda excusetur ?

Resp. 1.° Debet esse icommodum obligationi legis extrinsecum, eique adnexum *per accidens*. Nam, si incommodum sit ipsi obligationi intrinsecum ipsique adnexum *per se*, hoc volitum et impositum fuit a legislatore : est enim cuicumque legi commune, ut ea homo ligetur, et ligari incommodum est. Ita a lege abstinentiæ non excusatur ille, cui carnes magis placent quam legumina ; nec a lege integritatis confessionis excusat verecundia.

2.° Debet esse grave gravitate proportionata gravitati ipsius legis ; adeo ut legislator ipse censeatur noluisse quempiam ea lege obligari cum tanto incommodo : nomine autem *incommodi* venire potest, tum privatio actionis vel rei necessariæ, tum privatio actionis vel rei utilis ; nam et incommodum istud potest esse satis grave præ gravitate rei aut actionis per legem præceptæ 9. Incommodum omittendi quadam die ambulationem, communiter non est proportionatum gravitati legis jejunii : at, si medicus ambulationem quotidianam cuipiam præscripserit, pro isto ejus omissio potest esse incommodum satis grave. Ita opus servile die festo non justificatur ex lucro ordinario ; at justificari potest ex lucro extraordinario. — Patet exempla innumera esse, ac normas particulares reservandas esse particularibus tractatibus.

Qu. 2. Utrum metus gravis ab obligatione legis excuset ?

Resp. 1.° Non excusat ab obligatione legis naturalis negativæ prohibentis rem intrinsece et absolute malam 10 ; ita numquam ex gravissimo metu licebit blasphemare, pejerare, mentiri, fidem negare, etc.

2.° Quandoque excusare potest a præcepto naturali affirmativo ; puta ab obligatione servandi depositum ; imo et ab obligatione restituendi, quæ lex relate ad modum impletionis affirmativa est. Non raro excusare potest a lege positiva divina : ita sacerdos metu infamiæ poterit Missam celebrare, non præmissa peccati mortalis confessione, eidem non possibili. Facilius et frequentius excusat in legibus ecclesiasticis.

3.° Verum metus, quantumvis gravis, non excusat a lege affirmativa, sive divina, sive ecclesiastica, si legis transgressio exigatur in odium Dei, vel in contemptum Ecclesiæ aut religionis : quo in casu ea transgressio prohiberetur lege naturali negativa absoluta 11. Neque generatim metus damni gravis excusat, si levis violatio cedat in damnum publicum, vel in damnum spirituale gravissimum et irreparabile personæ privatæ. Ita miles tempore belli jubetur in statione consistere, etiam cum periculo vitæ ; item parochus, imo et quilibet homo, tenetur cum eodem

9) Cf. S. Ligorium *Num. 175;* Lehmkuhl *Num. 175.*

10) Ne in extrema necessitate licebit furari : at licebit rem alienam sibi auferre, cum ejus dominus non possit in eo casu invitus esse rationabiliter, ac proinde ea ablatio non sit furtum.

11) Tamen metus minuere adhuc potest imputabilitatem. Codex *Can. 2305* § 2.

periculo infantem moribundum baptizare. Ratio est, quia periculum vitæ propriæ proportionem non habet cum damno communi, et cum damno, licet privato, sed spirituali gravissimo et irreparabili.

Qu. 3. Utrum teneatur obligationi suæ satisfacere ex parte, qui non potest ex integro?

Resp. Affirmative, si materia obligationis divisibilis sit, et in parte divisa permaneat ratio præcepti. Si vero materia indivisibilis sit, aut in parte divisa non subsistat ratio præcepti, *negative*. Ita sacerdos, qui non potest per totam Quadragesimam jejunare, at potest una die per singulas hebdomadas, ea die jejunare tenetur. Qui die jejunii et abstinentiæ potest abstinere, non potest jejunare, ad abstinendum a carnibus tenetur. Debitor impar integræ summæ debitæ restituendæ, restituere debet partem, quam valet. At statuarius, qui statuam sculpendam assumpsit, si non potest sculpere totam, non tenetur sculpere pedem: sacerdos, cui celebranda imponitur Missa, si prævideat se vix perventurum ad Evangelium, nec Missam inchoare tenetur: concionator non tenetur recitare exordium, quando novit se ultra progredi non posse: qui vovit Romam peregrinari, si impos fiat Romam pergere, non tenetur iter inire [12].

SECTIO ALTERA

DE LEGIBUS IN PARTICULARI

134. Datis notionibus generalibus circa conceptum legit ejusque elementa communia, modo in particulari dicendum: 1.° De lege divina æterna et naturali: 2.° de lege divina positiva; 3.° de lege ecclesiastica; 4.° de lege civili.

CAPUT I.

DE LEGE ÆTERNA ET NATURALI

135. *Lex æterna*, juxta S. Thomam, est « ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum » [1]. Hæc lex æterna, in mente Dei ab æterno exsistens, defectu subjecti et promulgationis, non est lex sensu proprio, sed fons omnium legum, ac in primis *legis naturalis*, quæ ex eodem S. Thoma est « legis æternæ participatio in rationali creatura » [2]. Scilicet Deus ipso decreto, quo decrevit entia a se distincta creare, simul necessario decrevit ut illa in suum fi-

12) Plura apud S. Ligorium, *Num. 177;* Ball. *251-256.*

1) S. Thomas *Qu. 93 art. 1.* — Cf. Suarez *De legibus Lib. II. Cap. I-IV.*: Lehmk. *Num. 185;* Tanqu. *219, seqq.;* Noldin *111, seqq.*

2) S. Thomas *Qu. 91 art. 2.* — Cf. Suarez *Lib. II. Cap. VI., seqq.*

nem tenderent; qui finis necessario pendet a propria singularum creaturarum natura. Prout decretum consideratur in mente Dei ab æterno exsistens, dicitur *lex æterna;* prout consideratur in relatione ad naturam propiam singularum creaturarum, dicitur *lex naturalis*. Porro ordo naturalis universim acceptus spectat creaturas omnes, tum irrationales, quæ in suum finem *moventur*, tum rationales quæ in suum finem *se movere* debent [3]; at sensu magis proprio has spectat, eisque imponit, ut, utentes libero arbitrio, ea faciant, quæ ipsas in suum finem conducunt; ab eis abstineant, quæ sui finis consecutionem ipsis impediunt. Hinc rite *lex naturalis* a S. Augustino definitur « ratio et voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans » [4].

Ut de hac lege naturali synoptice dicamus, quantum ad homines spectat: *a*) Ejus auctor est Deus, prout est auctor naturæ humanæ; *b*) ejus subjectum est integrum genus humanum; *c*) ejus objectum sunt omnes actus humani in finem hominis naturalem ordinabiles; *d*) ejus intimatio homini fit per lumen rationis.

136. **Thesis.** Exsistit lex divina, ordinem naturalem servari jubens, perturbari vetans; quæ homini intimata est habitualiter per ipsam rationem, actualiter per usum rationis.

137. **Probatur.** — 1.° Sapientiæ et sanctitati divinæ repugnat, quod Deo, cum creaverit hominem, indifferens sit quod homo in suum finem tendat, vel non. Porro homo in finem tendit per actus moraliter bonos; per omissionem omnium actuum moraliter bonorum in finem non tendit; per positionem cujuscumque actus moraliter inhonesti a suo fine consequendo positive avertitur. Ergo repugnat, quod Deus homini actus quosdam moraliter bonos non præceperit, quosvis actus malos non prohibuerit. — 2.° Confirmatur ex sacra Scriptura: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et præcepta sua: si volueris servare mandata, conservabunt te* [5]. S. Paulus de Gentibus non habentibus legem mosaicam affirmat legem eos habuisse *scriptam in cordibus suis*, firmatam *testimonio conscientiæ ipsorum* [6]. Idem habent et Patres plures ac omnes theologi et philosophi christiani [7]. — 3.° Accedit argumentum ex universali omnium gentium persuasione, tum de exsistentia hujus legis in se, tum de ejusdem sanctione in vita ultramundana, tum de necessitate offerendi Divinitati sacrificia in expiationem admissorum contra hanc legem.

Agemus: *a*) De subiecto legis naturalis; *b*) de ejus objecto; *c*) de ejusdem immutabilitate, et *d*) promulgatione.

3) Cf. S. Thomas *I. 2. Qu. 1 art. 2.*
4) S. Augustinus *Contra Faustum* Lib. *XXII. Cap. 27.*
5) Eccli. *XV. 14-18.*
6) Rom. *II. 14-16.* — Cf. Tanqu. *Num. 216, sequ.*
7) Cf. Leonis XIII Encycl. *Libertas* die 20 junii a. 1888; Taparelli *Saggio teor. di diritto natur. Dissert. I. Cap. V.*

ART. I. — De subjecto legis naturalis

138. **Principia. I.** Omnis homo, etsi infans aut amens, subjectus est legi naturali, eamque *per se* servare tenetur. Ratio est, quia hæc lex naturalis fundamentum habet ipsam humanam naturam.

II. Tantummodo homo, actu pollens usu rationis ac legem naturalem cognoscens, eam servare tenetur in *actu secundo*, eamque non servans peccat. Ratio est, quia, alterutra conditione deficiente, impossibilis est, tum legis observatio, tum ejusdem violatio voluntaria, seu humana et libera : utraque verificata, utraque possibilis est.

139. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Infantes, amentes, ebrii subsunt legi prohibenti blasphemias, turpitudines, furta, mendacia, etc. Ideo non licet eos ad hosce actus provocare; qui vero provocent, formaliter rei sunt violatæ ab illis legis naturalis.

2.ª Qui, aut ex natura, aut ex contractu, curam habeant infantium aut amentium, eodem titulo tenentur pueros et amentes ab actibus prædictis coërcere; ad eos vero coërcendos ex caritate tenentur omnes.

140. *Ex Princ. II.* — 1.ª Infantes et pueri usum rationis non habentes, qui actus in se lege naturali prohibitos ponant, non sunt formaliter rei legis violatæ: hinc, si posterius percipiant eos esse prohibitos, de illis verâ pœnitentiâ dolere non possunt: possunt tantummodo eos detestari ac proponere quoad futurum. Nec iidem tenentur eos actus confiteri; imo eorumdem actuum confessio non potest esse sacramentalis.

2.ª Idem dicendum de pueris ac juvenibus usum rationis habentibus, at ignorantibus quorumdam actuum malitiam; eo enim ipso ignorant eos actus esse illicitos ac lege divina prohibitos.

3.ª Idem dicendum de ebriis quoad blasphemias, imprecationes, turpitudines, turpiloquia, etc.; nisi horum actuum rei sint in causa.

ART. II. — De objecto legis naturalis

141. **Principia. I.** Ordo naturalis, homini per legem naturalem impositus, jubet satisfaciendum esse officiis, quæ ex ipsa natura homo habet erga Deum, erga proximum, erga seipsum. Horum enim exsecutio hominem in suum finem dirigit; horum violatio hominem a suo fine avertit; hinc homo, ea officia exsequens, ordinem naturalem servat; ea violans, perturbat [8].

8) Cf. Taparelli *Op. cit. Cap. IX, XI;* Marc *Num. 121 sequ.*, et alios.

11. Objectum legis naturalis in concreto, pro lege affirmativa sunt illi actus boni, quorum positio necessaria sit ad hominem in suum finem dirigendum; pro lege negativa sunt omnes actus mali. Quare Deus necessario illos præcipit, hos vetat.

142. **Resolutiones.** —*Ex Princ. I.* — 1.ª Lex naturalis homini præcipit, ut Deo credat, in eum speret, eumque tamquam summum bonum diligat; item, ut Dei infinitam excellentiam colat, et generatim eidem pro suo supremo dominio præcipienti obediat: hinc et hisce opposita jubet esse vitanda.

2.ª Eadem lex homini præcipit, ut proximum diligat, ut parentes revereatur, ut superioribus obediat, ut erga omnes justitiam servet: item et ab oppositis jubet cavendum.

3.ª Eadem lex homini præcipit, ut sui appetitum sensitivum subjiciat rationi, rationem Deo; ut ceteris creaturis utatur, tamquam mediis ad suum finem consequendum; item et vetat opposita.

143. *Ex princ. II.* — 1.ª Omnes actus boni, aut (ex objecto) indifferentes, distributive sumpti, possunt esse objectum legis naturalis affirmativæ: minime vero omnes sumpti collective.

2.ª Actus, nedum indifferentes, sed et boni, possunt esse objectum legis naturalis negativæ; nempe, quando eorum positio videatur magis obstare fini legis, quam eorum omissio. Ita potest esse prohibitia correctio proximi delinquentis, quando videatur esse proximo noxia; item auditio Missæ, quando impediat necessariam curam infirmi.

3.ª Actus boni, quorum positio utilis quidem sit ad finem consequendum, at non necessaria, non possunt esse objectum legis naturalis affirmativæ. Ita lege naturali non præcipiuntur virginitas, paupertas evangelica, abstinentia a quibusdam oblectamentis, etc.

4.ª Reatus transgressionis præceptorum legis naturalis non consistit in eo quod ea transgressio repugnet rectæ rationi, aut humanam dignitatem dedeceat: consistit in oppositione ad voluntatem Dei necessario præcipientis impletionem legis naturalis.

ART. III — De immutabilitate legis naturalis

144. Sub hoc respectu præcepta legis naturalis multipliciter distinguuntur:

Ratione suæ necessitatis, dicuntur *primaria* ea, quæ ita necessaria sunt, ut sine illis ordo moralis reddatur impossibilis: dicuntur *secundaria* ea, quæ necessaria sunt ut ordo moralis perfectior fiat, ac sine quibus ordo aliqualis possibilis esset, licet minus perfectus. Ita præceptum prohibens polyandriam dicitur primarium: præceptum prohibens polygamiam ac divortium dicitur secundarium.

Ratione sui, præcepta alia sunt *suprema*, quæ exibent officia per se evidentia: ex. g., « bonum est faciendum, malum vitandum; quod

tibi non vis, alteri ne facias; jus suum cuilibet est reddendum »; etc. Alia sunt præcedentium *consectaria immediata*, et proinde *per se* satis patentia: ex. gr., « honora patrem tuum et matrem tuam; non furtum facies »; generatim præcepta Decalogi. Demum alia sunt utrorumque *deductiones remotiores*, et non semper *per se* patentia: ex. gr., « res inventa restituenda est domino suo ».

Ratione modi obligandi, quædam sunt *absoluta*, quæ obligant independenter a quavis hypothesi: ex. gr., non blasphemabis, Deum tuum coles; etc. Alia sunt *conditionata*, quorum obligatio adnexa est alicui hypothesi amovibili: ex. gr., nemo potest vitam sibi aut alii eripere, nisi Deus hanc ei tribuat facultatem; nemo debet rem alienam sibi auferre, si dominus sit rationabiliter invitus.

Ratione objecti, circa quod versantur, alia respiciunt officia hominis *erga Deum* (tabula prima Decalogi); alia respiciunt officia hominis *erga se* et *proximum* (tabula secunda).

145. **Principia. I.** Lex naturalis proprie et in se immutabilis est.

II. Lex naturalis mutari potest improprie, tum quoad præcepta secundaria, tum quoad conditionata.

146. **Expositio** *Princ. I.* — Lex naturalis fundatur in ipsa natura entis rationalis ejusque ordinatione morali in proprium finem: porro nec natura nec ejus ordinatio in finem proprium mutari potest; ergo nec ipsa lex. Aliis verbis: Hac lege id prohibetur, quod est malum naturâ suâ: at quod ita malum est, numquam potest non esse malum; ergo numquam potest non esse lege divina prohibitum. Quapropter hæc lex mutari nequit *ab intrinseco;* adeo ut cessent esse malæ ac illicitæ blasphemiæ, perjurium, infidelitas, mendacium; nec mutari possunt *ab extrinseco*, adeo ut Deus, aut Ecclesia ex auctoritate Dei, ab hujusmodi præceptis dispensare possit, vel ea abrogare; etenim Deus *negare seipsum non potest* [9].

Quod vero auctoritas humana reddere possit invalidum actum ex lege naturali validum, hoc non infert legis naturalis mutationem: id enim non fit in iis, quæ lex naturalis præcipit aut vetat, sed in iis, in quibus permissive tantum se habet [10].

147. **Expositio** *Princ. II.* — Præcepta secundaria, licet et ipsa fundentur in natura entis rationalis, habent pro objecto materiam non absolute necessariam ad ordinem moralem ejusdem, sed tantummodo utilem vel late necessariam ad majorem ordinis perfectionem. Hinc

9) II. Tim. *II. 13.*
10) Cf. S. Thomam *2. 2. Qu. 57 art. 2;* Bouquillon *Num. 105.*

quandoque finis altioris ordinis exigere potest, ut obligatio horum præceptorum suspendatur, et desinat esse malum et prohibitum id, quod hæc præcepta prohiberent. Hac ratione Deus permittere potuit polygamiam ac divortium; licet utrumque obstaret finibus secundariis matrimonii, nempe æqualitati contractus, optimæ prolis educationi, paci familiarum, etc. 11. Hac eadem ratione Ecclesia sibi facultatem asserit dispensandi super Matrimonio rato, quod proinde implicite declarat non esse absolute indissolubile.

Idem dicendum de præceptis conditionatis sub conditione amovibili: hac enim amota, ipsa præcepti obligatio cessat. Ita licitum est homicidium aut suicidium ex divina auctorizatione 12, occisio alterius ex necessitate defendendi vitam propriam; item ablatio rei alienæ, si dominus aut cessaverit esse dominus 13, aut non sit invitus, aut invitus sit irrationabiliter; detractio de proximo ex causa proportionata; denegata depositi restitutio, si nociva prævideatur deponenti aut bono publico 14.

Huic theoriæ innititur potestas, quam sibi asserit Ecclesia dispensandi, utique ex causa gravi, ab obligatione voti et juramenti: horum enim obligatio hypothetica est, hypothesi a Deo, vel ab Ecclesia nomine Dei, amovibili, quod Deus juri acquisito non renuntiaverit.

ART. IV. — De promulgatione legis naturalis

148. **Principia. I.** Deus legem naturalem radicaliter promulgavit per ipsam entis rationalis creationem: hoc enim actu creaturæ rationali lumen indidit, quo prima et suprema legis principia cognoscere possit et ex eis per ipsum lumen rationis possit præcepta illis contenta ratiocinando deducere.

II. Tunc homines præceptis legis naturalis in *actu secundo* obligantur, cum usum rationis adipiscuntur, ac per usum rationis eadem præcepta cognoscunt.

149. **Expositio** *Princ. I.* — De essentia promulgationis legis est, quod ita subditis intimetur, ut hi in cognitionem præceptorum ejusdem venire possint: porro hanc potentiam homines radicaliter habent per ipsum lumen rationis, quod accipiunt a prima sui exsistentia; tunc enim « Deus eam (legem naturæ) mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam » 15. Quod hanc facutatem homo habeat ex ipso lumine rationis de-

11) Cf. de hac re S. Scripturæ exegetas ac theologos: item Lehmk. II. *698;* Pacati *De Matrimonio P. I. Cap. 3, art. 1 et 2.*
12) Inde licitum fuisset Abraham sacrificium filii. Gen. *XXII.*
13) Cf. Ex. *III 22, XI. 2, XII, 35,* etc.
14) Cf. S. Thomam *2. 2. Qu. 57 art. 2 ad 1;* Tanqu. *Num. 227 Nota 1.*
15) S. Thomas *1. 2. Qu. 90 art. 4 ad 1.*

mostrant philosophi argumentis rationalibus, tum physiologicis, tum historicis: idem contra traditionalistas confirmant theologi, tum ex Apostolo de Gentibus testante quod *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, tum ex doctrina communi SS. Patrum et scholarum theologicarum, tum demum ex doctrina Concilii Vaticani

Quamvis hæc cognoscibilitas legis naturalis *per se* certa sit, tamen « divinæ revelationi tribuendum est, ut ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore, cognosci possint » 16.

150. **Expositio** *Princ. II.* — Lex naturalis, radicaliter cognoscibilis per lumen rationis, tunc actualiter cognoscibilis fit, cum homo lumine rationis uti potest. Sicut enim tunc cognoscit actiones alias bonas esse, alias malas, ita cognoscit Deum istas necessario prohibere, ex illis autem eas necessario præcipere, quæ ad finem hominis consequendum, seu ad ordinem moralem servandum, necessariæ sunt. Hinc humana ratio, dum homini dictat actuum moralitatem, simul ei intimat legem divinam naturalem: qua intimatione deficiente, lex humanam voluntatem in concreto obligare non potest, nec ejus legis transgressio potest homini imputari ad peccatum 17.

Si quando lex naturalis dicitur esse « ipsa humana ratio recte facere jubens et peccare vetans », hoc tantum significatur, quod humana ratio dictat voluntati legem divinam, cujus solius est humanam voluntatem obligare. Ceterum « lex naturæ tota in auctoritate nititur, h. e., in vera potestate statuendi officia: ac est ipsa lex æterna, ipsa æterna ratio creatoris universumque mundum gubernantis Dei » 18.

151. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum ab homine habente usum rationis ignorari possint præcepta legis naturalis?

Resp. 1.° Si agatur de supremis et universalissimis legis naturalis principiis, *negative*. Hæc enim principia relate ad cognitionem sunt ad instar axiomatum *per se* evidentium; quare ipsa sua evidentia sunt indemonstrabilia; dum ex ipsis demonstrari poterunt præcepta particularia. Ita nemo sui compos ignorare potest bonum esse faciendum, malum morale esse vitandum. Hæ notiones a quibusdam dicuntur animo *insitæ*, *insertæ*, *insculptæ*: proprie indita est menti humanæ dispositio naturalis ad ea principia facile intelligenda 19.

2.° Præcepta quædam generalia immediate et proxime ex supremis principiis descendentia difficile ignorari poterunt ab habente usum

16) Concilium Vatic. *Sess. III. Cap. II. De revelatione.*

17) Confirmatur ex damnata *Prop.* 2 ab Alexandro VIII: « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali ».

18) Leo XIII Encycl. *Libertas*, apud *Monit. eccl.* V. P. II. 106.

19) S. Thomas *P. 1. Qu. 79 art. 12*, et *De mente art. 6.*

rationis expeditum, et certe non diu, eo ipso quod naturaliter descendunt ex principiis necessario notis. Ita haud facile quis ignorare poterit præcepta: Deum cole, parentes honora, ama benefactores.

3.° Præcepta particularia, quæ sunt remotiores deductiones ex principiis universalissimis et ex præceptis generalibus, utique quandoque invincibiliter ignorari possunt; non modo propter naturalis luminis infirmitatem in præsenti statu naturæ lapsæ, sed etiam propter ipsam horum præceptorum obscuritatem objectivam: quod patet etiam ex frequenti theologorum ac ipsorum SS. Patrum circa hujusmodi præcepta dissensu. Hæc ignorantia, si invincibilis seu inculpabilis sit, a formali legis naturalis volatione excusat. Tamen, tum istorum, tum præcedentium quoque præceptorum ignorantia potuit esse culpabilis in causa; quin et ipsa præcepta generalia quandoque potuerunt per crimina criminumque consuetudinem obliterari 20.

Qu. 2. Utrum invincibiliter ignorari possint quædam præcepta Decalogi?

Resp. Affirmative, ut præsertim confessariis constat ex experientia. Ita *a*) ignorari potest malitia quorumdam actuum externorum; puta pollutionis, mendacii officiosi, perjurii ad vitam innocentis tuendam, furti a malis divitibus ad subveniendum pauperibus; forte et malitia fornicationis cum publica meretrice 21. — *b*) Ignorari *per se* potest malitia, nedum pravarum cogitationum, sed et delectationum ac desideriorum inefficacium: at non facile credendum assertioni pœnitentis. — *c*) Num ignorari possit malitia desideriorum efficacium, effectu carentium, disputatur. Affirmant quidam; præsertim argumento experientiæ: at plures cum S. Alphonso negant 22; impossibile enim videtur, quod quis existimare possit non esse voluntati Dei oppositam volitionem suam, cujus objectum novit esse malum. In praxi confessarius, postquam prudenter investigaverit conscientiam pœnitentis, de præterito judicium Deo relinquet, curans in pœnitente excitare verum dolorem de peccatis, quorum reus sit coram Deo: pro futuro generatim monebit; cum absoluta bona fides certe perdifficilis sit.

CAPUT II.

DE LEGE DIVINA POSITIVA

52. Præter legem naturalem, quam Deus non potuit creaturis rationalibus non imponere, datur et lex positiva; quam Deus libera sua voluntate hominibus imposuit eisque per positivam revelationem manifesta-

20) S. Thomas *I. 2. Qu. 94 art. 6*, ex Rom. *I. 21-32.*

21) Imo S. Thomas *De malo Qu. 3 art. 8* id possibile habet de fornicatione quacumque. — Cf. S. Lig. *Lib. I. Tract. II. Num. 170, seqq.*

22) S. Ligorius *Lib. I. De conscientia Num. 9.*

vit. Hæc lex distinguitur duplex: Alia *vetus* seu *mosaica;* alia *nova* seu *evangelica.*

Lex vetus constabat præceptis *cæremonialibus, judicialibus, moralibus.* Porro præcepta cæremonialia cessarunt, aut morte Christi, aut adventu Spiritus sancti super Apostolos; præcepta judicialia cessarunt saltem eversione reipublicæ Hebræorum [1]: præcepta vero moralia, quæ sunt ipsa præcepta Decalogi a Christo confirmata et perfectius proposita fuerunt, ideoque perseverant. Hæc de lege veteri.

Verum nunc exstat lex nova, seu evangelica. Est enim veritas fidei Christum sua potestate legifera imposuisse præcepta quædam hominibus; quibus a Deo datus fuerat, non solum ut redemptor, cui fidant, sed etiam ut legislator, cui obediant [2]. Breviter de hac lege dicendum, tum quoad ejus objectum, tum quoad subjectum.

153. **Principia. I.** Objectum legis evangelicæ sunt: *a*) ipsa præcepta *moralia* legis naturalis et mosaicæ seu Decalogi; additis *b*) iis, quæ necessario consequuntur ex facto revelationis novi Testamenti, et ex constitutione Ecclesiæ.

II. Objectum legis evangelicæ sunt præcepta quædam *sacramentalia* et *cæremonialia* in iis, quæ spectant ad essentiam et necessitatem sacramentorum et sacrificii eucharistici.

III. Omnes homines, qui post primam Evangelii diffusionem per Apostolos umquam et usquam fuerunt vel erunt, obligantur ad legem evangelicam, aut immediate, aut mediate: immediate ad suscipiendum Baptismum; ad cetera præcepta mediate, nempe post susceptum Baptismum. Tamen illi, ad quos legis hujus notitia nondum pervenit, ad eam servandam in *actu secundo* non tenentur.

154. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ex confirmatione præceptorum Decalogi facta a Christo, christiani eadem violantes gravius peccant, quam peccarent Hebræi et Gentiles; tamen unius præcepti violatione non committunt duo peccata specie vel numero diversa, sed unum.

2.ª Christus per se et per Spiritum sanctum revelavit plures veritates in revelatione veteris Testamenti non explicite contentas; puta, mysterium SS. Trinitatis, sui ipsius messianitatem ac divinitatem, efficaciam sacramentorum, etc. Porro, hæc revelans, implicite præceptum dedit, ut omnes homines hisce veritatibus assensum fidei præbeant; item

1) De controversia, quandonam hæc præcepta, nedum mortua fuerint, sed et mortifera, confer NOLDIN *Num. 119.*

2) CONCILIUM TRIDENT. *Sess. VI. Can. 19* et *24.*

præcepit, ut Apostoli eorumque successores de his veritatibus omnes gentes docerent, ut omnes possint ad agnitionem veritatis venire, et sic salvi fieri.

3.ª Instituens Ecclesiam, ut societatem necessariam et perfectam, eique finem præstituens sanctificationem et æternam salutem animarum, simul Christus omnibus hominibus præcepit, ut eam societatem ingrediantur; ut, eam ingressi, eidem docenti credant, eidem præcipienti obediant.

4.ª Ipsam præceptorum legis naturalis et mosaicæ observantiam lex nova jubet (in pluribus optat) perfectiorem esse; tum quoad rei præceptæ impletionem in se; tum quoad subjectionem voluntatis erga Deum; tum etiam quoad implendi motivum, quod sit potius amor quam timor; tum demum quoad finem implendi, qui sit animæ propriæ sanctificatio (proximus), gloria Dei et salus æterna (ultimus).

5.ª Verum, quæ prima fronte videntur præcepta novæ legis, de mutua dilectione, de diligendis inimicis, de pravis cupiditatibus compescendis 3, etc., proprie præcepta nova non sunt, sed instauratio præceptorum legis naturalis, quæ apud ipsum populum Dei obliterata vel adulterata fuerant.

6.ª Item, quæ Christus suis discipulis dixit, ut mutuum dent nihil inde sperantes, ut nullum inter eos juramentum audiatur 4, etc., hæc non Christi vera præcepta sunt, sed alterum consilium est, alterum desiderium. Quæ polygamiam et repudium vetant 5, ea jus primitivum naturale, sed secundarium, restituunt.

155. *Ex Princ. II.* — 1.ª Christus, sacramenta instituens tamquam media, quibus omnis justitia in nobis incipiat, vel cœpta augeatur, vel amissa reparetur, implicite usum sacramentorum hominibus imposuit. Hinc præceptum positivum divinum est: *a*) ut omnes homines Baptismum suscipiant; *b*) ut baptizati, qui per peccatum possent gratiam amittere, teneantur sumptione cibi eucharistici, tamquam antidoto, se a tanta jactura præservare; *c*) ut qui jam gratiam per peccatum amiserunt, eam per sacramentum Pœnitentiæ recuperent; *d*) ut, qui graviter infirmantur, si potuerunt umquam peccare, Extremam Unctionem non negligant: *e*) idem dic de sacramentis Ordinis et Matrimonii suscipiendis ab illis, qui assumuntur ad dignitatem sacerdotalem, aut cum conjuge maritaliter vivere intendunt.

2.ª Item, cum Christus voluerit unicum in nova lege esse sacrificium Deo pro vivis et defunctis offerendum, simul præcepit, ut omnes Ordine sacerdotali insigniti quandoque hoc sacrificium offerant; ut qui curam animarum habent ex officio, teneantur quandoque pro iisdem hoc sacrificium offerre et applicare. Verum quæ spectant ad ritus et cæremonias,

3) Cf. Jo. *XII. 23, XV. 12;* MATTH. *V. 39, 43, 44;* LUC. *VI, 27;* etc.
4) LUC. *VI. 35;* MATTH. *V. 34-37; etc.*
5) MATTH. *XIX. 5, 6.* — Cf. LEONIS XIII Encycl. *Arcanum* 10 feb. 1880.

sive sacramentorum, sive sacrificii, hæc Christus statuenda reliquit Ecclesiæ, et proinde hæc sunt juris ecclesiastici.

156. *Ex Princ. III.* — 1.ª Illi, quibus sufficienter proposita fuit veritas religionis christianæ, tenentur fidem suscipere et per Baptismum ingredi Ecclesiam.

2.ª Qui Baptismum susceperunt, eo ipso obligationem contraxerunt obediendi ceteris præceptis, tum Christi, tum etiam Ecclesiæ.

3.ª Licet *per se* nova lege obligentur omnes homines, tamen quoad singula præcepta non obligantur nisi prout Christus voluit, aut rei præceptæ natura postulat. Ita pueri non habentes usum rationis non tenentur sumere Eucharistiam; quare nec peccant parentes, qui omittant hoc sacramentum eisdem procurare. E contra peccant parentes, qui negligant filiis procurare Baptismum: hunc enim suscipere infantes in *actu primo* tenentur; dum non tenentur nec possunt suscipere sacramenta, quæ natura sua usum rationis supponunt, ut sunt Pœnitentia et Extrema Unctio.

157. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I, II.* — *Qu. 1.* Quid possit Ecclesia circa jus positivum divinum?

Resp. 1.° Ecclesia potest legem divinam authentice interpretari, et quidem infallibiliter. Ita declaravit præceptum sumendi Eucharistiam non spectare ad infantes, nec eo præcepto adultos teneri plusquam semel in anno, nec Eucharistiam necessario sumendam esse sub utraque specie.

2.° Christus concedere quidem potuisset Ecclesiæ facultatem dispensandi ab ipsa lege divina; imo hanc eidem facultatem tribuisse censebant veteres quidam ex verbis Christi: *Quodcumque solveris* etc. Verum sententia hodie communior hoc factum fuisse negat; et confirmat ex eo, quod reapse Ecclesia numquam ab hoc jure dispensavit. Quod si quandoque Ecclesia dispensat a Matrimonio rato, hoc non pertinet ad jus divinum positivum, sed ad jus naturale secundarium: si a residentia vel a voto, hoc pertinet ad jus naturale hypotheticum 6.

4.° Ecclesia potest quidem jus divinum interpretari; at non potest eidem in casu particulari derogare per *epikeiam*: hanc enim jus divinum non recipit 7.

Qu. 2. Utrum lex divina obliget, quando impleri non potest absque incommodo gravi?

Resp. Generatim *negative;* dummodo incommodum vere grave sit et impletioni legis sit adnexum *extrinsece,* seu *per accidens.* Ita ad integritatem confessionis non tenetur, qui simul est in necessitate confitendi et peccatum aliquod confiteri non potest absque incommodo vere gravi et præcepto confessionis extrinseco. Ita (dato etiam quod præceptum præmittendi sacræ communioni probationem per sacramentalem confessio-

6) Cf. S. Ligorium *VI. Num. 1119;* Noldin *122;* D'Ann. *197, et Notas 11, 12.*

7) Suarez *Op. cit. Lib. X. Cap. VI. Num. 11;* D'Ann. *197, 13.*

nem sit divinum) dantur casus, in quibus quis potest celebrare aut communicare præmissa suiipsius probatione per contritionem perfectam, sine absolutione.

158. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Quomodo et quando facta sit legis evangelicæ promulgatio sufficiens ad omnes homines obligandos in actu primo?

Resp. Duplex datur theologorum opinio. Quidam censent id factum fuisse per mortem Christi, qua *de jure* abolita fuerunt legalia; aut saltem per adventum Spiritus Sancti die Pentecostes, quo *omnis veritas* divinitus tradita fuit Apostolis et per Apostolos omnibus hominibus. Alii vero censent id factum fuisse cum de facto in omnem terram exivit sonus eorum; nempe, quando sufficienter diffusum fuit Evangelium in toto orbe; quod evenisse dicunt annis circiter quadraginta post mortem Christi. Ceterum quæstio historica est.

15. **Scholion.** — *De Consiliis evangelicis.* — Si *Lex nova* sensu minus proprio accipiatur, præter *præcepta,* continet etiam *consilia*: dum illa exhibent ea, quæ a Christo proponuntur ut media necessaria ad finem, his proponuntur media utilia ad finem expeditius et perfectius consequendum. Ad hoc discrimen indicandum Christus juveni diviti dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.... Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo* 8.

De essentia consilii est, ut ipsum sit de re non præcepta, sed libera; insuper sit de re meliori, quam ejus oppositum. Tria autem in Evangelio proponuntur, ad repellenda tria ex bonis hujus mundi obstacula contra vitam perfectiorem. Sunt autem: *Paupertas,* per quam abdicantur divitiæ; *virginitas,* per quam abdicantur deliciæ carnales; *obedientia,* per quam abdicatur propria voluntas 9.

CAPUT III.

DE LEGE ECCLESIASTICA

160. Ecclesia, a Christo Deo societas perfecta constituta, ab ipso suo institutore prædita fuit potestate legislativa, vi cujus statuere potest quæcumque ad finem sibi propositum conducunt. Hanc Ecclesiæ potestatem theologi demonstrant ex pluribus S. Scripturæ testimoniis, ex ipsa ratione societatis perfectæ, ac demum ex traditione et ex praxi universali et constanti Ecclesiæ a prima sui exsistentia usque ad tempora nostra 1.

8) MATTH. *XIX. 11-21.* — Cf. quoque I. COR. *VII. 25-40.*
9) Cf. S. THOMAM *I. 2. Qu. 108 art. 4.*

1) Præter theologos dogmaticos, cf. Card. TARQUINI *Juris ecclesiastici Institutiones* (Romæ pluries); ZANIN. I. *Num. 146, seqq.*

Nobis quærendum: *a*) Quinam in Ecclesia polleant auctoritate legifera; *b*) quomodo leges Ecclesiæ promulgentur; *c*) quodnam sit earum objectum; *d*) ubinam eædem contineantur; *e*) quinam iisdem subjiciantur; *f*) qua ratione leges Ecclesiæ sint interpretandæ; *g*) quibus modis cessent obligare. Demum *h*) pauca addemus de privilegiis.

ART. I. — De auctore legis ecclesiasticæ

161. **Principia. I,** Romanus Pontifex potest leges ferre pro universa Ecclesia, sive in Concilio œcumenico, sive etiam solus. Potest in Concilio œcumenico; quia Concilium œcumenicum cum Romano Pontifice est ipsa Ecclesia regens, cui a Christo collata fuit potestas legifera. Potest etiam solus; cum ipsi soli Christus dixerit: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis;* et: *Pasce agnos meos;... pasce oves meas* [2].

II, Episcopi leges ac statuta ferre possunt pro sua diœcesi, at subordinate ad potestatem legiferam Romani Pontificis. Ratio prioris est, quia ipsi positi sunt *a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei* [3]. Ratio alterius est, quia Romani Pontificis potestas in Ecclesiam solo jure divino limitatur; insuper et ipsi Episcopi a Christo dati sunt pascendi Romano Pontifici.

III. Episcopi adunati in Concilio plenario vel provinciali possunt edere decreta pro integra natione vel provincia. Tamen ex jure pontificio, ut hæc decreta vim habeant, necesse est quod Concilii acta fuerint transmissa ad Apostolicam Sedem, et ab eadem recognita [4].

162. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Potestas legifera Romani Pontificis et Concilii œcumenici est independens a quacumque civili auctoritate. Ratio est, quia illa potestas data fuit Pontifici et Ecclesiæ a Christo Deo, et absque limitatione vel subordinatione erga quamcumque potestatem.

2.ª Romanus Pontifex potest suam potestatem legiferam aliis personis vel cœtibus communicare; adeo ut illæ et hi valeant ferre leges (decreta, statuta), quibus parere teneantur, sive omnes Christifideles, sive cœtus aut personæ, pro quibus leges ab illis latæ fuerint.

2) Matth. *XVI. 19.*; Jo. *XXI. 15, 6.* — Cf. Conc. Vatic. *Sess. IV. Cap. III.*

3) Act. *XX. 28.*

4) Codex *Can. 281, 283, 291.* — Ex *Can. 283* « in singulis provinciis ecclestiasticis celebretur provinciale Concilium vigesimo saltem quoque anno ».

3.ª Vi istius communicationis auctoritatis legiferæ, possunt leges ac decreta vel statuta condere, in primis Congregationes Romanæ, item Superiores Ordinum religiosorum, Prælati *nullius* et Vicarii Apostolici habentes jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum alicujus loci. — Monialium Antistitæ veras leges condere non possunt: at exigere possunt in conscientia obedientiam circa res præceptas, vel circa ea quæ ad profectum juxta regulas conducunt.

163. *Ex Princ. II.* — 1.ª Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates non possunt jure suo leges ferre pro diœcesibus suffraganeis: id possent jure sibi concesso, sive a Romano Pontifice, sive ab Episcopis earumdem diœceseon, sive ex consuetudine.

2.ª Leges et statuta Episcopi vim habent obligandi ex ipsa potestate legifera Episcopi, independenter ab alterius, etiam Pontificis, recognitione vel approbatione. Tamen nullam vim habent, sive quæ sint contraria juri superiori, sive quæ jure superiori infirmentur.

164. **Quæstiones.** *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quænam sit vis et auctoritas decretorum Romanarum Congregationum?

Resp. a) Decreta generalia, quæ sint edita de mandato R. Pontificis ab ipso pro universa Ecclesia approbata, habent veram vim legis generalis, a quacumque Congregatione data fuerint. — *b)* Decreta generalia et declarationes *extensivæ* S. Congregationis Rituum habent eamdem vim legis generalis, etsi non fuerint a R. Pontifice specialiter approbata. — *c)* Decreta et responsa particularia generatim habent vim legis particularis pro casu, pro quo data fuerunt; minime vero vim habent pro casibus similibus, nisi sint interpretationes vel declarationes *comprehensivæ* legis generalis jam exsistentis. — *d)* Demum vim habent legis particularis declarationes *extensivæ*, quæ non fuerint datæ consulto prius Pontifice et authentice promulgatæ 5.

Qu. 2. Quænam modo sint Congregationes Romanæ participantes auctoritatem legislativam Romani Pontificis?

Resp. Ex Jure novissimo distinguuntur *Congregationes* proprie dictæ, *Tribunalia, Officia* 6.

1.° *Congregationes* sunt undecim: 1. Congregatio *S. Officii*, cui ipse Summus Pontifex præest, tutatur doctrinam fidei et morum. Ad ipsam spectat cognoscere et judicare de Privilegio Paulino ac de impedimentis disparitatis cultus et mixtæ religionis; item examen et prohibitio librorum, ac dogmatice decernere circa doctrinam de sacramentis ac de indulgentiis et novas orationes aut devotiones. — 2. Congregatio *Concistorialis*, cujus Præfectus est ipse R. Pontifex: ejus munus præcipuum versatur circa diœceses instituendas aut institutas. — 3. Congregatio *De disciplina sacramentorum;* cujus munus potissimum ex titolo patet. — 4. Congregatio *Concilii*, cui ea pars negotiorum commissa est, quæ

5) Cf. GURY *Num. 130;* LEHMK, *204 — 206;* GEN. *94;* ALBERTI *16.*
6) CODEX *Can. 246 — 264.*

ad universam disciplinam cleri sæcularis populique christiani refertur. — 5. Congregatio *negotiis religiosorum sodalium præposita,* seu *De religiosis*: ei decernendum est in linea disciplinari de iis, quæ spectant ad sodales religiosos utriusque sexus. — 6. Congregatio *De propaganda Fide* missionibus ad prædicandum Evangelium et catholicam doctrinam præest, ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi et exsequendi omnia hac in re necessaria et opportuna. — 7. Congregatio *sacrorum Rituum,* cujus est præsertim advigilare, ut sacri ritus ac cæremoniæ diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, etc.: item agere ea, quæ ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei vel ad sacras Reliquias referuntur. — 8. Congregatio *cæremonialis,* ad quam pertinet moderatio cæremoniarum in sacello aulaque pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Cardinales extra potificale sacellum peragunt. — 9. Congregatio *pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis* diœceses constituit vel dividit; ad vacantes diœceses idoneos viros promovet; illis negotiis incumbit, quæ ejus examini a Pontifice subjiciuntur, maxime in illis quæ ad leges civiles et pacta conventa referuntur: at, quæ munia habet communia cum Congregatione Consistoriali, ea exercet tantum in casibus ingerentiæ potestatis civilis. — 10. Congregatio *De Seminariis et Universitatibus studiorum* vigilat super ea, quæ ad Seminaria ac Universitates spectant: novas institutiones perpendit et approbat, etc. — 11. Congregatio *pro Ecclesia Orientali,* cui Pontifex ipse præest, decernit circa negotia, quæ sive ad personas, sive ad disciplinam, sive ad ritus Ecclesiarum Orientalium referuntur: via tantum disciplinari controversia dirimit [7].

2.° *Tribunalia* tria sunt: 1. *Sacra Pœnitentiaria;* cujus jurisdictio coarctatur ad ea, quæ forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt; item ejus est quæstiones conscientiæ excutere et dirimere: insuper ejus est de iis omnibus judicare, quæ spectant ad usum et concessionem indulgentiarum. — 2. *Sacra Romana Rota;* ad quam spectat causas omnes contentiosas (non majores) agnoscere et judicare. — 3. *Signatura apostolica* est velut tribunal supremum [8].

3.° *Officia* quinque sunt, de quibus ad rem nostram parum vel nihil refert: 1. *Cancellaria Apostolica.* — 2. *Dataria Apostolica.* —

7) Occurunt nonnumquam in responsionibus SS. Congregationum termini non ita facilis intelligentiæ, quorum est hæc significatio:

Dilata; id. est, differtur respondere, ut res maturiori examini subjiciatur. — *Affirmative et amplius, Negative et amplius,* id. ,est, cum res fuerit in S. Congregatione satis superque discussa, et plenis votis, prout jacet, decisa, non amplius admittitur tale quæsitum. — *Nihil,* hoc est, non admittitur petitio, utpote incongrua. — *Relatum* vel *Lectum;* id. est, cum relatum vel lectum fuerit in S. Congregatione postulatum, non fuit admissum.

Qui modi haud contemnendi sunt cum inducti fuerint ad evitandas longiores verborum circumlocutiones; et insuper quælibet scientia et ars habeat suos.

8) De his CODEX *Can. 1598-1605.*

3. *Camera Apostolica.* — 4. *Secretaria status.* — 5. *Secretaria Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.* — 6. Hisce addenda *Commissio Pontificia ad Codicis Canones authentice interpretandos.*

165. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quænam sit natura et efficacia ordinationum, quæ dentur ab Episcopis?

Resp. 1.° Certum est Episcopos gaudere potestate ferendi leges proprie dictas, seu perpetuo duraturas; ac certe leges proprie dictas esse ordinationes, quas Episcopi dent in synodo diœcesana 9. Quoad eas, quas ferant extra synodum, si illæ respiciant clerum et fideles totius diœcesis, præsertim si latæ fuerint non audito Capitulo, disputant Canonistæ; at Jus novissimum sententiæ affirmanti favere videtur 10. Hinc suis statutis Episcopus vim dare potest perpetuam.

2.° Cum Jus novissimum forma generali statuat. « Potestatem jurisdictionis voluntariam quis exercere potest etiam.... in subditum e territorio absentem » 11, asserenda est Episcopis potestas ferendi etiam leges personales; quæ proinde subditos ligent etiam extra diœcesim: at, si nihil positive constet, lex est territorialis.

Qu. 2. Quid possint, sede episcopali vacante, Capitulum primis octo diebus, et postea Vicarius Capitularis?

Resp. Nihil innovare aut abrogare possunt, sed juxta leges vigentes regere debent diœcesim. Tantum ferre possunt statuta, quæ pro circumstantiis necessaria esse videantur.

Qu. 3. Quid de parochis?

Resp. Parochi nullas leges condere possunt, aut pœnas ferre: nulla enim potiuntur jurisdictione fori externi. Obediant, et juxta obedientiam regant.

166. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Quid importet actorum Conciliorum plenariorum et provincialium necessaria recognitio per Apostolicam Sedem?

Resp. Recognitio (quandoque post aliquam emendationem) est mera declaratio, quod ex parte S. Sedis nihil obstat eorumdem actorum promulgationi. Ab hac recognitione parum distat eorumdem actorum confirmatio in forma *communi;* ex qua nihil novi juris aut efficacitatis illis actis tribuitur. E contra confirmatio in forma *specifica,* quæ auctoritate apostolica, cum clausula *motu proprio* atque *ex certa scientia,* statutis synodorum provincialium apponatur, dat eis vim legis pontificiæ; adeo ut prævaleant ipsi juri communi, cui forte sint contraria 12.

9) « In singulis diœcesibus celebranda est decimo saltem quoque anno diœcesana Synodus »; nec necesse est hæc Romæ recognosci, aut eo transmitti.

10) Codex *Can. 335* § *1, 2,* coll. *Can. 362.* — Cf. Gury *Num. 85, 3;* Ball. *ibidem.*

11) Codex *Can. 201* § *3.*

12) Benedictus XIV *De synodo diœc. Lib. XII. Cap. V. 13, XIII. V. 11.*

ART. II. — De promulgatione legis ecclesiæ

167. *Promulgatio* legis est « intimatio authentica legis subditis facta a legislatore »; quæ intimatio, cum multipliciter fieri possit, qua ratione fieri debeat ut authentica sit, seu sufficiens ad obligationem subditis imponendam, regulariter definiendum est ab ipso legislatore. Porro, omissis iis, quæ modo ad historiam pertinent [13], solemnitas promulgationis legum et decretorum Apostolicæ Sedis hac ratione constituta habetur Jure novissimo:

168. « Leges ab Apostolica Sede latæ promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicæ Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit præscriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta » [14].

169. **Consectaria**. — 1.um Quando aliqua Constitutio, aut lex vel decretum, sive Pontificis, sive alicujus Congregationis in prædicto Commentario inserta et edita fuerit, jam a die nonagesima prima habet *in actu primo* omnem suam vim obligandi Episcopos, presbyteros, regulares, et fideles omnes totius orbis christiani.

2.um Hanc vim prædicta acta habent, etsi gubernium aliquod vetuerit intra suos fines Commentarium officiale evulgari; imo, etsi gubernium italicum impediverit ipsum publicari Romæ.

3.um Ad vim prædictorum actuum non requiritur quod Episcopus eadem in propria diœcesi officialiter publicaverit: fideles omnes, qui ea acta noverint, ad ea servanda in conscientia tenentur.

4.um Episcopi omnes tenentur acta pontificia in prædicto Commentario edita suis subditis, parochis in primis et sacerdotibus, communicare, eorumque observantiam iisdem inculcare. Si eorum observantiæ graves obstent rationes, possunt eas Apostolicæ Sedi exponere; dein vero tenebuntur ejusdem definitioni acquiescere [15].

5.um « Interpretatio authentica,... si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et debet promulgari » [16]. — Promulgatio ordinarie fit in periodico *Acta Apostolicæ Sedis*.

6.um Integrum manet Pontifici et sacris Congregationibus pro aliquo

13) (Cf. Ballerini Vol. I. *Append. II. De promulgatione legis Pontificiæ.*
14) Codex *Can. 9.* — Hæc dicuntur de obligatione legis vel decreti in *actu primo*, seu quantum est ex parte legis: nemo enim, antequam legem vel decretum cognoscat, ad eam implendam teneri potest in *actu secundo*.
15) Benedictus XIV *De synodo diœc. Lib. IX. Cap. VIII.*
16) Codex *Can. 17* § 2. — De qua re Canonistæ: nos in singulis casibus.

actu vel decreto particulari determinare modum promulgandi diversum ab insertione in Commentario officiali 17.

7.um Obsoletis jam placitis regalistarum, hodie absurdum est discutere de jure populi christiani non acceptandi legem Superioris. Data a Pontifice lege, hoc unum Episcopis, regularibus, clericis et cunctis fidelibus manet, ut omnimodam ei præstent obedientiam.

170. *Quæstio un.* — Quid de promulgatione legum et decretorum episcopalium?

Resp. « Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur: modus autem promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur » 18. Practice: *a*) Relate ad leges, decreta ac statuta Episcoporum, quæ sint synodalia, promulgantur per ipsam lectionem in synodo. — *b*) Si sunt statuta extrasynodalia, vim habent pro tota diœcesi, si promulgentur in urbe episcopali eo modo, qui aut statutus sit ab Episcopo, aut firmatus consuetudine; puta, per lectionem in ecclesia cathedrali, per affixionem in loco publico ad hoc designato, ad valvas curiæ episcopalis aut cathedralis, etc.; item per insertionem in commentario diœcesano. — *c*) Hujusmodi autem acta obligant statim a facta promulgatione, dummodo cognoscantur; excepto casu, quo Episcopus edixerit decretum habiturum esse vim a die determinata.

ART. III. — De objecto legis ecclesiasticæ

171. Quid Ecclesia præcipere, quid vetare possit, definiendum est ex fine ipsi Ecclesiæ constituto a Christo. Porro hic duplex est: Primus, ut Deo cultum tribuat, qualem Deus sibi tribuendum esse vult in nova lege; alter, ut procuret animarum sanctificationem in præsenti vita earumque æternam salutem in futura. Huic duplici fini respondere debet extensio potestatis legiferæ Ecclesiæ. Quid vero Ecclesia reapse præcipiat, ex ejus actis dignoscendum.

172. **Principia. 1.** « Quidquid est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet,... id est omne in potestate, arbitrioque Ecclesiæ » 19. Huc vero pertinet, tum potestas proponendi ac determinandi auctoritative præcepta juris naturalis ac divini positivi, tum potestas ferendi jure proprio præcepta disciplinaria, quæ præceptis juris divini non adversentur.

17) Imo leges illæ, quæ definitione fidei contineant, decretum *Lamentabili*; Encyclica *Pascendi*, etc., obligant statim ac cognoscuntur.

18) Codex *Can.* 335 § 2.

19) Leo XIII Encycl. *Immortale Dei* die 1 novembris a. 1885.

II. Leges Ecclesiæ hodie vigentes exhibet Codex Juris Canonici, de quo hæc habet S. P. Benedictus XV in decreto promulgationis die festo Pentecostes anno 1917 :

« Ecclesia.... jus ferendarum legum proprium ac nativum evolvere atque explicare numquam destitit, multiplici ac varia decretorum copia per Romanos Pontifices et œcumenicas Synodos.... promulgata. Hisce vero legibus præceptisque, tum cleri populique Christiani consuluit regimini sapienter, tum ipsam rei publicæ utilitatem civilemque cultum mirifice provexit.... Nos Constitutione hac Nostra, quam volumus perpetuo valituram, præsentem Codicem *promulgamus, vim legis posthac habere pro universa Ecclesia decernimus, jubemus,* vestræque tradimus custodiæ ac vigilantiæ servandum » [20].

173. **Resolutiones.** — 1.ª Ecclesia præcipere potest ea, quæ sint in cultum divinum, determinando dies Deo speciali ratione dicandos, et modum sanctificandi; item præscribere potest ritus, quibus sacramenta conficienda ac ministranda sint, quibus eucharisticum sacrificium sit offerendum, quibus sacri ministri sint instituendi.

2.ª Item imponere potest fidelibus opera pœnitentialia et mortificativa : illa ad satisfaciendum Deo pro peccatis commissis; hæc ad præcavenda peccata futura.

3.ª Determinare potest qua frequentia suscipienda sint sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ : statuere potest impedimenta dirimentia Matrimonii, inhabilitates ad sacros Ordines suscipiendos.

4.ª Ecclesia præscribere potest media specialia sanctificationis illis personis, quæ statum assumere intendant, cui necessaria est sanctitas specialis : ejusmodi sunt clerici, religiosi, moniales; quibus præscribere potest divinum Officium, cœlibatum, regulas vivendi, clausuram; probabiliter etiam exercitia spiritualia, meditationem, etc.

174. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum Ecclesia (Pontifex, Episcopus, etc.) præcipere possit actus heroicos, seu qui extraordinariam secum ferunt difficultatem ?

Resp. Generatim loquendo, *Negative;* nisi agatur de illis personis, quæ ad eos quoque actus præstandos sese sponte obligarunt. Ratio est, quia lex humana, præsertim ecclesiastica, proportionari debet humanæ fragilitati; ac proinde lex extraordinarie onerosa a pluribus non observaretur, ac ideo esset in destructionem magis quam in ædificationem 21.

20) Benedictus XV Constit. *Providentissima* Codici Juris Canonici præfixa.
21) S. Ligorius *Lib. I. Num. 149,III. 473;* Gury *89;* D'Ann. *200, 6.*

Verum, qui ingressus sit Ordinem religiosum, cui statutum est adsistere infirmis peste laborantibus, ad hanc præstandam tenetur: ita et parochus, assumpta cura parochiali, debet suis parochianis ministrare sacramenta in morte necessaria, etiam cum periculo vitæ 22; clericus, suscepto Ordine subdiaconatus, tenetur castitatem servare, quantumvis id sibi durissimum sit. Sed hæc non sunt proprie ex lege Ecclesiæ; sunt ex natura status sponte et libere suscepti.

Hinc, si Ecclesia sanctione sua firmaverit præceptum quoddam juris naturalis, violatio hujus præcepti ex timore gravissimi mali peccatum quidem erit, at non suberit sanctioni juris ecclesiastici.

Qu. 2. Utrum Ecclesia præcipere possit actus internos?

Resp. 1.° Certe eos præcipere potest *indirecte;* ponendo conditionem, qua posita, actus internus obligatorius evadat vi legis superioris. Ita, definiendo B. Virginem ab originali culpa immunem fuisse, omnes fideles indirecte obligavit ad assensum huic veritati præstandum 23: præcipiendo omnibus fidelibus annuam confessionem, indirecte eos obligat ad actum eliciendum contritionis vel attritionis: præcipiendo communionem, præcipit statum gratiæ, et quidem recuperandum per sacramentum Pœnitentiæ; præcipiendo juramentum, præcipit intentionem jurandi. — Essent actus mixti; quales præcipere quandoque potest etiam lex civilis.

2.° Utrum vero præcipere possit *directe* actus mere internos, inter theologos disputatur. Generatim antiquiores, et cum his quidam recentes, negant; præsertim ex eo, quod potestas Ecclesiæ pertinet ad externam fidelium gubernationem, et Ecclesia de internis non judicat 24. Plures recentes affirmant; tum, eo quod actus interni conducunt ad sanctificationem animarum, qui est finis a Christo præstitutus Ecclesiæ; tum, eo quod nulla est ratio limitandi ad solos actus externos universalem potestatem datam Ecclesiæ a Christo per ea verba: *Quæcumque ligaveritis* etc. 25. Ceterum practice quæstio non est tanti momenti; cum potestatem Ecclesiæ indirectam in actus internos theologi omnes admittant, raro autem verificetur casus, quo actus mere internos præcipere expediat 26.

Certe autem Ecclesia præcipere potest actus internos, ceu condi-

22) Dicunt nonnulli Episcopum sacerdotibus non parochis vetare posse quominus tempore pestis ab urbe discedant: at forte huc intervenit quoque præceptum caritatis, quod est juris naturæ.

23) Cf. *Prop. 7* damnatam in Syllabo *Lamentabili*: « Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo judicia a se edita complectantur ».

24) S. Thomas *1. 2. Qu. 1 art. 4,* et *Qu. 100 art. 10;* Suarez *Op. cit. Lib. IV. Cap. XI.;* S. Ligorius *Num. 100;* Tanqu. *264;* Marc *455 Qu. 2;* D'Ann. *200, 7* et *8.*

25) Ballerini *Num. 122, seqq.,* et ad Gury *89, 3;* Lehmk. *131,* et *Casus 85-88;* Bouqillon *114* Cf. Palm. *De R. Pont. Proleg.* § *XLV;* Trombetta *Utrum Ecclesia habeat potestatem præcipiendi actus mere internos* (Surrenti 1920).

26) Cf. Genicot *Num. 103;* Gén. *92;* Noldin *138, 3;* Zanin, *168.*

tionem ad suas gratias obtinendas; puta meditationem Passionis Christi ad lucrandas indulgentias adnexas exercitio *Viæ crucis*.

175. **Scholion.** — I. *De lege pœnali.* — *Lex pœnalis* dicitur illa, quæ ad sui impletionem non obligat, sed violatorem obligat ad subeundam pœnam: quare lex violari potest sine peccato; peccatum esset pœnam eludere. Lex autem, quæ simul obliget, et ad seipsam servandam, et ad pœnam pro ea non servata subeundam, dicitur *lex mixta*, moralis simul et pœnalis.

Dari hujusmodi leges ecclesiasticas mixtas, patet ex tota legislatione Ecclesiæ circa censuras. Item constat dari leges mere pœnales in quibusdam Ordinibus religiosis; quarum regulas, potius quam leges, diceres esse *normas directivas*. Verum apud omnes certum est non dari leges ecclesiasticas mere pœnales relate ad omnes fideles; quod quidem maxime conveniens est fini Ecclesiæ. Ad hunc enim finem consequendum, oportet quod Ecclesia fideles vere et in conscientia obliget ad ea media adhibenda, quæ aut necessaria sunt aut maxime utilia ad eorumdem animarum sanctificationem.

176. *De lege irritante.* — Dicitur *lex irritans* illa, quæ invalidos reddit actus, qui ex sui natura validi essent. Cum potestas statuendi conditiones necessarias ad validitatem quorumdam actuum necessaria sit ad bonum cujuscumque communitatis, certe ea competit Ecclesiæ. Ecclesia autem eam exercet duplici modo: generatim per meram irritationem actuum, qui conditionibus a se statutis careant: quandoque per irritationem pœnalem, qua iidem actus irritentur in pœnam violatæ legis eas conditiones statuentis. Ita per irritationem pœnalem irritat matrimonium, cui obstet impedimentum criminis.

ART. IV. — De Codice Juris Canonici

177. Quod jamdiu omnes rei moralis et canonicæ cultores exoptaverant, id tandem Pontifices Piux X et Benedictus XV s. m. perfecerunt: eorum opera et cura anno 1917 prodiit *Codex Juris canonici*, qui, per Const. *Providentissima mater Ecclesia* a Benedicto XV in festo Pentecostes ejusdem anni promulgatus, vim habuit a festo Pentecostes (19 maji) anni sequentis 1918. Veluti naturale ac vivens Codicis complementum habenda est *Commissio Pontificia ad Codicis Canones authentice interpretandos*, quam Benedictus XV creavit Motu-proprio *Cum juris canonici* die 17 septembris anno 1917.

178. Codicis structuram ac distributionem facile dignoscere poterit quisquis illum manu teneat, suis oculis examinet ac mente perpendat. Ad indolem operis nostri maxime interest determinare quæ ac quanta sit Codicis vis relate ad forum conscientiæ, et quænam inde oriantur in fidelibus, et præsertim in sacerdotibus, obligationes. Ceterum, quamplura habentur edita Commentaria, tum in integrum Codicem, tum in singulas ejus partes.

179. Sub hoc respectu duplex habetur in Codice Canonum classis. Quamplurimi sunt *dispositivi;* seu dicunt quid Ecclesia per eos vult suis subditis suo jure imponere, sive præcipiendo, sive prohibendo, sive sanciendo. Cum Ecclesia veram potestatem legiferam habeat a suo Divino Auctore, et per eos Canones hanc potestatem exercere intendat, patet quod ipsa per eos Canones vult suos subitos obligare, et per consequens eos obligat in conscientia. Si qui vero sint Canones, qui conditiones aut formalitates ad quorumdam actuum validitatem necessarias determinent, actus qui citra has conditiones vel absque his formalitatibus positi fuerint, sunt ipso facto nulli in foro conscientiæ et coram Deo; exceptis casibus, pro quibus ipsa Ecclesia se supplere significet [27].

180. Verum sunt in Codice Canones nonnulli, qui dici possunt *doctrinales;* eo quod explicite vel implicite exhibent ea, quæ ad jus naturale vel divinum etiam positivum pertinent; ex. gr. de veritate quorumdam sacramentorum, de obligatione et de conditionibus ad ea suscipienda requisitis, etc. Ex his Canonibus plures doctrinam exhibent doctrinæ jampridem certissimæ aut etiam fide credendæ conformem, ac proinde indiscussam et indiscutibilem [28]: at quidam exhibent sub forma assertiva doctrinas, quæ prius apud theologos tradebantur ceu opiniones plus minus probabiles, sed non ut prorsus certæ. — Accessit ne iisdem certitudo absoluta ex earum insertione in Codice?

Certe gravis ex hac insertione eisdem accessit auctoritas: at ex ea easdem e censu opinionum probabilium ad censum sententiarum certarum evectas fuisse non putamus. Ratio est, quia Codex est *Codex Juris canonici;* ejusque scopus fuit « universas Ecclesiæ leges.... lucido ordine digestas in unum colligendi ». Non ergo ea fuit Pii X ac Benedicti XV intentio, ut per insertionem quarumdam doctrinarum, sive dogmaticarum, sive moralium, eas veras esse definirent; sed, ut eas referrent, aut ad summum novo argumento, at non infallibili documento, easdem fulcirent [29]. Exemplo sit Canon 854; qui indirecte affirmat cognitionem et fidem explicitam mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. Jesu Christi necessariam esse necessitate medii ad salutem; cum exsistentia Dei remuneratoris sit veritas fidei, non mysterium. Censemus hac affirmatione non infirmari sententiam penes theologos, etiam post Codicem, receptissimam, quod necessitas medii circa ea mysteria sit tantum probabilis [30].

181. **Scholion.** — Relate ad interpretationes, quæ a Commissione ejusve Præside dentur, advertimus: *a*) Hæ interpretantur, non

27) Synoptice de vi Codicis agunt ARREGUI *Num. 78;* COCCHI *Comment. in Codicem J. C.* I. *Num. 21-23* (Taurin 1921).

28) CODEX *Can. 737* § *1, 745* §*1, 801, 802, 870-872, 1012,* etc.

29) SUAREZ *De Eucharistia. Disput. LXXXV. Sect. I* idem plus minus habet de quibusdam rubricis doctrinalibus in Missali.

30) Cf. PERRONE *De virt. fidei... Num. 334-379;* BALL. *II. 13-15* LEHMK. I. *273;* TANQU. I. *635;* GEN. I. *191;* FERR. *276;* SEBAST. *101;* NOLDIN II. *10.*

jus naturale aut divinum, neque jus canonicum vetus, sed jus novissimum Codice inductum. — *b*) Eædem tunc vim juridicam habent universalem, cum in Commentario officiali *Acta Apostolicæ Sedis* insertæ sunt; nam « interpretatio authentica,.... si legem dubiam explicet,... debet promulgari »: excepto casu, quo « verba legis in se certa declaret tantum ». — *c*) « Si autem extra *Acta Apostolicæ Sedis* vagetur responsum, in foro exteriore ignoratur; ita ut, ex ipsa mente respondentis, solutio data sit minus definitiva, et, iis exceptis quibus rescriptum missum est, alii servent libertatem diversimode opinandi » [31]. Ita recens Canonista de quacumque legis interpretatione authentica.

ART. V. — De subjecto legis ecclesiasticæ

182. **Principia. I.** Legibus generalibus Ecclesiæ obligari possunt omnes et soli homines baptizati, habentes habitualiter usum rationis. Ratio est, quia hi omnes et soli sunt subditi Ecclesiæ, et legibus dirigi possunt in finem.

II. Legibus particularibus Ecclesiæ, quæ sint territoriales, generatim tenentur homines baptizati habentes habitualiter usum rationis, qui sint subditi legislatoris ac in territorio pro quo latæ sunt domicilium aut quasi-domicilium habeant, ibique commorentur. Legibus personalibus tenentur subditi, pro quibus latæ sunt, ubicumque sint.

III. Quod illi, qui sunt alicui legi ecclesiasticæ subjecti, ad eam servandam teneantur vel non, pendet ab ipsa lege, prout aut verbis concepta est, aut de ejus sensu per legitimam interpretationem constat.

183. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Homines non baptizati tenentur quidem Baptismum suscipere, et sic ingredi Ecclesiam; verum ad hoc tenentur jure naturali et divino: interim vero non tenentur legibus Ecclesiæ; quibus se subdere debent, at subditi non sunt [32].

2.ª Qui Baptismum susceperunt, jam sunt subditi Ecclesiæ, ubicumque versentur; quare eos omnes Ecclesia obligare potest; dummodo legis positivæ sint capaces.

3.ª Hæretici, schismatici aliique baptizati, licet non catholici, saltem *per se* legibus Ecclesiæ subjiciuntur; quamvis enim sint rebelles, non ideo cessant esse subditi Ecclesiæ.

31) Vermeersch I. *Num. 289.* — Cf. Codex *Can. 17 § 2.*

32) Licet hi ad fidem amplectendam et Baptismum suscipiendum cogi nequeant, cogi tamen possunt ex lege naturali et divina ad fidei prædicationem excipiendam.

4.ª Infantes et perpetuo amentes non subjiciuntur legibus Ecclesiæ: hinc licebit eis præbere carnes edendas diebus quibus carnes ab Ecclesia prohibentur, eos diebus festis ad Missam audiendam non adducere, aut præstandis operibus servilibus addicere, etc.

5.ª Qui usu rationis privantur brevi tempore, item ebrii, delirantes et dormientes, legibus Ecclesiæ subjiciuntur, easque servare *per se* tenentur. Hinc, licet ipsi leges violando a peccato formali excusentur, non excusantur qui eisdem causam præbeant violandi; puta eisdem carnes præbendo die, quo vetantur.

184. *Ex Princ. II.* — 1.ª Legibus diœcesanis generatim non tenentur fideles ejusdem diœceseos, si extra ipsam versentur; nec qui in ea versentur, at subditi non sint Episcopo illius diœceseos.

2.ª Sacerdos Romanus non prohibetur Venetiis adire cinematographum, vi prohibitionis datæ ab Ordinario Veneto. At, ne accedat indutus vestibus clericalibus, prohibetur ex lege charitatis non præbendi occasionem scandali: eadem lege artifex Romanus prohibetur die festo S. Marci Venetiis publice exercere opera servilia.

3.ª Regulares exempti non tenentur legibus ac statutis episcopalibus diœceseos, in cujus finibus morantur: excipiendi sunt casus in Jure excepti, de quibus suis in locis agendum.

185. *Ex Princ. III.* — 1.ª Leges, quæ a Romano Pontifice datæ sint pro uno fidelium cœtu, vel pro una regione, evidenter non obligant fideles alterius cœtus vel regionis.

2.ª Legibus mere ecclesiasticis non tenentur, qui licet baptizati et rationis usum assecuti, septimum ætatis annum nondum expleverunt, nisi aliud jure expresse caveatur. Impuberes, licet teneantur lege cui sanctio pœnalis adnexa est, ab ipsa pœna excusantur: inde est quod pœna teneri possunt qui eos ad legem violandam adduxerint, vel cum eis in delictum concurrerint 33.

3.ª Hucusque pueri communiter ante expletum annum nonum non tenebantur lege Lateranensis Concilii sumendi saltem in Paschate sacram communionem: communis enim Doctorum interpretatio eos exemptos habebat. Quid hodie censendum sit, dicemus alibi.

186. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum ipse legislator suis legibus teneatur?

Resp. Sententia communior negat eum teneri *directe*, seu vi præceptiva ipsius legis. Ratio est, quia de essentia efficaciæ legis est, ut a superiore feratur in subditos; porro legislator non est subditus sibi. Hinc Pontifex non tenetur directe legibus suis aut prædecessorum; imo nec legibus Concilii œcumenici, cum ei non subsit. Episcopus non tenetur legibus ac decretis suis aut suorum antecessorum; tenetur vero legibus latis a se cum ceteris Episcopis in Concilio provinciali; huic enim subest; imo huic subest etiam ipse Metropolitanus. At neuter

33) Codex *Can. 12, 2230.*

tenetur legibus aut statutis, quæ dentur in illis *Collationibus regionalibus*, quas Leo XIII habendas esse statuit: in his enim Episcopi singuli decernunt, non Episcoporum synodus.

Verum ipse legislator legibus suis teneri potest *indirecte;* nempe vi alterius juris superioris. Cum enim ipse suam legem habere debeat ut honestam et ad bonum communitatis ordinatam, eam servare debet saltem ad bonum exemplum subditis præbendum, et ne hi scandalizentur. At, secluso scandalo, ipse legislator numquam graviter peccat; quia tunc suam legem a se observari directe non exigit, nisi æquitas et decentia: accedente autem causa rationabili, ne leviter quidem peccat [34].

187. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Quid sit domicilium, et quo modo acquiratur et amittatur?

Resp. Notio domicilii in hoc est, quod quis aliquo in loco *domum colat*, seu ibidem commoretur. — Itaque:

1.° Ut quis alicubi *domicilium* habeat secundum Jus novissimum, præter commorationem, requiritur: *a*) Quod ibi suam commorationem protraxerit ad decennium, vel; *b*), brevius commorando, animum habeat ibidem manendi ad decennium completum. — Quod si ibidem commoratus sit per majorem anni partem, aut, brevius commorando, animum habeat manendi ad majorem anni partem, ibidem aquisivit *quasi-domicilium*.

Utrumque est *paræciale*, si est in paræcia aut quasi-paræcia: est *diœcesanum*, si est in diœcesi aut vicariatu aut præfectura, at non in paræcia vel quasi-paræcia. Quare, qui paræciale habet in diœcesi, non habet diœcesanum: diœcesanum habet qui in variis diœceseos paræciis vel quasi-paræciis commoratur, et ideo non habet paræciale [35].

2.° Domicilium et quasi-domicilium amittitur per discessum actualem cum animo non redeundi; præter exceptiones circa habentes domicilium *legale* [36].

Qu. 2. Utrum legibus particularibus teneantur subditi legislatoris extra territorium versantes, seu qui sint alibi peregrini?

Resp. Dicuntur *peregrini*, qui habentes et retinentes alicubi domicilium vel quasi-domicilium, alibi versantur. Porro ex Jure novissimo: *a*) Non tenentur legibus territorialibus, quarum transgressio in suo territorio non noceat; *b*) tenentur iis, quarum transgressio in proprio territorio noceat; *c*) tenentur, nedum præceptis, sed et legibus, quas constet esse personales [37].

Consequenter: *a*) Si Venetiis de præcepto sit festum S. Marci, Venetus qui ea die Romæ versetur, non tenetur Missam audire. — *b*) Qui, habens in Italia domicilium, versetur in Anglia ibique penes notarium

34) S. Ligorius *Num. 154*, et *Homo apost.* II. 38; Noldin *148;* Tanqu. *287.*
35) Codex *Can. 92*, § *1, 2, 3.* — Cf. Noldin *Num. 142 sequ.*
36) Codex *Can. 95*, coll. *Can. 93.* — De domicilio *legali.* Ferreres *Num. 163, 4;* Noldin *143, 2;* Genicot *115-118*, et Canonistæ.
37) Codex *Can. 14* § *1*, coll. *Can. 91.*

testamentum conficiat, quod juxta jus italicum legitimam filii sui in Italia commorantis læderet, ageret illicite et injuste. — *c*) Sacerdos, qui contra præscriptionem sui Ordinarii, extra territorium versatus, ibidem theatrum vel cinematographum adeat, peccat; dummodo ex tenore legis constet eam esse personalem. Id extendendum ad legem Superioris religiosi vel cujuscumque habentis potestatem legiferam [38].

Qu. 3. Utrum peregrini teneantur legibus territorii, in quo versantur ?

Resp. a) « Non adstringuntur legibus territorii, in quo versantur, iis exceptis, quæ ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant ». — *b*) Legibus generalibus tenetur, etiamsi hæ in suo territorio non vigeant; minime vero, si in loco in quo versantur non obligent [39].

Consequenter: *a*) Romanus, versans die festo S. Marci Venetiis, non tenetur Missæ eo die adsistere; at prohibetur servilibus publice incumbere, quod bono publico propter scandalum adversaretur: item advena tenetur prohibitione locali evulgandi ephemeridem malam ibidem prohibitam. Italus, qui in Gallia versetur, si vult actu legali publico de suis bonis in Italia immobilibus disponere, sive inter vivos, sive mortis causa, servare debet solemnia juris gallici. — *b*) Si Germanus in Italia versetur, ibi legibus abstinentiæ et jejunii tenetur ea ratione, qua ab Ecclesia latæ sunt; licet forte eæ leges in Germania obsoleverint. — *c*) Viceversa, consuetudine in Germania vigente frui potest et Italus, qui ibi forte versetur.

Qu. 4. Quibus legibus teneantur vagi ?

Resp. Vagi dicuntur illi, qui alicubi versantur, at nullibi domicilium aut quasi-domicilium habent. Itaque: « Vagi obligantur legibus, tam generalibus, quam particularibus, quæ vigent in loco in quo versantur » [40]. Res satis liquida, et omnis controversia sublata.

188. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum pueri ad leges ecclesiasticas servandas teneantur statim ac habent usum rationis, licet septennium nondum expleverint ?

Resp. Solutio pendet, non ex Jure Ecclesiæ, sed ex ejus intentione. Porro Jure novissimo statuitur: « Legibus mere ecclesiasticis non tenentur.... baptizati,... qui licet usum rationis assecuti, septimum ætatis annum nondum expleverunt » [41]. Exceptio ibidem additur « nisi aliud jure expresse caveatur »; quæ, justa plures, applicanda esse videtur præceptis confessionis et communionis annuæ, vi Canonum 859, 906.

Certissime quidem expedit, ut pueri quamprimum eas leges Ecclesiæ servent, quas servare possunt: tum ut assuescant, tum ut meritum operum bonorum et ipsius virtutis obedientiæ consequantur. At ad certam obligationem in pueris requiritur, et certus usus rationis, et genera-

38) Cf. Toso *Ad Codicem J. C. Comm. min.* pag. 22.

39) Codex *Can. 14* § *1 n. 2, 3.*

40) Codex *Can. 14* § *2.* — Cf. S. Ligorium *IIII. Num. 332;* D'Ann. *86,* Noldin *149, 150;* Tanqu. *291;* Gen. *113;* Ferr. *163.*

41) Codex *Can. 12.* — S. Thomas *2. 2. Qu. 147 art. 4* et *154 art. 2.*

tim expletum septennium. Hoc autem expleto, ille præsumitur: at in dubio de adepto usu rationis, puer septennis ad leges servandas teneri non videtur.

Qu. 2. Utrum hæretici teneantur legibus Ecclesiæ?

Resp. Cum certe jus competat Ecclesiæ obligandi ad suas leges etiam hæreticos, quæstio reducitur ad factum, utrum id velit. Porro, si agatur de illis hæreticis, qui nati sunt in secta jam constituta, opinio communis est quod Ecclesia, pia mater, non intendat eos obligare ad leges, quæ immediate ordinatæ sunt ad sanctificationem individualem fidelium; cujusmodi essent leges de abstinentia, de jejunio, de sanctificatione dierum festorum [42]; quæ opinio confirmatur silentio Juris novissimi [43]. At non eximuntur qui, nati in Ecclesia catholica, dogma aliquod rejiciunt, aut ab ejus fide et subjectione recedunt; ut sunt, saltem *per se*, liberales, anticlericales, modernistæ, etc.

ART. VI. — De interpretatione legis ecclesiasticæ

189. *Interpretatio proprie* dicta est « voluntatis legislatoris in lege obscura expositio » [44]. Ex qua definitione duo sequuntur: *a*) Ubi lex clara est, non datur locus interpretationi: locus datur tantum exsecutioni [45]. — *b*) Interpretatio proprie pertinet ad leges positivas, in quibus tota vis legis est a voluntate legislatoris. Porro, licet triplex detur lex, positiva divina, ecclesiastica, civilis, speciatim agimus de interpretatione legis ecclesiasticæ, de qua frequentius casus contingere poterunt confessariis; ceterum pronum erit theorias aptare etiam legi divinæ ac civili.

Interpretatio ratione auctoris, distinguitur triplex: *Authentica* est ea, quæ datur ab ipso legislatore vel ab ejus successore, sive per se, sive per organon suum authenticum; puta a Pontifice per sacras Congregationes, aut per commissionem ad Codicem interpretandum institutam. *Usualis* vel *practica* dicitur ea, de qua constat ex ipsa legis applicatione, seu ex consuetudine. Dicitur vero interpretatio *doctrinalis* ea, quæ privata auctoritate datur a doctoribus in ea lege peritis. Quidam addunt et *judicialem*, quæ datur a judice in ferenda sententia.

Ex his, interpretatio authentica habet eamdem vim ipsius legis; imo parem vim habet et usualis, si fiat per legitimam consuetudinem,

42) Cf. Marc *Num. 198;* Gen. *Num. 111, 3;* Lehmk. *Casus 94-96;* Noldin *144;* Frassin. *Nota 7 al Num. 30;* Zanin. *170, 5.* — De servanda forma canonica in Matrimonio Codex *Can. 1099.*

43) Codex *Can. 12* videtur quæstionem de hæreticis in statu pristino relinquere.

44) Suarez *Lib. VI. Cap. I. — VIII;* S. Ligorius *Num. 200;* Marc *171, sequ.;* Palm. apud Ball. *379, sequ.;* Tanqu. *296-306;* D'Ann. *184-189;* Cocchi *Op. cit. 76, seqq.*

45) S. Thomas *2. 2. Qu. 120 art. 1 ad 3;* D'ann. *Num. 184.*

quæ est « optima legum interpres » 46. Interpretatio judicialis vim legis habet pro partibus contendentibus; ceteris prodesse potest tamquam norma doctrinalis. Quæ doctrinalis est, si ea sit communis inter doctores, et legislator taceat, habenda est ceu ipsi legislatori probata.

Interpretatio ratione modi, alia est *comprehensiva*, alia *extensiva*. Dicitur comprehensiva ea, quæ declarat quid in lege contineatur. Hæc autem duplex: quæ verba accipit in eorum significatione propria, dicitur comprehensiva *stricta;* quæ admittit significationem minus propriam, dicitur comprehensiva *lata*. Sic interpretatione comprehensiva stricta, filius est, qui est genitus; interpretatione comprehensiva lata, etiam qui est adoptatus. Dicitus vero interpretatio *extensiva*, quæ legem extendit ultra usitatam verborum significationem; puta, si dicatur nomine filii in aliqua lege venire etiam filium filii.

Nobis agendum est de interpretatione doctrinali, ac de regulis interpretationis, quæ theologo aut confessario sequendæ sunt in suis muneribus obeundis. — Regulæ principales reducuntur ad sequentia 47.

190. **Principia. I.** Leges intelligendæ sunt secundum propriam verborum significationem 48. Ratio est, quia legislator censendus est id verbis expressisse, quod mente tenebat.

II. Lex trahenda est ad sensum minus proprium, quando secus, aut absurda esset, aut injusta, aut inutilis. Ratio est, quia non est censendus legislator voluisse legem statuere carentem aliqua nota necessaria ad ejus essentiam aut ad ejus efficaciam.

III. In dubio de sensu legis, lex odiosa interpretanda est stricte, lex favorabilis late 49; hoc autem juxta regulam: « Odia restringi et favores convenit ampliari ».

IV. Ad judicandum de sensu, extensione et gravitate alicujus legis ecclesiasticæ optimum ac tutum est criterium unanimis doctorum ac theologorum consensus; dummodo posterior declaratio authentica aliter non docuerit.

191. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª « Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus ». Quia procurans abortum, effectu secuto, incurrit excommunicationem, indifferens est, quod fetus animatus fuerit, vel inanimatus.

46) CODEX *Can. 29.*

47) Qui plures alias cupit, adeat Canonistas. — Cf. etiam SUAREZ *Op. cit. Lib. VI. Cap. I-IV;* PALMIERI, apud BALL. *Num. 380, sequ.;* GEN. *112.*

48) At attendendus CODEX *Can. 18, 19.* Ceterum legislatori semper licet suam mentem aperire.

49) Cohæret CODEX *Can. 19.*

2.ª « Ratio juris non facit jus ». Quamvis lex debeat esse rationalis, tamen legem facit voluntas legislatoris aut superioris; non ratio. Hinc, si ratio legis infirma sit in seipsa [50], aut in casu determinato deficiat, et lex in se clara sit, ea est observanda. Etsi parochus sciat Matrimonio celebrando nullum obstare impedimentum, præmittere debet publicationes.

3.ª Ordinarie dispositio legis non debet extendi a casu expresso ad alium similem ob similem rationem. Ita ex lege Tridentina, tenetur confiteri *quamprimum sacerdos*, qui, conscius peccati mortalis, ob urgentem necessitatem sine confessione celebraverit contritus: at non tenetur, qui celebraverit inscius peccati mortalis, aut qui conscius celebraverit sine necessitate: nec tenetur laicus (aut sacerdos), qui in iisdem adjunctis communicaverit. Sicubi reservatus sit sermo lascivus cum moniali, non est reservata scriptio lasciva.

4.ª Neque lex ad casum diversum extendi debet, etiamsi ratio pro eo potior esse videatur. Ita non tenetur confiteri *quamprimum* sacerdos, de quo modo diximus, si celebraverit sacrilege [51].

5.ª Ipsa singula verba accipi debent sensu proprio, quem habeant sive ex etymo et grammatica, sive ex usu communi. Quia Tridentinum Concilium declaravit lege divina integritatis confessionis comprehendi tantum peccata commissa *post Baptismum, inde* deducunt non comprehendi peccata in susceptione Baptismi commissa [52]. Censura lata in eos, qui legunt *libros* hæreticorum, etc. tenet et eum, qui vel unum legat.

192. *Ex Princ. II.* — 1.ª Verba Christi: *Qui non odit patrem suum et matrem suam*, etc. non possunt esse de odio proprie dicto: absurde enim Christus juberet odio habendos parentes, qui jubet esse diligendos inimicos. Nec Apostoli jussi prædicare Evangelium *omni creaturæ*, tenebantur prædicare pecudibus.

2.ª Si lex propter longam absentiam sponsi concedit sponsæ liberationem a sponsalibus, idem censenda est concedere sponso ob longam absentiam sponsæ: secus lex esset injusta.

3.ª Si qua ecclesia dicitur ex privilegio subesse Romano Pontifici, intelligendum est eam subesse *immediate*, h. e., cum exemptione a jurisdictione Ordinarii vel Metropolitæ: secus inutile esse privilegium.

193. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si dubitetur, num censura aliqua sit sententiæ *latæ* an *ferendæ*, habenda est ut sententiæ *ferendæ*.

2.ª Si censuræ subjiciantur clerici alicujus civitatis, non comprehenduntur Episcopus, Canonici aut alii in dignitate ecclesiastica constituti,

50) Exempla quatuor apud D'ANN. *Num. 188, 51.* — Hinc sæpe opportunum, quod superiores, dent quidem decreta aut præcepta rationalia, at rationes non afferant, ne subditis ansam præbeant ratiocinandi super ipsis.

51) S. LIGORIUS *VI. Num. 266 Qu. 5.* - Nec obstat CODEX *Can. 807.*

52) S. LIGORIUS *VI. Num. 427;* D'ANN. *184, 10;* TUMMOLO II. *Num. 416-418.*

neque religiosi: ita, si interdicto subjiciatur urbs, non comprehenduntur suburbia. At privilegium concessum clericis vel urbi pertinet quoque ad Episcopum, etc., et ad suburbia.

3.ª Facultas concessa monialibus egrediendi e monasterio in casu incendii, epidemiæ aut infirmitatis, extendenda est ad similia pericula ex inundatione, latronum incursu, domus ruina, etc. Patet ex fine concessionis.

194. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Quod auditio Missæ die festo præcipiatur *sub gravi*, quod *sub gravi* prohibeantur servilia, quænam sit materia gravis, sive quoad partem Missæ, sive quoad servilia, etc., id novimus ex unanimi theologorum consensu.

2.ª Inde etiam novimus quod lex jejunii ante communionem servandi gravissima est præ ceteris legibus mere ecclesiasticis, ac non cedit nisi in conflictu cum graviori præcepto juris divini sive naturalis sive positivi, vel in gravissimo periculo infamiæ vel capitis.

3.ª Ex eodem criterio novimus quod diebus jejunii sumptio duarum unciarum cibi ultra refectiones lege permissas grave peccatum non sit.

4.ª Quandoque ipsis Ecclesiæ præscriptionibus vim inferunt theologi, ut eas in suum pertrahant sensum: ita circa Rubricas Missalis *De defectibus;* et quidem ipsa Ecclesia tacite consentiente.

195. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum interpretatio authentica legis indigeat promulgatione?

Resp. — *a) Negative,* si verba legis in se certa declaret tantum. — *b) Affirmative,* si legem coarctet vel extendat (esset interpretatio extensiva); vel, si legem dubiam explicet (esset interpretatio comprehensiva) [53]. Nunc promulgatio interpretationis pro legibus universalibus Ecclesiæ fit per insertionem in periodico *Acta Apostolicæ Sedis.*

Qu. 2. Undenam definiendum sit legem aliquam esse odiosam vel favorabilem?

Resp. Generatim odiosæ sunt leges pœnales aut irritantes, leges decernentes incapacitatem subjecti ad actum, privilegia contra legem; plerumque præcepta positiva. Favorabiles sunt concessiones gratiarum et cujuscumque favoris, qui non inferat detrimentum communitati vel alteri personæ privatæ. Quod si in una eademque lege duplex habeatur pars, una favorabilis, altera odiosa, ab invicem inseparabiles, quæstio valde implexa est, ac juxta principia æquitatis in singulis legibus et præceptis solvenda est ab homine, qui legum peritus sit et recto præditus criterio [54]. Theoretice utra pars, favorabilis an odiosa, det naturam legi, definiendum est ex fine primario ejusdem. Ita Canon de injicientibus manus violentas in clericos, etc., licet pœnalis esse videatur, ex ejus fine primario favorabilis est; et ideo latam accipit interpretationem: inde est, quod manus violentas injicit etiam qui conspuit.

53) Codex *Can. 17 § 2.* — Cf. Vermeersch *Num. 389.*
54) Cf. D'Annibale *Num. 184, 22-24;* Gen. *112, 4.*

196. **Scholion.** — *De epikeia.* — Dum interpretatio supponit legem esse abscuram, *epikeia* eam claram esse supponit; simul tamen judicat legislatorem non voluisse sua lege comprehendere casum particularem, in quo legis observatio secum fert incommoda extraordinaria. Quare epikeia est quædam legis correctio ex præsumpta voluntate legislatoris [55]. Hinc, si legislator prohibuerit arma noctu gestare, ille, qui ab inimico ad necem quæritur, si domo exire cogatur, judicare potest legislatorem noluisse ipsi arma vetare. Advertunt periculo non vacare quod quis in causa propria utatur epikeia; nec ea cuique esse utendum, si absque incommodo gravi adiri possit Superior [56].

ART. VII. — De cessatione legis ecclesiasticæ

197. Lex ecclesiastica cessare potest, sive pro ipsa communitate aut ejus collegio, et quidem aut definitive, aut transeunter, sive pro subditis particularibus. — *a*) Pro communitate cessare potest *definitive*, sive ex parte legis ipsius, sive ex parte legislatoris, sive ex parte subditorum. — *b*) Pro ipsa communitate *transeunter*, et pro subditis particularibus, cessare potest ex parte legislatoris per dispensationem: insuper pro subditis particularibus cessare quoque potest ex parte ipsorum, si pro ipsis habeantur causæ deobligantes. — Quoniam de hoc modo postremo egimus superius, agendum manet de cessatione legis definitiva pro communitate, et de dispensatione.

§ I. — De cessatione legis pro communitate.

198. **Principia. I.** Cessat lex ipso facto, si adæquate cesset ejus finis. Ratio est, quia, cessante adæquate legis fine, lex fieret irrationalis.

II. Lex cessat, si, et prout, eam revocaverit aut ei per legem posteriorem obrogaverit ipse legislator, vel ejusdem Superior, aut in ejus potestate successor, aut eorumdem delegatus. Ratio est, quia lex omnem suam vim habet a voluntate legislatoris [57].

III. Lex cessat, si jam inducta sit consuetudo, quæ sit rationabilis et legitima, et ab ipsa communitate servata per tempus diuturnum. Ratio est, quia tunc consuetudo, legem abrogans vel ei

55) S. Thomas *2. 2. Qu. 147 art. 3;* Suarez *Lib. VI. Cap. VIII. 10, sequ.*

56) Cf. D'Annibale *Num. 187, 43-49;* Palmieri, apud Ball. *383-386.*

57) At « in dubio revocatio legis præexsistentis non præsumitur; sed leges posteriores ad priores trahendæ sunt et his, quantum fieri posit, conciliandæ ». Codex *Can. 23.*

derogans, consentientem habet legislatorem, aut tacite aut saltem legaliter [58].

199. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Quandonam dicendus sit finis alicujus legis cessare adæquate ?

Resp. Quando cesset finis legis *a*) ex integro, et quidem *b*) respectu totius communitatis aut partis majoris ejusdem, et *c*) permanenter, seu aut definitive, aut saltem per tempus valde diuturnum. Id autem potest contingere, sive *contrarie* vel *negative*, quatenus lex propter mutatas circumstantias fiat nociva, aut injusta, aut impossibilis; sive tantum *privative*, quatenus lex fiat inutilis. Ita, si Pontifex aut Episcopus, edito novo decreto, statuat hoc legendum esse in communitatibus religiosis vel in parœciis, etc. singulis annis, postquam decretum illud introductum jam fuit in usu communi et constanti, præscriptio legendi cessat.

Hujusmodi cessatio legis fit *ipso facto;* quin sit expectanda declaratio Superioris aut consuetudo contraria. At opus est de cessatione finis constare per rationes vere graves.

Qu. 2. Utrum cesset lex, cessante ejus fine totaliter in casu particulari, seu pro uno vel paucis subjectis ?

Resp. 1.° Si finis legis cesset *contrarie*, adeo ut observatio legis aut inhonesta fiat, aut noxia, aut impossibilis, lex obligare cessat saltem mediate : datur enim locus epikeiæ, h. e, præsumptioni quod legislator non intendat pro eo casu obligationem urgere [59]. Ita, si ad refutandam statim accusationem contra Ecclesiam necesse sit legere librum prohibitum, nec tempus adsit petendi licentiam, poterit præsumi legislatorem nolle pro eo casu legem urgere. Ita censenda est cessare obligatio monendi fratrem, si monitio noxia prævideatur.

2.° Si finis legis cesset *privative*, quatenus impletio legis ad ejus finem consequendum nihil prodest, sententia ferme communis est legem non cessare [60]. Ratio est, « quia id, quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id, quod communiter accidit, non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere » [61]. Aliis verbis : lex ordinatur ad bonum commune ; hoc autem postulat, ut etiam in eo casu particulari lex observetur : si ea inutilis sit ad bonum privatum, adhuc utilis est ad bonum commune. Hinc diebus esurialibus tenetur a carnibus abstinere ille, qui piscibus et leguminibus magis delectatur et nutritur, quam carnibus ; nec potest librum prohibitum legere, qui certo scit sibi nullum ex lectione imminere periculum ; nec parochus potest omittere Matrimonii imminentis publicationes, etsi sciat eas certo inutiles esse ; etc. Quæ, et alia

58) Consensum legalem admittit CODEX *Can. 25, seqq.* — Cfr. VERMEERSCH *Num. 260-268.*

59) Cf. BALLERINI *Num. 374.*

60) Ita GURY *Num. 121, Qu. 1;* BALL. *376.*

61) S. THOMAS *2. 2. Qu. 154 art. 2;* qui tamen ibi agit tantum de fornicatione. — Cf. et D'ANN. *Num. 188* et *Notas.*

plura, tenenda esse videntur etiam in casu, quo nullum habeatur periculum hallucinationis aut erroris, nec ullum habeatur periculum scandali aut alterius mali effectus extrinseci.

Hinc: « Leges latæ ad præcavendum periculum generale urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit » 62.

200. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Quanto tempore perdurare debeat consuetudo legi contraria, ut vi ipsius lex cesset?

Resp. Generatim requiritur quod ea consuetudo fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos præscripta: contra legem vero ecclesiasticam, quæ clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola præscribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis 63.

Quod si consuetudo ab initio introducatur per viam conniventiæ Superioris, tempus diuturnum theologi et canonistæ non requirunt; dummodo ex certis indiciis colligatur Superiorem connivere libere, minime vero dissimulare ad impedienda mala graviora 64.

Qu. 2. Quid in dubio, num per consuetudinem fuerit contra legem præscriptum?

Resp. In dubio negativo, lex est servanda; in dubio positivo, h. e., si gravia motiva probabile faciant jam esse præscriptum, exsistentia legis dubia est, ac proinde ejus obligatio est dubia, seu nulla.

Qu. 3. Utrum consuetudo præscribere possit contra quascumque leges?

Resp. Certe nihil valere potest contra legem divinam, sive naturalem, sive positivam. Nec censetur valere contra eas leges ecclesiasticas, quarum sit tueri mores christianos et nervum ecclesiasticæ disciplinæ: talis esset consuetudo exercendi diebus festis quæcumque opera servilia; item parochorum consuetudo non residendi in sua parœcia.

Ceterum legislator semper potest consuetudinem legi contrariam abrogare, vel eidem obrogare; et quidem sive *explicite*, sive *implicite*. Abrogat, vel ei obrogat, explicite, si expresse declarat: « quamcumque consuetudinem contrariam reprobamus aut abrogamus, vel ei derogamus ». Abrogat implicite per legem novam inductæ consuetudini contrariam: sed « lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nisi expressam de iisdem mentionem fecerit; nec lex generalis revocat consuetudines particulares » 65.

De consuetudine vim legis inductiva consulantur Canonistæ.

62) Codex *Can. 21.* — Ceterum cf. S. Ligorium *Num. 199;* Gen. *147;* Noldin *199.*

63) Codex *Can. 27 § 1.*

64) S. Ligorius *Num. 107, 139, III. 149,* et *Homo apost. II. 11;* Lehmk. *179;* Gen. *146;* D'Ann. *181, 23;* Ball. *41-45;* Tanqu. *237;* Marc *265;* Cocchi *85-89.*

65) Codex *Can. 30.* — Cf. Ferreres *Num. 211;* Tummolo *138, sequ.*

§ II. — De dispensatione.

201. *Dispensatio* est « relaxatio legis facta a Superiore in casu speciali »; seu est actus, quo Superior eximit a legis obligatione, sive communitatem ipsam per modum actus, sive personas aliquas, aut per modum actus aut etiam permanenter 66.

Dispensatio dari potest *expresse*: hoc vero, sive *explicite* conceptis verbis, sive *implicite* per factum necessario supponens dispensationem. Ita expresse Pontifex dispensat ab impedimento matrimoniali per rescriptum S. Congregationis *De sacramentis;* dispensaret implicite ab irregularitate ordinando clericum, quem novit esse irregularem. Item dari potest dispensatio *tacite;* puta, dissimulando actum inferioris agentis contra legem, quando facile esset contradicere.

Ratione auctoris, dispensatio, spectata facultate dispensandi, distinguitur triplex: *Ordinaria, quasi-ordinaria* seu *vicaria, delegata.* — *a*) Datur dispensatio facultate ordinaria, seu ex jure proprio, ab eo, qui est auctor legis, aut ejus successor, aut superior. — *b*) Datur facultate quasi-ordinaria ab eo, qui est inferior legislatore, at eam facultatem habet permanenter adnexam muneri proprio, sive ex voluntate expressa legislatoris, sive ex consuetudine. — *c*) Datur facultate delegata ab eo, qui hanc facultatem accepit ab habente ordinariam.

Qui dispenset jure proprio, dispensationem dare potest, saltem valide, etsi nulla sit causa dispensandi: at, si dispenset ex petitione subditi, non censetur velle dispensare, si causa nulla sit aut non sufficiens. E contra, qui dispenset facutate quasi-ordinaria aut delegata, non exstante causa sufficienti, non potest dispensare; ac, si dispenset, dispensat invalide, si inscius; invalide et illicite, si sciens. Hinc in subdito necessitas exponendi in petitione omnia ea, quæ sunt exponenda, et non adducendi causas falsas. Dispensatio, quæ petatur et obtineatur deficiente priori requisito, dicitur *subreptitia;* quæ deficiente altero, *obreptitia.* Ceterum ad impetrandam dispensationem sufficit causa minus gravis, quam quæ sufficeret ad excusandum; si enim hæc adsit, frustra subditus invocaret interventum auctoritatis superioris 67.

Omisso Romano Pontifice, qui evidenter dispensare potest a quibuscumque legibus ecclesiasticis, ac ministerialiter etiam in divinis, pauca dicemus de facultatibus, quæ competant Episcopis et parochis, et de causis ad obtinendam dispensationem requisitis.

202. **Principia. 1.** « A generalibus Ecclesiæ legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi hæc potestas eisdem fuerit explicite

66) Tractant SUAREZ *Lib. VI. Cap. X-XXIV;* item S. LIGORIUS *Num. 178-199;* BALL. *268-271.* — CODEX *Can. 80-86.*

67) Causæ sufficientes apud S. LIGORIUM *Lib. I. Num. 195.*

vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni et de dispensatione agatur quæ a Sede Apostolica concedi solet » [68].

II. « Episcopi aliique locorum Ordinarii dispensare valent in legibus diœcesanis et in legibus Concilii provincialis ac plenarii; non vero in legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro illo peculiari territorio, nisi ad normam Canonis 81 » [69].

III. « Parochi nec a lege generali nec a lege peculiari dispensare valent, nisi hæc potestas expresse eisdem concessa sit » [70].

IV. Ut subditus valide impetret a Superiore dispensationem eâque uti possit, necesse est quod in petitione nulla sit obreptio aut subreptio essentialis, seu quæ cadat in causam motivam. Ratio est, quia Superior non censetur consentire petitioni ac dispensare, nisi sub ea conditione « si nihil dicendum taceatur, si nihil falsi dicatur ».

203. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Facultates sic dictæ *quinquennales* aliæque id generis, quibus olim plures potiebantur Episcopi, apud nos cessarunt die 19 Maji anni 1918: singulis concedi possunt et hodie [71].

2.ª Ex concessa Jure novissimo facultate, Ordinarii quandoque dispensare poterunt integram diœcesim a legibus abstinentiæ vel jejunii, tum quoad incolas et advenas, tum quoad peregrinos [72].

3.ª Data ab Apostolica Sede dispensatio super Matrimonio rato et non consummato secumfert implicitam dispensationem a prima forma impedimenti criminis [73].

4.ª Vi Canonis 81 Episcopus dispensare poterit ab irregularitate, si difficilis sit recursus ad Sedem Apostolicam et dilatio ordinationis periculum afferat gravis damni; puta, quod clericus subire debeat militiam.

5.ª « In dubio facti potest Ordinarius in legibus generalibus etiam irritantibus et inhabilitantibus dispensare; dummodo agatur de legibus, in quibus Romanus Pontifex dispensare solet » [74].

204. *Ex Princ. II.* — 1.ª In legibus diœcesanis, licet, synodice la-

68) Codex *Can. 81.*
69) Codex *Can. 82*, coll. *Can. 291* § 2.
70) Codex *Can. 83.*
71) S. Congr. Consist. ad Ordinarios Italiæ, apud *Monit. eccles. XXXVII* (1925) pag. 130. — Cfr. ibidem *Notam.*
72) Codex *Can. 1245* § 2.
73) Codex *Can. 1053.*
74) Codex *Can. 15.* — Cf. Genicot *Num. 138, 448.*

tis ab antecessoribus, Episcopus dispensat jure suo, tamquam earumdem legislator: hinc et totam diœcesim et permanenter.

2.ª Quoad leges latas in Concilio provinciali ac plenario, Episcopus dispensare amplius non potest pro tota diœcesi, ut nonnulli sentiebant 75; sed tantum in casibus particularibus et justa de causa.

205. *Ex Princ. III.* — 1.ª Parochi ut dispensent a lege generali, puta a prohibitione librorum, facultatem habere debent expressam a Sede Apostolica: habere debent ab Episcopo, ut dispensent pro se et pro filianis a lege diœcesana, puta a prohibitione audiendi feminarum confessiones in ecclesia post datam horam. In casu exceptionali locus poterit esse epikeiæ.

2.ª Iidem ex facultate ipsis concessa Jure novissimo dispensare possunt in casibus singularibus justaque de causa subjectos sibi singulos fideles singulasve familias etiam extra fines paroeciæ, atque in sua paroecia etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum, itemque de observantia abstinentiæ et jejunii, vel etiam utriusque; et hoc, etsi adiri posset Episcopus: at sine justa causa dispensarent invalide 76.

3.ª Item Jure novissimo dispensare possunt, urgente mortis periculo, a pluribus (non ab omnibus) impedimentibus matrimonialibus, at solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit 77.

4.ª Confessarii, qua tales, a nulla lege sive generali sive diœcesana dispensare possunt: tantum declarare possunt doctrinaliter (hinc et scire debent) pœnitentem in casu particulari non teneri, sive ex causa eximente, sive ex causa excusante. Tantum dispensare possunt a pluribus impedimentis matrimonialibus pro foro interno et in actu sacramentalis confessionis cum pœnitente, qui sit in urgenti periculo mortis, dummodo adiri nequeat loci Ordinarius.

206. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I, II.* — *Qu. un.* Utrum Episcopi possint suam facultatem dispensandi delegare sacerdotibus inferioribus?

Resp. Episcopi evidenter possunt parochos et sacerdotes delegare ad dispensandum in legibus diœcesanis; at insuper delegare quoque possunt ad dispensandum in legibus communibus, in quibus ipsi dispensant facultate quasi-ordinaria: minime vero in iis, in quibus dispensare possunt facultate delegata, nisi id quoque expresse concessum habeant. — Eadem ratione parochi delegare possunt cooperatorem vel cappellanum ad dispensandum in singulis casibus ab abstinentia, a jejunio, a cessatione operum servilium, etc.

Generatim dispensatione locali frui possunt etiam peregrini.

75) (Cf. GENNARI *Questioni canon. Num. 328.*

76) CODEX *Can. 1245 § 1.* — De his et aliis cf. BALL. *Num. 285, sequ.*; NOLDIN *181*; TANQU. *313, sequ.*; MARC *284*; ZANIN. *230.*

77) CODEX *Can. 1044*; ubi et de facultatibus confessariorum.

207. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum valida sit dispensatio data sine justa et rationabili causa ?

Resp. Si ea detur a Superiore jure proprio, et hic, aut causæ defectum cognoscat, aut positive edicat se dispensationem concedere, quidquid sit de causa, *affirmative*. Si detur ab eodem Superiore supponente adesse causam, vel detur ab inferiore, *negative*. Ratio est, quia Superior dispensationem concedit sub conditione non vera ; inferior autem facultatem non habet dispensandi sine causa justa et rationabili 78.

Ceterum « nec obstat expositio falsi seu obreptio, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit » 79.

Qu. 2. Utrum liceat dispensationem petere, vel concedere, in dubio de sufficientia causæ ad dispensandum ?

Resp. Ex Jure novissimo, *affirmative* ad utrumque. Nam « dispensatio in dubio de sufficientia causæ licite petitur, et potest licite et valide concedi » 80. Hoc autem verum est, non solum de Pontifice aut Episcopis dispensantibus jure proprio, sed etiam de dispensantibus facultate quasi-ordinaria aut delegata ; proinde etiam de Pontifice dispensante a votis vel a juramentis, ac de Episcopis dispensantibus a legibus universalibus Ecclesiæ 81.

Quod si dubium versetur circa ipsam exsistentiam causæ, quæstio theoretice videretur in præcedentem resolvi, tum relate ad petentem, tum relate ad dispensantem : tamen nonnulli dubitant. Ceterum, si quis sincere rem in petitione exposuerat, certe dispensatione impetrata uti potest 82.

Qu. 3. Quid in dubio, utrum casus indigeat dispensatione ?

Resp. 1.° Certe opportunum erit rem exponere Superiori ; qui, aut dispensationem dabit *ad cautelam*, aut authentice declarabit legem in eo casu non obligare.

2.° Si quæratur de obligatione, duplex potest esse dubium : *a*) Dubitari potest, num casus lege comprehendatur. Si hoc dubium solvi non possit, sive positivum sit, sive negativum, obligatio legis dubia manet ; proinde est nulla. — *b*) Cum constet casum lege comprehendi, dubitari potest, num incommodum legi extrinsece adnexum sufficiens sit ad excusandum sine dispensatione. In hac hypothesi, quidam volunt legem esse in possessione, et quidem in dubio, sive negativo, sive positivo ; ac proinde petendam esse dispensationem 83 alii, cohærenter ad principia

78) Codex *Can. 84 § 1.* — Cf. Ball. *Num. 311, seqq.*
79) Codex *Can. 42 § 2.*
80) Codex *Can. 84 § 2.*
81) Cf. Ballerini II. *Tract. VII. Num. 69;* Genn. *Cons. mor. XCVII. 10;* Frass. *Nota 10 al Num. 33;* Lehmk. *Casus 116, sequ.*
82) S. Ligorius *Lib. III. Num. 251;* Marc *241.*
83) Ita sentire videtur S. Thomas *2. 2. Qu. 147 art. 4.* — Cf. et S. Ligorium *Lib. I. Num. 97.*

probabilistica, dicunt in dubio positivo, seu quando vere probabile sit legem sub eo incommodo non obligare, nulla opus esse dispensatione 84. Ita non eget dispensatione a lege abstinentiæ vel jejunii, qui ex judicio unius medici periti ac timoratæ conscientiæ laborat tali infirmitate, quæ ipsum ab his legibus excusat; et hoc, etsi alter medicus aliter censeat.

Dicunt ratione sacramenti excipiendos esse casus dubii *de facto* circa impedimenta Matrimonii; de qua re alibi.

Qu. 4. Quomodo cessat dispensatio?

Resp. Cessat, tum revocatione ipsius facta a dispensante, tum renuntiatione facta a dispensato, tum demum « certa ac totali cessatione causæ motivæ » 85. Hoc tertio modo cessare potest dispensatio, quæ data fuerit sub hac tacita conditione « si causa perduret ». Hæc autem conditio subintellecta habetur, quando dispensatio talis est, ut non statim et veluti in indivisibili omne vinculum legis tollat; sed successive, prout successive obligat ipsa lex. Ita omne vinculum uno actu tollit dispensatio ab inhabilitate, ab impedimento matrimoniali; non omne uno actu tollit dispensatio a legibus abstinentiæ, jejunii, divini officii, etc. Quapropter ille clericus, qui causa paupertatis dispensatus fuerit a titulo ordinationis, dispensatus manet, etsi ante ordinationem dives fiat. E contra, qui propter infirmitatem dispensatus fuit a jejunio aut ab Officio divino, infirmitate cessante, jejunare ac Officium recitare tenetur; utique, si infirmitas cessaverit certe 86.

ART. VIII. — De privilegiis

208. — *Privilegium* est « facultas specialis præter vel contra legem alicui permanenter concessa a Superiore ». Differt a dispensatione; tum, eo quod hæc semper est contra legem, dum privilegium dari potest etiam præter legem; tum, eo quod dispensatio communiter datur transeunter, privilegium permanenter 87.

Privilegia acquiri possunt: *a*) per directam concessionem competentis auctoritatis; *b*) per communicationem; *c*) per legitimam consuetudinem aut præscriptionem 88.

Divisiones. — Privilegium ratione relationis ad legem, aliud est *præter legem;* quod nempe facultatem concedit in lege non comprehensam, nec ab ea exclusam; ita privilegium benedicendi coronas eisque adnectendi indulgentias: aliud est *contra legem;* quod nempe facultatem

84) Cf. S. Ligorium *Num. 162;* qui addit id licere quoque in casu dubii negativi: obstitisse videtur *Num. 97.* — Cf. Gury *Num. 177 Qu. 4.*

85) Codex *Can. 86.* — De modis prioribus Palm. apud Ball. *Num. 367-371.*

86) Suarez *Lib. VI. Cap. XX. 18;* S. Lig. *196;* Ball. *363-367;* Gen. *124;* Noldin *138.*

87) Tractant Suarez *Op. cit. Lib. VIII;* S. Lig. *I. Append. II.;* Palm. apud Ball. *387-392;* D'Ann. *227- 229;* Cocchi *113, seqq.*

88) Codex *Can. 63 § 1.* — De acquisitione per communicationem *Canones 64, 67.*

concedit agendi contra id, quod lege communi statuitur; ita privilegium satisfaciendi præcepto Ecclesiæ audiendo Missam in oratorio privato.

Ratione subjecti, est *personale* privilegium, quod personæ conceditur ratione personæ; puta intuitu scientiæ, dignitatis, petitionis, etc. Est *reale*, quod in personas redundat ratione rei, cui est adnexum privilegium; ex. gr., privilegium altaris; res autem potest esse etiam communitas, vel cœtus, ex. gr., ordo religiosus, cœtus clericalis. Demum potest dici privilegium *locale*, quod in personas redundat ratione loci; cujusmodi sunt privilegia concessa quibusdam diœcesibus vel regionibus.

Ratione materiæ, aliud est *favorabile*, aliud *odiosum*. Dicitur favorabile, quod alicui commodum affert, quin alterius jus coarctet, vel ei afferrat incommodum. Odiosum dicitur, quod, dum uni favet, juri alterius præjudicat, vel ei utcumque affert incommodum: insuper odioso æquiparatur quodcumque privilegium contra jus, eo quod æquivalet dispensationi. Hinc, juxta dicta superius, privilegium favorabile latam habet interpretationem; privilegium odiosum strictam. Verum privilegia, quæ data sunt in favorem cultus divini, vel status ecclesiastici aut religiosi, quamvis quibusdam sint odiosa, habentur ut favorabilia; ita privilegium canonis, privilegium fori, exemptio instituti religiosi ab Ordinario.

209. Privilegium, quod sit contra jus, dari potest tantummodo a Superiore, et subditis tantum: quod est præter jus, dari potest a Superiore, etiam non subditis, at in materia sibi subdita. Ita Episcopus sacerdoti suæ diœceseos concedere potest, ut contra legem diœcesanam adeat theatrum; vel fidelibus diœcesanis ut legant periodicum a se prohibitum: at sacerdotibus tum suæ tum alterius diœceseos concedere potest, ut absolvant a peccatis, quæ ipse sibi reservaverat.

210. — **Quæstiones.** — *Qu. 1.* An privilegiatus teneatur uti privilegio?

Resp. Negative, si agatur « de privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio » 89. Ita nemo tenetur uti privilegio oratorii privati, celebrandi in festis duplicibus Missam votivam aut de *Requiem*, etc. Verum teneri quis posset *per accidens*, ratione alterius præcepti, justitiæ aut caritatis: ita confessarius, habens privilegium absolvendi a reservatis, tenebitur pœnitentem absolvere, a quo peccatum reservatum excepit; sacerdos, accepto stipendio pro Missa privilegiata, tenetur, aut Missam celebrare ad altare privilegiatum, aut uti privilegio personali.

Qu. 2. An quis possit renuntiare privilegio?

Resp. 1.° *Affirmative*, si agatur de privilegio in sui tantum favorem concesso.

2.° Si vero concessum sit alicui communitati, dignitati vel loco, privatis personis ei renuntiare non licet: ejusmodi sunt privilegia canonis

89) Codex *Can.* 69.

et fori. Imo nec ipsa communitas renuntiare potest, si agatur: *a*) de privilegio dato per modum legis; aut *b*) si renuntiatio cedat in Ecclesiæ aliorumve præjudicium 90.

Qu. 3. An peregrini et vagi frui possint privilegiis propriis locorum, in quibus versantur?

Resp. Affirmative, etiamsi ea sint contra legem communem: id constat ex generali consuetudine 91.

N.B. — Hæc pro re nostra modo sufficiant: cetera consulantur penes Canonistas 92.

CAPUT IV.

DE LEGE CIVILI

De hac lege duo quærenda sunt: *a*) Utrum, et quatenus civili auctoritati competat potestas legifera; *b*) quid ex parte ipsarum legum requiratur ad obligationem inducendam 1.

ART. I. — DE IPSA POTESTATE LEGIFERA PRINCIPUM CIVILIUM

211. **Principia. 1.** Principes sæculares habent a Deo potestatem condendi leges, quæ conducant ad finem societatis civilis. Constat ex eo, quod ipsi habent a Deo potestatem regendi subditos; hæc autem exerceri non potest sine facultate ferendi leges 2.

II. Omnes, qui subditi sunt legitimo principi, debent legibus justis ejusdem obedire, obligatione *per se gravi;* tenentur vero, quatenus eidem subditi sunt, et in quibus eidem subditi sunt.

212. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Jus ad obedientiam competit principibus independenter a controversia, utrum ipsi auctoritatem habeant a Deo immediate, an mediante populo: semper enim habent a Deo.

2.ª Præscindendo a Deo potestatem legiferam principibus concedente, impossibile est hujusmodi potestatem principibus asserere: esset enim arbitraria tyrannis 3.

90) CODEX *Can. 72 § 2, 3, 4.*
91) Accedit CODEX *Can. 14 § 1 n. 3.* — FERR. *Num. 223 Qu. 11.*
92) De cessatione FERRERES *Num. 222;* TUMM. *130 Qu. 6, 7;* COCCHI *121, seqq.*

1) S. THOMAS *1. 2. Qu. 95. sequ.*, et *De regim. Princ.;* SUAREZ *Lib. III.*
2) Confirmatur PROV. *VIII. 5;* I. PETR. II. 13. — Cf. LEONIS VIII Encycl. *Diuturnum* die 29 junii a. 1881, et *Immortale Dei* 1 nov. 1885.
3) De *pacto sociali* cf. TAPARELLI *Saggio teor. di diritto natur. Dissert. II. Cap. X.*

3.ª Etsi princeps, saltem qua talis, atheismum profiteatur, tamen bonum societatis postulat, ut eidem a Deo conferatur potestas condendi leges obligantes in conscientia; ideoque, vi hujus divinæ auctorizationis, subditi tenentur ejus legibus obedire sub reatu peccati coram Deo. Idem dicendum, si princeps expresse declaret se nullatenus velle conscientias subditorum attingere.

4.ª Si princeps regnum injuste usurpaverit, postquam ipse jam sit in pacifica regni possessione, jus est, non quidem ipsius, sed societatis, ut eidem tamquam legitimo principi obedientia præstetur.

213. *Ex Princ. II.* — 1.ª Lex lata a principe, in dubio num justa sit an non, præsumenda est justa. Hoc certe valet in dubio negativo: at, si assumpto quoque argumento præsumptionis, adhuc vere probabile maneat eam legem esse injustam, non omnes concedunt subditos ad eam servandam teneri.

3.ª Peregrini tenentur ad leges ditionis, in qua versantur, quoad contractus, quoad necessaria ad bonum commune, et quoad ea, quæ statuta speciatim fuerint pro peregrinis.

214. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum clerici teneantur ad leges civiles servandas?

Resp. 1.° Certe non tenentur legibus, quæ in se iniquæ sunt; ut quæ entibus ecclesiasticis et moralibus denegant jus possidendi, administrandi, etc. Nec tenentur legibus, quæ adversantur immunitati ecclesiasticæ, vel sacris Canonibus, vel ipsi statui clericali, ut esset lex militiæ subeundæ.

2.° Tenentur leges servare, quæ immediate bonum commune respiciunt; ex. gr. quæ prohibeant ne merces noxiæ introducantur, quæ præscribunt formas contractuum, testamentorum, etc. Imo generatim servare tenentur ceteras leges latas pro communitate, cujus et ipsi membra sunt: id exigit et imponit ipsis Ecclesia. Ceterum leges civiles servare debent *directive;* in clericos non eas servantes aget *Ecclesia coactive* 4.

ART. II. — De requisitis ex parte legum civilium ad obligandum

215. Ut quæ statuuntur ab auctoritate civili vim habeant obligandi in conscientia, gaudere debent dotibus cuicumque legi necessariis; quarum potissimæ duæ sunt: *a*) Data sint ab eo, qui curam habet communitatis; qui, proinde, super ipsam habet jurisdictionem politicam, et quidem legitimam, aut *per se*, aut saltem *per accidens*. — *b*) Eadem sint ordinationes rationis, in bonum verum subditorum ordinatæ. Quare, nec adversari debent juri superiori, seu divino, seu ecclesiastico; nec de-

4) Codex *Can. 120 § 1.* — Cf. Suarez *Lib. III. Cap. XXXIV;* Cavagnis *Institutiones Juris publ. eccles.* II. *Num.* 107; Noldin *150;* Verm. *335 III.;* Ferr. *160.*

bent bono subditorum temporali ita prospicere, ut simul bono eorumdem spirituali ac æterno præjudicent 5.

216. Quæ in regno Italico *leges* dicuntur, non amittunt vim legum ex defectu conditionis primæ: ipsa enim potestas politica modo ubique habenda est ut legitima; alicubi *per se*, alibi *per accidens*.

Verum plures sunt, quæ jure *leges* vocari non possunt defectu conditionis secundæ: illæ, in primis, quæ eo tendunt, ut res sacras, Ecclesiam, ecclesiasticas personas et ipsum Christi Vicarium juri communi subjiciant, derogantes illis juribus, quæ Christus contulit Ecclesiæ, vel quæ Ecclesia, auctoritate a Christo accepta, personis et locis et rebus sacris constituit 6.

Ejusmodi sunt leges, quæ jura Ecclesiæ invadunt circa Matrimonium, circa sacros ministros deligendos, circa determinationem dierum festorum; quæ ipsi Ecclesiæ et entibus ab Ecclesia institutis denegant jus possidendi, imo et essendi; quæ contra jus Ecclesiæ et bonum spirituale fidelium, sive viventium, sive defunctorum, civibus ultra fas limitant facultatem disponendi de bonis suis; quæ postremas defunctorum voluntates in favorem causarum piarum commutare attentant; quæ onera Missarum audent supprimere; quæ Pontificem aut Episcopos impediunt, quominus libere diœcesibus ac paroeciis provideant; etc. Has leges transgredi, non est transgredi leges; ideoque nullum *per se* est peccatum 7.

Neque legum nomine honestandæ sunt, quæ sartam tectam esse volunt libertatem profitendi externe et publice cultus falsos, imprimendi et evulgandi scripta quæque irreligiosa et immoralia, docendi in publicis scholis rationalismum, materialismum, atheismum: iniquum enim est æqualia jura asserere Deo et satanæ, veritati et errori, bono et malo. Hæc omnia fructus sunt liberalismi: qui in theoreticis hæresis est, in practicis peccatum 8.

5) « Potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ ». S. THOMAS *2. 2. Qu. 60 art. 6 ad 3.* Cf. et *1. 2. Qu. 95 art. 2;* insuper *Leonis* XIII Encycl. *Immortale Dei,* et Epist. ad Archiepiscopum Parisiensem die 22 oct. anno 1880.

6) Hæ sunt *Propp. 30, 31, 32* damnatæ in Syllabo PII IX: « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit. — Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et réclamante Apostolica Sede. — Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta ». — Cohærent PII X Enc. *Pascendi;* CODEX *Can. 118, 121;* etc.

7) Qua ratione sacerdos *in exercitio suorum munerum* se gerere debeat, ne in sanctiones Codicis impingat, tractat GENNARI *Cons. Can. VIII.*

8) Cf. PII X ex Encycl. *Quanta cura. Prop. 3*: « Libertas conscientiæ et cultus est proprium cujusque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate; et jus civibus inest ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus manifestare ac declarare valeant ».

Diximus transgressionem harum legum non esse peccatum *per se*, h. e., vi obedientiæ auctoritati civili: quandoque enim ed eas servandas teneri quis potest *per accidens*, seu vi alterius præcepti. Ita, qui volunt Matrimonium contrahere, generatim in conscientia tenentur obire quoque actum civilem.

217. His omissis, certe plures habentur leges obligantes vi sui, et moraliter, seu in conscientia sub reatu peccati coram Deo.

Ejusmodi sunt: *a*) Leges, quæ confirmant legem naturalem aut divinam; *b*) quæ determinant proprietatem, aut jura ad proprietatem, ad usumfructum, ad usum; *c*) quæ statuunt subjectorum capacitatem ad contrahendum vel ad testandum, aut eorumdem actuum formam.

Quædam ex his legibus obligant tantum post sententiam judicis; quædam et antea; nec semper facile est indolem obligationis definire 9. Post sententiam obligant leges simpliciter pœnales; ex. gr., ea quæ vult totum thesaurum tradendum esse domino fundi, si quis data opera et inscio domino ipsum repererit; sed, quæ statuit dandam esse domino dimidiam ejus partem, obligat ante quamcumque sententiam.

Demum leges quædam mere pœnales censentur nullatenus in conscientia obligare; ita usus hominum timoratæ conscientiæ suadet intelligendas leges imponentes militiam, tributa quædam, etc.: nec obligatio datur subeundi pœnas vel solvendi mulctas impositas.

218. *Jus Italicum* constat pluribus partibus, quarum potissima est *Codex civilis* sancitus anno 1865: at habentur et *Leges*, quæ passim eduntur. Relate ad promulgationem et tempus obligationis earumdem (saltem pro foro externo), statutum est, ut obligatoriæ fiant die decimaquinta post earum publicationem in diario *Gazzetta officiale* (excluso die a quo, et computato die ad quem); excepto casu, quo aliter in ipsa Lege dispositum inveniatur 10.

9) Plura D'ANNIBALE *Num. 206, 48-53;* ALBERTI *Num. 17 Nota 1.*
10) Ita Cod. civ. *Disposizioni preliminari Art. 1.*

TRACTATUS QUARTUS
DE PECCATIS

219. Deus, creaturas rationales creando, eisdem necessario præscripsit, ut se ipsi Deo ceu supremo Domino subjicerent ejusque voluntatem exsequerentur, suas operationes ad normam divinæ legis exigentes; ut hac ratione in suum finem assequendum tenderent, qui est ipse Deus. Verum, jam ab initio homo hanc sui subjectionem Deo detrectavit; nec, ea culpa ab Adam per pœnitentiam retractata et per Christum reparata, cessarunt homines a divina voluntate recedere: hæc a divina voluntate recessio *peccatum* est, quod inde est Dei offensa et in Deum ipsum injuria. — Hæc est materia præsentis tractationis; quæ ceteris profecto antecellit, cum circa peccata delenda et emendanda versari in primis debeat munus confessariorum [1].

Dicemus: 1° De natura peccati; 2° de peccatorum distinctionibus; 3° de eorum causis; 4° de effectibus; 5° quædam speciatim de peccatis internis; ac demum 6° de vitiis capitalibus.

CAPUT I.

DE NATURA PECCATI

220. *Peccatum*, consideratum objective, definitur « transgressio legis divinæ » [1]; seu violatio illius normæ moralitatis, quam Deus hominibus in suis actionibus servandam præscripsit, sive per se, sive per eos, quibus suam potestatem legiferam communicavit. Consideratum vero subjective, a S. Thoma definitur « actus humanus malus » [2]. Hæc definitio in priorem recidit; cum homo per omnem et solum actum humanum malum legem divinam transgrediatur transgressione, quæ sit sensu proprio peccatum. Hinc, ex eodem Doctore Angelico, peccatum est « voluntarius recessus a lege Dei »; vel ex S. Augustino, « dictum, factum vel concupitum contra legem Dei æternam » [3].

1) S. Thomas *I. 2. Qu. 71-89*, et *De malo Qu. 2-15;* De Lugo *De pœnit. Disp. XVI.;* S. Lig. *Lib. V.;* Ball. *I. Tract. IV.* — Theologice Billot *Disqu. de natura... peccati personalis;* Pesch *Prælect. dogm.* IX. *429-556.* Plura Tanqu. *Num. 429-438, 453-459;* Lehmk. *219-256;* Noldin *286, sequ.*

1) Busembaum, apud S. Ligorium *Num. 1.*

2) S. Thomas *Qu. 71 art. 6.* — Cf. et nostrum *De natura peccati*, in quo doctrinas SS. Thomæ et Alphonsi tuemur contra placita Rosminianorum (App. ad Comment. *De judicio sacram.* Veronæ 1904).

3) S. Thomas *Qu. 72 art. 1;* S. Augustinus *Contra Faustum. XXII. 27.*

ART. I. — De elementis constitutivis peccati

221. **Principium.** Elementa constitutiva peccati proprie dicti tria sunt: *a*) Sit *actus;* non motus, tendentia, habitus: *b*) sit actus *malus,* et ideo transgressivus legis Dei naturalis, qua Deus necessario omnes actus malos vetat: *c*) sit actus *humanus* malus; h. e., procedens a voluntate agentis, quæ seipsam ad illum actum malum libere determinaverit, postquam intellectus voluntati actum illum proposuerat ut malum, ac proinde transgressivum legis divinæ.

222. **Consectaria.** — 1.° Peccatum sine ullo actu esse non potest. Etiamsi transgressio legis in omissione consistat, hæc omissio, ut peccatum sit, debet procedere a voluntate, quæ eam omissionem, aut actu velit in se, aut antea voluerit in causa [4].

2.° Peccatum, quod *habituale* dici solet, non est peccatum proprie dictum: est status ille, in quo quis versatur postquam peccatum actuale commisit, quod hucusque per *opus operatum* aut per *opus operantis* non delevit. Simili ratione dicitur in hominibus nondum baptizatis *habituale* esse peccatum originale.

3° Sine lege non potest esse transgressio legis. Hæc autem lex est ipsa lex æterna, seu Dei voluntas, quam necessariam dicunt; qua Deus, tamquam supremus legislator, necessario ordinem naturalem servari jubet, perturbari vetat. Si quando peccatum dicitur « actio a recta ratione devians », id eo sensu intelligitur, quod nobis per rectam rationem manifestatur lex æterna Dei, quam homo peccans transgreditur; unde quæcumque sunt contra rectam rationem, eo ipso sunt contra legem æternam Dei, et propterea sunt proprie peccata [5].

4.° Peccatum quidem dicitur, et est, transgressio cujuscumque legis, etiam ecclesiasticæ aut civilis, imo et præcepti dati a legitimo superiore: verum transgressiones harum legum et præceptorum eatenus sunt peccata, quatenus omnis potestas legifera et præceptiva a Deo promanat, et ideo Deus ipse jubet obediendum esse legibus ecclesiasticis et civilibus ac legitimorum superiorum præceptis. Hinc semper et universaliter peccatum est transgressio illius legis, quæ sit lex Dei, aut *formaliter,* aut *reductive.*

5.° Ubi non est lex proprie dicta, seu obligans in conscientia, non habetur peccatum [6]. Si quis religiosus aut collegialiter vivens transgrediatur regulas sui instituti non obligantes in conscientia, non peccat; nec peccat, qui contra præcedens propositum, aut contra confessarii vel ma-

4) S. Thomas *Qu. 71 art. 5;* S. Lig. *Num. 9;* Noldin *290;* etc.
5) Cf. S. Thomam *1. 2. Qu. 88 art. 1* et *Qu. 93 art. 1.*
6) Rom. *III. 20, V. 13, VII. 7* etc.

tris consilium die sabbati a fructibus non abstineat; nec peccat, qui quandoque preces matutinas aut vespertinas omittat. Verum, si quis hæc faciat vel omittat ex immoderato affectu ad voluptates sensuum, aut ex contemptu auctoritatis superiorum, aut cum scandalo aliorum, vere peccat; vere enim transgreditur leges obligantes in conscientia. Utrumque dicendum etiam de committente imperfectiones morales, sive negativas, sive etiam positivas, posthabendo consilia et inspirationes divinas 7.

6.° Sicut repugnat peccatum (proprie dictum) involuntarium, ita et repugnat peccatum necessarium, seu non liberum 8. Libertas actus transgressivi legis est de essentia peccati; hæc autem libertas tunc tantum ex integro deficere potest, cum deficit ex integro voluntarietas, seu cum deficit cognitio ex parte intellectus.

7.° Ut verum peccatum habeatur, necesse est quod actus transgressivus legis ab intellectu proponatur, non modo sub respectu materiali, sed et sub respectu morali, quo actus ille malus est et legis Dei transgressivus. Hoc autem satis est, ut voluntas, illum actum volens, velit legem Dei violare, ac ipsum Deum offendere eique injuriam irrogare, quin necesse sit velit expresse se avertere a Deo 9.

8.° In homine, qui valeat actu humano agere id, quod novit rectæ rationi adversari, dari nequit ignorantia invincibilis de exsistentia Dei, et quidem Dei legislatoris et vindicis malefactorum: qui novit se agere mala, novit se agere ea, quæ illicita sunt et prohibita a quadam voluntate superiore 10. Hinc merito damnata ab Alexandro VIII doctrina de *peccato philosophico*, h. e., præscindente a Deo.

Verum non inde damnata fuit opinio eorum theologorum, qui, loquentes hypothetice, docebant non esse verum peccatum et offensam Dei eam legis transgressionem, quam quis committeret laborans ignorantia invincibili de exsistentia Dei ac de Deo invincibiliter ne cogitans quidem implicite 11.

223. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum ad essentiam cujuscumque peccati requiratur quod transgressio legis sit voluntaria et libera?

Resp. Si nomen *peccatum* accipiatur, ut quandoque accipitur, pro violatione cujuscumque legis, naturæ, vel artis, vel moris, *negative*: si accipiatur, prout communiter accipitur, pro violatione legis moralis, seu pro peccato actuali in ordine moris, *affirmative*. De peccato, sensu

7) Cf. LEHMKUHL *Num. 40;* GEN. *149;* ALB. *183;* NOLDIN *286;* ZANIN. *276, 4.*

8) Hujusmodi peccata necessaria, cum Rosmini, admittenda esse contendebat GASTALDI *Adnot.* ad ALASIA *Comp. Theol. mor.* I. pag. 4, 11.

9) Iuxta dicenda inferius *peccatum* sensu maxime proprio dicitur de mortali. Cfr. S. THOMAM *1. 2. Qu. 73 art. 7;* PALMIERI in tractatu dogm. *De pœnit. Thesi V.;* TANQU. *460;* LEHMK. *222-228.*

10) Vide ROM. *I. 48, sequ., II.* 1-6. — Cf. LEHMK. *186;* GEN. *154;* BILLOT *Op. cit. P. I. 4.* Propositio damnata apud DENZIGER *Num. 1157.*

11) Cf. S. THOMAM *2. 2. Qu. 20 art. 3;* BALL. *Num. 42, sequ.:* NOLDIN *288;* TANQU. *434.*

priori accepto, Doctor Angelicus ait, quod peccatum dici potest quælibet actus inordinatio, sive naturam spectet, sive artem, sive mores [12]; quo sensu, in ordine naturæ peccatum est claudicatio, in ordine artis error grammaticalis, in ordine moris blasphemia, sacrilegium, homicidium. Verum de peccato in ordine morum, præsupposita ex parte intellectus cognitione, docet quod « peccatum consistit essentialiter in actu liberi arbitrii » [13]: in qua doctrina consentientes habet Patres Ecclesiæ, Doctores ac omnes theologos catholicos [14].

Hinc concedimus quidem peccata quædam, præsupposita ex parte intellectus cognitione, adhuc esse imperfecte voluntaria et minus libera; hoc autem, eo quod voluntas in illa inclinatur, sive ex naturali virium infirmitate, sive ex habitibus contractis, sive ex educatione, sive ex lenociniis externis: at, si hæ causæ cognitionem actualem malitiæ transgressionis non tollunt totaliter ,non tollunt ab ipsa transgressione voluntarietatem et libertatem; ex qua voluntarietate et libertate transgressio illa est verum peccatum [15].

Qu. 2. Utrum, et quænam, sit differentia inter *peccatum* et *culpam*?

Resp. Loquendo de peccato in ordine moris et præsupposita ex parte intellectus cognitione, nulla inter utramque vocem est differentia vel distinctio realis; sed omne peccatum culpa est, et vicissim omnis culpa peccatum [16]. Tantum inter duas voces habetur distinctio rationis: dum *peccatum* dicit actum humanum malum, *culpa* directe designat hujus actus mali imputationem faciendam peccanti, ex qua hic fit reus, moraliter malus et dignus vituperio ac pœna. Hinc *peccatum* quandoque dicitur de legis transgressione prorsus involuntaria, puta ex defectu involuntario cognitionis actualis; et hoc sensu peccatum aliud est *formale* seu voluntarium et imputabile, aliud est *materiale* seu involutarium et non imputabile: dum *culpa* dicitur tantum de legis transgressione voluntaria, seu de solo peccato formali.

ART. II. — De requisitis ex parte subjecti ad peccandum

224. Ex dictis, homo per solum peccatum actuale proprie peccat, ac ita a suo fine, tum proximo, tum ultimo recedit. Modo itaque quærendum est quid ex parte actus ipsius hominis requiratur, ut vere peccando a suo fine recedat.

12) S. Thomas *De malo Qu. 2 art. 2*, et in II. Dist. 35 art. 1.

13) S. Thomas *1. 2. Qu. 1 art. 1*, et *Qu. 77 art. 6*, etc. — Præiverat S. Augustinus *De libero arb. III. Cap. XVIII. Num. 30*: « Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? ».

14) Præter vetustiores, idem sentiunt S. Lig. *Num. 1, 4*; Gury *143*; Scavini *706, 902*; D'Ann. *272*; Gen. *148*; Marc *316*; Ojetti ad v. *Peccatum*.

15) Cf. dicta *Num. 30-36*.

16) Conferri potest dissertatio nostra *De natura peccati*, speciatim *Num. 7-20*. — Cf: et Ball. *Num. 1-14*; Audisio *Introd. agli studi ecclesiastici. Lib. III. Cap. 8*.

Potissima peccatorum actualium distinctio huc pertinens ea est, qua quædam dicuntur peccata *in se*, quædam *in causa*. Habetur peccatum *in se*, quando peccatum subjective contrahitur ipso actu seu instanti, quo objective exsistit legis transgressio. Habetur peccatum *in causa*, quando transgressio hic et nunc exsistens est effectus causæ antecedenter (si non tempore, certe naturâ) et voluntarie positæ a subjecto; ac proinde huic voluntaria et imputanda est in antecedenti positione causæ: causa hæc potest esse ignorantia, concupiscentia, habitus contractus, etc.

225. **Principia. 1.** Ut actualis transgressio legis divinæ sit peccatum *in se*, necesse est quod hic et nunc habeatur, nedum cognitio, sed et aliqua advertentia ad ipsam transgressionem: ut sit peccatum *in causa*, necesse et (ex parte intellectus) satis est quod, dum causa ponebatur, haberetur actualis prævisio, saltem confusa, futuræ transgressionis. Ratio est, quia legis transgressio non potest esse volita, quin fuerit prægognita [17].

11. Ut actualis transgressio legis divinæ sit peccatum, necesse est quod ipsa, aut *in se*, aut *in causa*, procedat ab actu volitivo et libero voluntatis. Ratio est, quia peccatum est essentialiter actus humanus.

226. p **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ad peccandum non sufficit advertentia vitualis vel interpretativa, in eo consistens quod homo ad actualem transgressionem potuerit et debuerit advertere, quamvis de facto nihil adverterit. Sola enim possibilitas absoluta advertendi non est possibilitas practica; eo quod prima idea non est in nostra facultate.

2.ª Ad peccandum in se, seu actu, non requiritur advertentia reflexa, qua quis advertat se advertere: satis est eam haberi directam, qua aliqua ratione agens advertat actionem esse malam; hac ordinarie non destituuntur habituati ad blasphemias, ad imprecationes, etc.

3.ª Ad peccandum *in causa* non est necesse haberi advertentiam claram et distinctam ad omnes et singulos effectus malos ex ea causa obventuros: satis est haberi advertentiam confusam, qua quis, volens causam, simul implicite vult effectus malos, quos aliqua ratione prævidet aut suspicatur ex ea sequi posse; et hoc, etsi forte de facto non sequantur. Id applicatur, in primis sacerdoti numquam vel rarissime studiis theologicis incumbenti; dein et aliis casibus similibus, medici, advocati, notarii, etc.

17) De hac re diserte contra Concina et alios agit S. Ligorius *Num. 3, 4.* — Cf. etiam Ball. *15-33;* Gury *144;* Frassin. *Nota 16;* etc. — Id minus placet Rosminianis; qui volunt « actualem advertentiam non semper ad peccatum requiri ». Pagani *Facti species... P. I. Num. 126* (Romæ 1916).

4.ª Ad peccandum, sive *in se*, sive *in causa*, non est necesse advertentiam habitam ab initio perseverare; etsi ea per distractionem suspendatur, non inde cessat esse cognita et volita transgressio legis. Ita peccat sacerdos, qui, sciens se esse in peccato, Missam inchoavit, licet in actu consecrandi distractus sit 18.

5.ª Actus mali habent omnem et solam eam malitiam, quam voluntati proposuit intellectus: hanc enim omnem et solam vult voluntas. — Hæc theoretica. Nunc ad praxim.

6.ª Qui die festo a Missa parochiali, utpote longiori, abstinuerit, et idcirco ignoret ea hebdomada jejunium Quatuor temporum haberi, omissione jejunii non peccat peccato *in se contra* legem jejunii: peccat autem peccato *in causa*, si, advertens ad probabilitatem jejunii ea hebdomada forte occurrentis, tamen a Missa parochiali (et a quavis inquisitione) abstinuerat; secus, nullatenus peccat.

7.ª Si causa transgressionis actualis fuit ignorantia præcedens vincibilis, tunc ipsa ignorantia fuit verum peccatum: at nec ipsa peccatum fuisset, si quis tunc sese ignorare ne in confuso quidem adverterat; non enim fuisset vincibilis. Idem dic de consideratione in agendo; quæ culpabilis est, si agens adverterat sibi esse amplius considerandum, et tamen voluit agere præcipitanter, secus est inculpabilis 19.

8.ª Si qua legis transgressio fuit prævisa et ideo voluntaria in sua causa, ex gr., in ignorantia, aut in negligentia exuendi pravum habitum, ac dein ea fiat volitione nova a præcedenti formaliter distincta, duplex habetur peccatum: unum *in se*, alterum *in causa*.

9.ª Si ignorantia fuit quidem vincibilis et culpabilis, at hic et nunc invincibilis fiat, puta, deficiente quovis medio acquirendæ cognitionis, vel nulla subeunte actualis ignorantiæ suspicione, transgressio legis, quæ hic et nunc fiat, non est peccatum in se; nam omnis ratio peccati repetenda est a causa.

10.ª Qui ignorantiam olim culpabilem per pœnitentiam retractavit, et nunc per diligentem inquisitionem depellere studet, nihil reitatis incurrit per eas transgressiones, quæ effectus sint primitivæ ignorantiæ. Nam peccatum in causa jam est deletum; actuales vero transgressiones nec sunt voluntariæ in se, nec in sui causa immediata, quæ est ignorantia invincibilis.

227. *Ex Princ. II.* — 1.ª « Qui motus carnis, vel stimulos passionum suarum, iræ vel concupiscentiæ experitur, quin consentiat, non peccat; siquidem non nocet sensus, nisi adsit consensus » 20.

2.ª Actus voluntatis indeliberati, qui dicuntur *motus primo-primi*, voluntarii quidem dici aliquatenus possunt, at non liberi, nec humani: imo et vix dici possunt actus. Si isti mali sint, dici poterunt *peccata*, eo

18) Cf. LEHMKUHL *Num. 232;* GEN. *151;* D'ANN. *272;* etc.
19) Cf. S. LIGORIUM *Num. 4. Quarto.*
20) NOLDIN *Num. 287, 2.* — Cf. BUSEMBAUM apud S. LIG. *Num. 2.*

quod feruntur in bonum sensibile repugnans ordini rationis 21; at peccata proprie non sunt, nec faciunt hominem esse malum, dignum vituperio ac pœna, nec eum prohibent a sacra synaxi.

3.ª Item sensu minus proprio concupiscentia dicitur *peccatum* a S. Paulo, eo quod ipsa a peccato est, et motus prædictos ciet, et sic ad peccandum inclinat 22.

4.ª Actus in se mali, qui fiant ex impetu passionum, vel ex metu, nisi per hæc impediatur usus rationis, sunt vera peccata; quamvis minus gravia sunt quam quæ fiant animo pacato et tranquillo.

5.ª Qui dicuntur *motus secundo-primi*, eo quod aliqualem usum rationis consequuntur, at simul ex advertentia valde imperfecta eliciuntur, in quacumque materia etiam gravi sunt tantum venialia.

6.ª Actus mali, qui fiant ex habitu contracto, generatim sunt vera peccata, et quidem *in se*: habitus enim difficile tollit omnem advertentiam et libertatem; potius post peccatum tollet omne advertentiæ vestigium 23. Tamen actu possunt esse minus gravia, quam quæ fiant absque habitu. Quod si hi actus præveniant omnem advertentiam, ut contingere potest in habituatis ad blasphemias, tunc cujuscumque culpæ expertes erunt *in se;* poterunt esse culpabiles *in causa*, h. e., in negligentia exstirpandi habitum pravum.

228. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum peccet ille, qui motibus carnalibus inordinatis ortis ex natura, neque consentit, neque resistit?

Resp. Re in seipsa spectata, *negative*. Ratio est, quia, ubi nulla est volitio, ibi nullum potest esse peccatum. Nam « peccatum mortale non potest esse in sensualitate, ed solum in ratione » 24.

Tamen fieri potet, quod voluntas teneatur resistere propter periculum consentiendi; hoc autem periculum et consequentem obligationem resistendi intellectus voluntati proposuerit. Tunc obligatio absoluta vitandi peccatum infert obligationem arcendi periculum ejusdem. Quoniam vero aliquale periculum remotum consentiendi in re adeo lubrica numquam abest, ideo communiter affirmant theologi non carere peccato saltem veniali, qui post rationis advertentiam hisce motibus non resistat, saltem per displicentiam virtualem, animum nempe ad alia distrahendo 25. Quod si ex indole motuum et ex propria experientia habeatur periculum proximum consentiendi, præsertim eo quod delectatio venerea superveniat, quæ nimis facile secum trahet consensum voluntatis, ex

21) Hoc sensu hi actus indeliberati dicuntur a Patribus *peccata* in controversia contra Pelagianos. — Cf. PALMIERI in tractatu dogm. *De gratia* pag. 214.

22) Cf. CONCILIUM TRID. *Sess. V. De peccato orig. Num. 5.* — Simili sensu intelligendus S. THOMAS *P. 3. Qu.41 art. 1.*

23) S. LIGORIUS *Lib. III. Num. 127, V. 4;* BALL. *33;* D'ANN. *149, 38.*

24) S. THOMAS *I. 2. Qu. 74 art. 4,* et *In II. Dist. 24, Qu. III, art. 2.* — Cf. S. LIGORIUM. *Lib. V. Num. 6.*

25) S. LIGORIUS *Num. 8;* LEHMK. *22* GURY *16;* ZANIN. *I. 27.*

sententia communi resistere debet positive; orando, actum amoris Dei eliciendo; mentem ad Passionem Christi vel ad præsentiam Dei aut ad Novissima divertendo, turpitudinem peccati ejusque damna cogitando, etc.: hæc autem obligatio gravis est 26.

Addunt doctores obligationem resistentiæ positivæ non esse urgendam, saltem *sub gravi*, si adsit justa causa non resistendi; ex. gr., si quis experientia noverit hos motus per positivam resistentiam potius augeri, quam sedari; si motus causam habeant necessariam aut valde utilem; etc. Tunc satis erit se habere *negative*, cum firmo proposito non consentiendi 27. Item docent non esse facile imponendam aut suadendam resistentiam materialem; quippe quæ non raro molestias et periculum consentiendi augere potest 28.

Qu. 2. Utrum graviter peccet, qui sine causa sufficienti ponit actionem, ex qua turpes motus ipsamque pollutionem passurus sit?

Resp. Non peccat graviter, si actio in seipsa indifferens non influat graviter in illos effectus producendos 29, et absit periculum consentiendi in ipsos. Secus vero, tum si hoc periculum ex experientia haberi cognoscatur; tum, si, hoc periculo excluso, actio illa sit ejusmodi, quæ in illos graviter influat natura sua, ut sunt actus illi impudici, qui a theologis dici solent *graves de se* 30. Tunc autem peccatum grave est, non modo hos effectus intendere, quo in casu essent voluntarii *directe;* sed et actionem eorum causativam ponere sine motivo sufficienti: in ea enim actione voluntas illos effectus inordinatos vult *indirecte*.

Ceterum nemo dubitat in positione voluntaria causæ etiam leviter influentis; ut essent lectiones, colloquia, spectacula leviter inhonesta, peccari saltem venialiter: hoc autem propter motus inordinatos inde probabiliter secuturos, ac proinde etiamsi nullum timeatur periculum consentiendi 31.

Qu. 3. Utrum graviter peccet, qui hæret anceps inter consentiendum et non consentiendum rei graviter illicitæ?

Resp. Solutio difficilis est; cum res plerumque et maxime pendeat ab indole personali. Itaque confessarius non vexet inutilibus quæstionibus pœnitentem; potius curet eum ad sollertiorem resistentiam provocare pro futuro.

26) S. Ligorius *Num. 7, seqq.;* Marc *322;* D'Ann *277;* Noldin *318.*

27) S. Ligorius *Num. 9,* et *Homo apost. III. 42 44.*

28) Veterum consilia apud S. Ligorium *Num. 8*: recentes addunt alia. — Cf. Alberti I. *Num. 197 Nota 1;* Descuret *Medicina delle passioni P. II. Cap. 6* etc.

29) « Sententia communior et probabilior docet pollutionem non esse mortale, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriæ ». S. Ligorius *Lib. IV. Num. 484.*

30) Cf. Ballerini *Num. 166 seqq.;* ibique Palm. *Nota* ad *Num. 169* et II. *Tract. VI. Sect. IV. 15, seqq.;* item ad Gury *155, 6;* Tanqu. *De virtute castit. 26, seqq.*

31) Cf. Gury *Casus Num. 141-143;* Lehmk. *Casus Num. 33-35.*

Qu. 4. An requiratur actus positivus voluntatis ad peccatum omissionis ?

Resp. Affirmative. Nam sine volitione non habetur peccatum, et volitio est actus positivus [32]. Ita non peccat, qui absque ullo actu positivo voluntatis, sive in se, sive in causa, Missam die festo omittat : necesse est quod directe vel indirecte voluerit omittere Misam; hinc etsi omittat ex incuria.

CAPUT II.

DE DISTINCTIONIBUS PECCATORUM

229. Triplex a theologis assignatur peccatorum distinctio : *a) Theologica; b) specifica; c) numerica.* — Tractatio difficilis, at necessaria; cum, ex doctrina Concilii Tridentini et apud doctores certissima, peccatores teneantur juxta has distinctiones sua peccata confiteri.

E ceteris distinctionibus, minus ad rem nostrarum spectántibus, satis sit breviter recensere præcipuas : spectamus tantum peccatum proprie dictum, seu actuale.

Ratione præcepti, aliud est peccatum *commissionis*, aliud *omissionis* : priori violatur præceptum negativum, posteriori affirmativum.

Ratione causæ subjectivæ, peccatum dicitur esse *ignorantiæ*, vel *infirmitatis*, vel *malitiæ;* pro diverso elemento in eo prævalente.

Ratione modi, distinguitur peccatum *cordis, oris, operis* : res clara.

Ratione objecti, distinguitur peccatum *contra Deum, contra seipsum, contra proximum;* prout specialiter opponitur reverentiæ debitæ Deo, aut violat obligationes erga seipsum, vel est contra justitiam aut caritatem aliis debitam.

Demum ratione specialis malitiæ, habentur *peccata in Spiritum sanctum* et peccata *clamantia in cœlum*, de quibus pauca inferius dicemus.

ART. I. — De distinctione peccatorum theologica

230. Eo quod peccatum opponitur voluntati Dei ideoque Dei offensam continet ipsique Deo irrogat injuriam, prima peccatorum distinctio petenda est ex ipsius consideratione in ordine ad Deum : inde hæc distinctio *theologica* dicitur.

Sub hoc respectu, peccatum aliud est *mortale*, aliud *veniale*. De qua distinctione S. Thomas advertit, quod « non est divisio generis in species,... sed analogi in ea, de quibus prædicatur secundum prius et posterius » [1]. Scilicet, peccatum per prius, h. e., proprie dicitur illud, quod est mortale, eo quod hoc proprie est contra legem divinam ac divinam solvit amicitiam; dum « veniale non est contra legem, sed præter

32) S. Ligorius *Num. 9*, ex S. Thoma.

1) S. Thomas *1. 2. Qu. 88 art. 1 ad 1.*

legem; quia, si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit; quia non corrumpit dilectionem, quæ est plenitudo legis » 2.

Itaque: 1.° Si distinctio petatur ex etymo et ex effectibus, peccatum *mortale* est ea actio (vel omisio) legi contraria, quæ animam privat vitâ suâ seu (in præsenti ordine) gratia sanctificante, mortem spiritualem ei infert, et aversione *per se* irreparabili hominem a Deo fine suo avertit, eumque dignum esse facit pœnâ æternâ: peccatum *veniale* est ea actio (vel omissio) non plene legi conformis, quæ hominem a suo fine retardat; at, quia animæ vitam non tollit, ideo nec avertit a fine, et proinde, si non conjungatur mortali, certe veniam consequetur, aut in vita præsenti aut in futura 3.

2.° Si distinctio petatur ex ipsa peccati entitate, peccatum *mortale* est gravis transgressio legis divinæ obligantis *sub gravi;* peccatum *veniale* est levis transgressio legis divinæ obligantis *sub gravi,* vel transgressio quælibet legis divinæ obligantis *sub levi.*

231. Jamvero dari peccata quædam vere mortalia, patet tum ex ipsa rei natura et ex experientia, tum ex sacra Scriptura declarante plura esse peccata, quæ suos auctores excludunt a vita æterna 4, tum ex doctrina Ecclesiæ pluries in Concilio Tridentino proposita 5. Ex iisdem fontibus patet quoque dari peccata quædam mere venialia, quæ nec Deum graviter offendunt, nec solvunt amicitiam Dei, nec auctores suos excludunt a vita æterna 6.

Nobis ad praxim quærendum quænam sint elementa ad utrumque peccatum necessaria et sufficientia. Patet etiam, quod, spectatâ propriâ singulorum peccatorum naturâ, quædam sunt aliis magis gravia vel magis probrosa; licet et illa et ista sint aut mortalia, aut venialia. Sed hæc altera distinctio ad praxim parum pertinet.

232. **Principia. I.** Ad peccatum mortale, ex parte transgressionis requiritur, quod ejus materia gravis sit, aut in seipsa, aut ex circumstantiis, aut ex fine a legislatore intento. Ratio est, quia materia undequaque levis non potest objectum esse legis obligantis *sub gravi;* nec proinde obnoxia esse potest transgressioni gravi.

II. Ad peccatum mortale ex parte actus transgressivi, requiritur, quod hic fiat ex perfecta cognitione actuali gravitatis trans-

2) S. Thomas *De malo Qu. 7 art. 1 ad 1,* et *2. 2. Qu. 24 art. 10.* — Hinc « peccatum mortale et veniale differunt in infinitum, ex parte aversionis ». S. Thomas *1. 2. Qu. 72 art. 5 ad 1.*

3) Patet de peccato *veniali* magis compertum esse *quid non sit,* quam *quid sit.* S. Ligorius *Homo apost. III, 23.* — Cf. Ball. *Num. 319-326.*

4) Rom. *I. 32;* I. Cor. *VI. 9, sequ.* I Jo. *III. 14;* etc. — Cf. Noldin *Num. 292.*

5) Concilium Trident. *Sess. VI. Can. 27,* et *Sess. XIV. Cap. 5.*

6) Quædam habet S. Thomas *1. 2. Qu. 73 art. 5,* et *Qu. 78 art. 4.* etc.

gressionis et cum pleno voluntatis consensu in ipsam. Ratio est, quia peccatum non potest esse in suo genere perfectum, nisi ipse actus malus fuerit perfecte humanus.

111. Ad peccatum veniale, requiritur transgressio ex materia, aut ex ipsa lege, levis alicujus legis vere obligantis (non consilii aut normæ directivæ); insuper requiritur advertentia aliqua, quamvis imperfecta, ad malitiam actus, et simul aliquis voluntatis consensus, quamvis non plene deliberatus.

233. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quomodo dignosci possint peccata quædam esse gravia ratione materiæ?

Resp. Dantur ad hoc tres normæ intrinsecæ, totidemque extrinsecæ:

1.° Spectanda est ipsa entitas moralis materiæ, ex qua constituitur inordinatio objectiva transgressionis: — *a*) Habenda sunt ut gravia peccata illa, quæ directe inferunt injuriam ipsi Deo: ejusmodi sunt blasphemiæ, apostasia, hæresis, desperatio, odium Dei, etc. — *b*) Gravia habenda sunt ea peccata, quæ cedunt in damnum grave generis humani aut societatis, vel perturbant publicam et privatam securitatem: ejusmodi sunt variæ luxuriæ, rebelliones in publicam auctoritatem, homicidia, furta, detractiones, et alia hujusmodi; quæ nisi prohibita essent *sub gravi*, de sociali convivendi ratione actum esset. — *c*) Gravia sunt illa peccata, quæ impediunt consecutionem finis gravis momenti, vel quæ legislator ipse aut explicite aut implicite edixit se præcipere aut prohibere *sub gravi*. Ex hoc capite gravia peccata habentur omissiones Missæ diebus festis, communionis paschalis et annuæ confessionis, abstinentiæ, jejunii, etc.: ita graviter peccaret sacerdos ea omittens vel mutans, quæ in Missa celebranda præscribuntur a Rubricis, cum clausula quod, qui secus agat graviter peccat; item, si agat contra recentia decreta circa stipendia Missarum expresse statuentia *sub gravi;* item, qui faciat ea, quibus addita est a Pontifice sactio excommunicationis, aut suspensionis a divinis, etc. Eadem ratione gravis finis intenti a legislatore in materia *per se* levi, gravis fuit protoparentum peccatum per esum pomi, ac graviter peccaret sacerdos vino nihil aquæ admiscens in calice. Imo ratione circumstantiæ, graviter peccare posset parochus per colloquia non graviter turpia coram filianis.

2.° Inter normas extrinsecas: — *a*) Ratione dignitatis prævalet auctoritas sacræ Scripturæ: ex hac norma, sunt gravia peccata, quæ dicuntur exsecranda aut abominabilia coram Deo, quæ dicuntur excludere a vita æterna, etc. 7. Dicimus hanc normam præstare ratione dignitatis. — Nam *b*) ratione certitudinis, prævalet doctrina Ecclesiæ respiciens præ-

7) Cf. PROV. *XX. 10;* OS. *IX. 10;* EZECH. *XXIV. 13;* SAP. *V. 2-13;* MATTH. *XXIV. 41, sequ.;* I. COR. *VI. 9, seqq.;* GAL. *V. 19.* — Cf. TANQU. *Num. 449-451.*

cepta naturalia et divina positiva: de qua nobis constat, tum per declarationes datas a Conciliis aut a Romanis Pontificibus, tum per damnationem quarumdam propositionum moralium datam ab ipsis Pontificibus aut a Romanis Congregationibus 8. — *c)* Demum norma moraliter certa et generalioris applicationis est doctrina communis SS. Patrum 9, Doctorum ac theologorum: nam horum quoque consensus in docendo peccatum aliquod esse mortale, vel esse veniale, indirecte est indicium certum veritatis. « Doctorum enim consensus veritatis indicium est » 10.

Qu. 2. Quomodo definiri poterit gravitas materiæ in omissione habituali officiorum proprii muneris ?

Resp. Præscindendo a casibus, in quibus determinatio positiva habeatur ex lege aut ex contractu, solutio quæstionis difficillima est. Generatim habenda est ut materia gravis, ad peccandum mortaliter requisita et sufficiens, omissio illa, ex qua obventurum esse prævidetur notabile detrimentum personis, erga quas munus esset exercendum: porro perdifficile est determinare quandonam hoc detrimentum vere notabile dicendum sit. Hinc difficile est definire quandonam graviter peccent parentes ob neglectam educationem spiritualem filiorum, parochi propter omissam sufficientem curam in instruendis parochianis vel in ministrandis sacramentis vel in urgenda frequenti et quotidiana communione, magistri tempore habendarum lectionum otiantes, etc. Quare confessarius cum hisce pœnitentibus, studebit quidem integram ab eis exigere prædictarum omissionum confessionem; at multo magis studebit eorum negligentiam et socordiam excutere, ut serio proponant suis officiis diligentius incumbere in futurum.

Qu. 3. Quid ergo, si, prædictis et aliis normis adhibitis, adhuc discerni non possit utrum peccatum sit mortale, an veniale ?

Resp. In eo casu applicanda aurea sententia S. Alphonsi, pro qua et alios allegat Doctores: « Non est adstruendum mortale, nisi de eo certo constet » 11. Scilicet in eo casu peccatum habendum est ut veniale. Porro difficillimum sæpe sæpius esse definire limites inter peccatum mortale et veniale, patet ex innumeris theologorum controversiis.

234. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Quandonam transgressio in se gravis habenda sit ut peccatum subjective mortale ratione cognitionis et advertentiæ requisitæ ex parte intellectus ?

8) Huc spectant plures ex Propositionibus damnatis a Romanis Pontificibus aut a sacris Congregationibus.

9) Fatemur tempore antiquo non tot peccata æstimari consuevisse gravia, quot hodie: maximæ curæ erant peccata pœnitentiæ canonicæ obnoxia. — Cf. nostrum *De universa Pœnitentiæ ratione in primitiva Ecclesia* (Veronæ 1905).

10) GURY *Num. 151;* FERR. *232;* NOLDIN *292;* TUMM. *194;* MARC *337;* et omnes.

11) S. LIGORIUS *Lib. I. System. mor.* circa finem. — Cf. et *Lib. V. Num. 52,* et *VI. 603, 605;* item BALL. *Num. 315,* et ad GURY *152,3.*

Resp. Generatim illæ transgressiones non poterunt a peccato mortali excusari ratione defectus cognitionis, quarum materia sint præcepta immediate descendentia ex supremis principiis legis naturalis, aut eorumdem remotiores deductiones naturaliter et communissime notæ: item illæ, quarum materia sint præcepta positiva juris divini aut ecclesiastici inter fideles notissima. Hinc titulo ignorantiæ non possunt a gravi peccato excusari apostasia ab Ecclesia, blasphemiæ, homicidia, furta, variæ species fornicationis, et similia; item nec transgressiones præceptorum confessioni annuæ, communionis paschalis, sanctificationis Dominicæ aliorumque festorum principalium, abstinentiæ a carnibus pro feria sexta majoris hebdomadæ, etc.

Verum, ut hæ et similes transgressiones sint peccata mortalia, necesse est quod actu habeatur advertentia ad earum gravitatem; scilicet, cogitatio aut saltem suspicio vel dubitatio de illarum gravi malitia. Hæc autem cogitatio aut suspicio aut dubitatio non necessario debet esse reflexa aut per discursum ratiocinata; satis est eam haberi directam et practicam; talem, nempe, qua agens clare, etiam per brevissimum tempus, percipiat actum a se ponendum esse graviter illicitum. Hinc generatim non excusantur a peccato mortali illæ legum transgressiones *in se*, quæ natura sua excludunt inadvertentiam; cujusmodi sunt perjuria, homicidia deliberata, furta, opera servilia die festo patrata, omissiones confessionis et communionis paschalis, violationes legum abstinentiæ aut jejunii: facilius excusantur blasphemiæ, imprecationes. Dicimus non excusari transgressiones *in se*. Quæ enim sunt legum transgressiones *in causa*, facilius admittunt excusationem a peccato gravi; cum gravitas transgressionis pendeat a prævisione; quæ non semper sufficiens erit ad imputandum *sub gravi* effectum graviter malum: ita potest quis, colloquens in via cum amico, non advertere prætergressam jam esse horam Missæ inchoandæ in ecclesia.

Qu. 2. Quænam transgressiones in se graves habendæ sint ut vera peccata mortalia ratione consensus ex parte voluntatis?

Resp. Ex isto capite difficilius admittitur excusatio a peccato mortali. Ratio est, quia, excepto casu, quo metus gravis deobliget ab ipsa lege, si intellectus voluntati proponat actionem ut graviter illicitam, voluntas *sub gravi* tenetur ab illa abstinere; si intellectus proponat actionem ut obligatione gravi præceptam, voluntas *sub gravi* eam ponere tenetur; ac, licet causa aliqua intrinseca aut extrinseca minui possit indifferentia voluntatis, numquam hæc cogi aut necessitari potest ad volendum vel nolendum. Hinc tunc tantum excusatio a peccato gravi admitti potest, cum voluntas in consentiendo hæsitaverit vel semideliberate et imperfecte in actionem malam consenserit; quod facilius contingere potest relate ad peccata interna delectationis, desiderii et gaudii. Exemplum sit de desiderio: Si quis aure e cubiculo perceperit transire per viam objectum sui affectus graviter inordinati, simulque valde concupiverit adire fenestram, eamque, cum facile potuisset adire, non adivit, hic dicendus est

in desiderium illud non consensisse perfecte, ac proinde non graviter peccasse: dicendus esset peccasse graviter, si unicum ab adeunda fenestra impedimentum fuisset præsentia matris. Eadem theoria applicari poterit delectationi de phantasmate turpi, gaudio de morte inimici, et similibus.

Qu. 3. Qud, si quis dubitet, num perfecte consenserit, an non?

Resp. Recurrendum est ad argumentum præsumptionis. Si pœnitens est persona timoratæ conscientiæ, judicandus est non consensisse perfecte: secus, si est conscientiæ laxæ. Verum etiam hoc judicium subjectivum est, et proinde non carens difficultatibus. Hinc, si ne argumentum quidem præsumptionis valeat omne dubium dissipare, consulendum illi homini est, ut peccatum suum confiteri intendat et confiteatur, *prout est coram Deo*: at absolute ad illud confitendum obligari non potest; ejus enim peccatum dubie est mortàle [12]: maxime curandum de futuro.

Qu. 4. Quid de illo, qui animo statutum habeat numquam peccare mortaliter, at de venialibus non curet?

Resp. Hic, *per se*, non peccat graviter: nullam enim habet volitionem graviter malam. Tamen reus evadere posset peccati gravis *in causa;* cum valde difficile sit et ferme impossibile, quod hæc incuria de venialibus vires ipsius animæ non debilitet, et hac ratione eum disponat ad peccandum mortaliter, juxta illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet* [13]. Verum ad peccandum *in causa,* necesse est, quod ille ex ea incuria præviderit periculum grave, et non adeo remotum, labendi in mortalia; quod raro verificabitur. Spectabit ergo ad solertem caritatem confessarii incuriam sui pœnitentis excutere, eidem ostendendo, tum malitiam peccatorum venialium, præsertim quæ advertenter committantur, tum pravos eorum effectus et, inter hos, pronam dispositionem ad mortalia.

235. **Consectaria.** — Ex Principiis et datis solutionibus hæc sequuntur:

1.° Spectata materia, tres dantur classes peccatorum: — *a*) Quædam peccata dicuntur *mortalia ex toto genere suo.* Sunt autem illa, quorum materia, in se graviter mala, aut indivisibilis est, aut, si divisibilis, in parte divisa habet omnem inordinationem, quam habet materia tota; proinde hujusmodi peccata non admittunt parvitatem materiæ, sed ex parte materiæ mortalia sunt, nec umquam possunt esse venialia. Ita graviter peccat peccato hæreseos, tum qui neget integrum Symbolum, tum qui unicum ejus articulum: ita semper gravia sunt perjurium, fornicatio, etc. — *b*) Quædam peccata dicuntur esse *mortalia ex genere suo* (non ex toto). Sunt autem illa, quorum materia, in suo genere gravis, divisibilis est, et in parte divisa non habet omnem inordinationem, quam habet materia tota. Ejusmodi sunt furtum, detractio, sacrilegium, omissio divini Officii, violatio voti obedientiæ aut paupertatis, etc: hæc peccata,

12) S. Ligorius *VI. Num. 476;* Frassin. *Nota 21 ad Num. 60;* Lehmk. *237.*
13) Eccli *XIX. 1.* — Cf. Gury *Num. 154, 5;* ibique Ball. *Nota 5.*

in se moralia, si in levi materia committantur, sunt venialia. — *c*) Quædam peccata dicuntur *venialia ex genere suo*. Sunt autem illa, quorum materia, quantumcumque enormis sit materialiter, semper levis est moraliter; proinde, quousque sistunt in genere suo, semper sunt venialia; ac tunc tantummodo evadunt mortalia, cum accedit illis deformitas alterius generis, quæ sit gravis. Ita graviter non peccat, sive qui falso dicat se muscam vidisse, sive qui dicat se vidisse volantem pyramidem: at qui per mendacium afferat alteri damnum grave, leviter peccat contra veracitatem, graviter contra justitiam.

2.° Peccatum, quod, spectata materia, grave aut gravissimum esset, etiam ex toto genere suo, fieri potest subjective veniale propter imperfectionem alicujus elementi subjectivi [14]. Hoc autem potest contingere, tum propter conscientiam erroneam, qua quis judicet esse veniale quod in se est mortale; tum propter imperfectionem advertentiæ; quandoque et propter imperfectionem consensus. Ita peccata venialia evadere possent perjuria, blasphemiæ, imprecationes, motus libidinosi semideliberati.

3.° Vicissim, peccatum ex genere suo veniale fieri potest mortale: non quidem objective et in se, cum unum ab altero differat in infinitum, sed ratione subjecti et per accidens. Id contingere potest: *a*) ratione conscientiæ erroneæ, ut si quis usurpet frustra nomen Dei, pro certo habens hoc esse peccatum mortale; *b*) ratione scandali, ut si parochus nimia levitate puellas alloquatur; *c*) ratione contemptus formalis auctoritatis legislatoris [15], ut si quis ex contemptu Ecclesiæ frustulum carnis comedat feria sexta majoris hebdomadæ; *d*) ratione periculi cogniti labendi in peccatum mortale [16], ut si quis otiose cum femina versetur, sciens se sæpius ex his colloquiis mortaliter peccasse; *e*) ratione finis graviter mali, ut si qui ad seducendam puellam mentiatur. — Demum *f*) fieri potest mortale ratione circumstantiæ, quæ malitiæ propriæ illius peccati venialis addat malitiam specifice diversam et in se gravem; ita graviter peccat mentiens, si prævideat ex mendacio suo grave damnum proximo vel rei publicæ obventurum [17].

Numquam vero plura peccata venialia pervenire possunt ad peccatum mortale: cum « omnia peccata venialia de mundo non possint habere tantum reatum, quantum unum mortale » [18]. Tantum coalescere poterunt plurium peccatorum venialium materiæ leves; adeo ut postrema materia, in se levis, propter coalescentiam cum prioribus fiat gravis [19].

14) S. Thomas *2. 2. Qu. 35 art. 3*, et *Qu. 36 art. 3*.
15) Non item, si contemnat personam legislatoris, aut rem præceptam. S. Licorius *Num. 148*.
16) Cf. Ballerini *Num. 342*.
17) Cf. S. Thomam *1. 2. Qu. 88 art. 5*, et *De malo Qu. 2 art. 8*; Ball. *Num. 340*.
18) S. Thomas *1. 2. Qu. 88 art. 4*. — Cf. Conc. Trid. *Sess. VI. Cap. 11*.
19) D'Annibale *Num. 292, 20, sequ.*

Ita post patrata plura furta levia fieri potest quod novum furtum in materia levi evadat peccatum mortale: idem dic de pluribus parvis comestionibus die jejunii, de servilibus eodem die festo peractis, etc.

ART. II. — De distinctione peccatorum specifica

236. Evidens cuique est non omnia peccata habere eamdem qualitatem deformitatis seu malitiæ; sed quædam habere quamdam (majorem vel minorem), quædam aliam. Ita quisque videt aliam esse turpitudinem blasphemiæ, aliam furti. Hæc diversa qualitas dicitur *species moralis* singulorum peccatorum, aut simpliciter *species;* et hoc sensu dicuntur peccata differre *specie* inter se [20]. Quæstio ideo tractanda, quia, cum in confessione necesse sit peccata confiteri, non in genere tantum, neque secundum omnia eorum adjuncta particularia, sed juxta eorum speciem, notitia hujus distinctionis maxime necessaria est confessariis; ut hi, nihil oneris arbitrarii imponentes pœnitentibus, procurent confessiones fieri integras, integritate a Christo præscripta, quæ est materialis. Ceterum confessarii nosse debent pœnitentes teneri ad accusandam eam qualitatem malitiæ, quam ex cognitione sua formaliter contraxerunt: non eam, quæ eorum peccatis competat juxta regulas theologorum [21].

Ad discernendum quomodo et quando peccata differant specifice inter se, regula fundamentalis traditur a Doctore Angelico, docente actus humanos, proinde etiam peccata, primario specie differre secundum quod distinguuntur moraliter eorum objecta [22]. Verum, cum hæc regula difficilioris sit applicationis, juxta methodum communem recentium, eam per suas partes exponimus sequentibus Principiis: quorum primum spectat generatim peccata, quæ sunt contra legem naturalem; alterum, non quidem exclusive, sed ut plurimum spectat peccata, quæ sunt contra leges positivas et præcepta particularia.

237. **Principia. I.** Sunt diversa specifice inter se: *a*) illa peccata, quæ virtutibus diversis opponuntur; item *b*), quæ opponuntur diversis officiis unius ejusdemque virtutis.

II. Sunt diversa specifice inter se illa peccata, quæ opponuntur legibus aut præceptis moraliter diversis; nempe obligantibus ad objectum moraliter diversum, vel ex diverso motivo.

20) Tractant S. Thomas *I. 72 Qu. 18,* et *Qu. 72,* et *De malo Qu. 2 art. 6,* etc.; S. Ligorius *Num. 30-34;* Ball. *220-243;* Zanin. *279-281;* Tanqu. *487491.*

21) Cf. Frassinetti *Dissert. IV. Num. 7;* Berardi I. *51-56.*

22) S. Thomas *Qu. 48 art. 2,* et *Qu. 72 art. 1.* — Juxta Scotum, peccata distinguuntur ex distinctione virtutum quæ læduntur, et ex modis, quibus eadem virtus læditur. Hæc norma in priorem recidit; « virtutes enim distinguuntur specie secundum objecta ». S. Thomas *I. 2. Qu 72 art. 1 ad 2.* Ceterum ea « planior est et in scholis obtinet ». D'Ann. *Num. 281.* Cf. Tanqu. *467.*

233. **Expositio.** *Princ. I.* — 1.° Peccata habent eamdem qualitatem malitiæ, quam habent vitia iisdem respondentia: atqui vitia distinguuntur inter se per oppositionem ad diversas virtutes; ergo et peccata. Ita virtuti fidei opponitur vitium infidelitatis et peccatum negationis fidei; virtuti justitiæ opponitur vitium injustitiæ et peccatum homicidii, detractionis, furti, adulterii, etc. 23.

2.° Simili ratione, peccata, quæ opponuntur officiis moraliter diversis ab una eademque virtute impositis, habent malitiam moraliter diversam, et proinde differunt inter se. Porro officia sub una virtute possunt esse diversa multipliciter: *a) contrarie;* ita spes prohibet desperationem et præsumptionem; liberalitas prohibet prodigalitatem et avaritiam; generatim contraria vetant virtutes positæ in medio: *b)* quandoque *contradictorie;* ita fides jubet actum fidei, prohibet negationem: *c)* quandoque *disparate;* ita justitia officiis diversis jubet servari aliorum jura in bonis vitæ, in bonis famæ, in bonis fortunæ; ac proinde officiis diversis prohibet homicidium, detractionem, furtum; ita religio prohibet diversis officiis sacrilegia, reale, personale, locale; castitas diversis officiis prohibet fornicationem, pollutionem, sodomiam.

3.° Hinc, quia unus actus humanus, præter moralitatem essentialem, accipere potest etiam principalem ex fine et plures accidentales ex circumstantiis, ideo unus actus malus potest habere plures malitias speciei diversæ, aut plures ejusdem. Ita ex fine, rei sunt duplicis malitiæ diversæ, qui furatur ad stuprandum, qui blasphemat ad scandalizandum, qui mentitur ad proximum infamandum. Ex circumstantiis, rei sunt duplicis malitiæ, sacerdos seipsum polluens, pater coram filiis blasphemans: rei sunt malitiæ triplicis diversæ, sacerdos peccans cum conjugata vel cum consanguinea, vir conjugatus peccans cum glore: item ex circumstantiis reus est malitiæ quadruplicis sacerdos peccans cum consanguinea conjugata, etc. Conjugatus peccans cum femina conjugata, præter peccatum fornicationis vel etiam incestus, committit duo peccata contra justitiam; cum violet, tum jus uxoris suæ, tum jus mariti illius feminæ: item contra justitiam peccato duplici specifice diverso peccat, qui occidit inimicum simul prævidens inevitabilem illius filiorum egestatem.

239. **Expositio.** *Princ. II.* — Quia peccatum est legis seu præcepti transgressio, ideo pro morali diversitate legum aut præceptorum diversæ moraliter sunt transgressiones. Leges autem et præcepta non sunt moraliter diversa ex eo quod sint a diverso legislatore, sed ex eo quod aut habeant objectum moraliter diversum, aut in uno eodemque objecto præcipiant aut prohibeant ex diverso motivo 24. Sic ratione diversitatis objecti in legibus Ecclesiæ, sunt peccata specifice diversa contra leges Ecclesiæ, omissio Missæ die festo, omissio Horarum canonicarum, omissio jejunii, omissio confessionis annuæ, omissio communionis paschalis,

23) S. Ligorius *Num. 32;* Ball. *234, seqq.*
24) S. Ligorius *Num. 33;* Ball. *242, sequ.* — Clarius Noldin *Num. 320.*

etc. Ratione diversitatis motivi sunt peccata diversa, omissio jejunii ex lege Ecclesiæ, et omissio jejunii a confessario impositi in pœnitentiam sacramentalem: imo et duo diversa peccata committit, qui omittit jejunium, ad quod ex duobus motivis tenebatur eadem die. E contra unicum committit peccatum, qui furatur; licet furtum prohibeatur tum lege naturali et divina positiva, tum ecclesiastica et civili.

240. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Specifice differunt hæresis, desperatio, odium Dei; cum opponantur tribus virtutibus: item specifice differunt irreligio et superstitio, desperatio et omissio actus spei, contumelia et detractio. Hinc, qui aliquod ex his peccatis committit, insufficienter confiteretur dicendo se peccasse contra religionem, vel contra spem, vel contra justitiam.

2.ª Pro diversitate materiæ non differunt detractiones; imo, ex sententia hodie communi, nec pro veritate vel falsitate criminis aut defectus narrati: item, nec pro diversitate personarum, de quibus quis detrahat; hinc, qui de femina dixit quod sit adultera, de sacerdote quod sit lascivus, sufficienter confitetur dicens se bis graviter detraxisse.

3.ª Idem dic de diversa materia in furto, de læsione juris alterius per furtum aut per damnificationem aut per fraudem in venditione vel in locatione, etc.

241. *Ex Princ. II.* — 1.ª Generatim specie differunt peccata commissionis, et peccata omissionis; quorum unum opponitur præcepto negativo, alterum affirmativo: ratio est, quia utriusque præcepti diversum est objectum. Ita differunt exercitium servilium, et omissio Missæ die festo. At rem alienam auferre, et eam non restituere, non differunt specie; cum utrumque præceptum et habeat idem objectum, et sit, quoad substantiam, negativum [25].

2.ª Ita sub eodem motivo temperantiæ die abstinentiæ et jejunii prohibentur duo: esus carnium, et multiplex comestio: ergo utriusque præcepti est diversa moraliter transgressio.

3.ª Differt specifice omissio Missæ, quam quis tenetur audire ex lege Ecclesiæ, et omissio Missæ, quam quis tenetur audire ex voto, vel ex præcepto confessarii; quare sub hac diversitate præcepti confitendum est peccatum [26]. At indifferens est, quod quis Missam omiserit die festo S. Petri, aut die Paschatis, aut die festo S. Petri occurrente in Dominica.

242. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum peccata contra caritatem erga proximum fiant specifice diversa propter propinquitatem personarum?

Resp. Generatim peccata opposita virtuti caritatis, si fiant in proxi-

25) Censemus hanc esse rationem veram et claram: communiter alia affertur, nobis minus apta, quod violatio utriusque præcepti idem bonum lædit. Ita MARC *Num. 324 Resp. 3, 4.*

26) Cf. LEHMKUHL *Num. 240,* et *Casus 140, sequ.*

mum propinquiorem, assumunt malitiam specialem contra pietatem. Verum hæc malitia specialis habetur ut gravis, si quis odio prosequatur personas sibi in gradu propiori conjunctas, ut sunt consanguinei in primo gradu cujuscumque lineæ. Hinc peccat graviter contra pietatem et tenetur circumstantiam conjunctionis personarum in confessione declarare pœnitens, qui odio prosecutus fuerit patrem vel matrem, filium vel filiam, fratrem vel sororem. Juxta plures teneretur et qui odio habuerit avos vel nepotes in linea recta. Qui odio prosecutus fuerit conjunctos remotiores, peccavit quidem graviter contra caritatem, at non graviter contra pietatem.

Conjugi amor specialis debetur vi contractus matrimonialis, ac proinde ex justitia. Hinc odium in conjugem est peccatum specie diversum ab odio in proximum et ab odio in consanguineos; et est tamquam tale in confessione aperiendum.

Relate ad affines, notant Doctores ad eos non spectare virtutem pietatis; hinc nulla obligatio confitendi quod persona odio habita est suo conjugi consanguinea [27].

Qu. 2. Utrum idem dici oporteat de peccatis contra justitiam erga personas conjunctas?

Resp. a) Affirmative, si agatur de injuriis immediatis in personam, ut essent percussiones et contumeliæ: et quidem certe, si his personis *sub gravi* debeatur reverentia specialis; qualem filii debent parentibus, uxores maritis; minus certe, si de aliis personis remotioribus, quibus non debeatur specialis reverentia, saltem *sub gravi.* — *b) Negative* vero, si agatur de injuriis in bonis famæ aut fortunæ: quoad hæc, specialis malitia ex virtute pietatis haberi posset *per accidens;* puta, si agatur de tali furto, propter quod parentes ad egestatem redacti sint, adeo ut desint illis necessaria ad vivendum [28].

Qu. 3. Utrum peccata odii, contumeliæ, detractionis ac furti in sacerdotes induant malitiam specialem contra virtutem religionis?

Resp. Quoad furtum, *negative;* cum bona externa personæ sacræ non sint sacra. Relate ad odium, contumeliam ac detractionem: *a)* Si hæc fiant contra sacerdotes, qua tales, seu quatenus sunt ministri Dei et Ecclesiæ, hæc certe habenda sunt ut peccata contra religionem, sive quia directe ordinantur in odium Ecclesiæ et Dei, sive quia causam religionis impetunt, impediendo sacri ministerii efficaciam. — *b)* Si hæc fiant contra unum vel alterum sacerdotem ex motivo (vero vel fictitio) personali, quoad odium, respondendum videtur *negative*: quoad detractionem, iterum *negative,* nisi habeatur *per accidens* peccatum contra caritatem erga fideles, puta parochianos aut pœnitentes: quoad contumelias, si sint reales, *affirmative;* imo et si sint verbales vel scriptæ; cum dignitas sacerdotalis et jus ad reverentiam separari nequeant a per-

27) Cf. De Lugo *De Pœnit. Disp. XVI. Num. 303-308;* Gury II. *305,* ibique Ball. *Not. 30, 31.*

28) Gury *Casus II. Num. 456, sequ.* et *Nota;* Lehmk. II. *Num. 311;* Gen. II. *287;* Zanin. *De Pœnit. 2173, 5.*

sona sacerdotis; hinc et grave peccatum est contra religionem levis percussio clerici continens injuriam in se gravem 29, et contumelia gravis sive ore sive scripto illata.

Qu. 4. Quænam sint malitiæ specifice diversæ in peccatis solitariis contra castitatem?

Resp. Actus quilibet graviter impudici seu libidinosi masculorum impuberum, et feminarum cujuscumque ætatis, sunt peccata mortalia unius ejusdemque speciei: hinc, si illi aut istæ accusent actus turpes super seipsos habitos, nulla facienda est ulterior interrogatio. E contra mares adolescentes et adulti peccare possunt peccatis duplicis speciei diversæ, nempe actu graviter impudico, et pollutione: hinc generatim sunt interrogandi 30.

2.° Peccatis solitariis contra castitatem addit malitiam novam contra religionem circumstantia, quod peccans sit persona sacra; sive vi Ordinis sacri, sive vi voti solemnis in Ordine religioso emissi. Imo, ex opinione hodie satis communi, videtur persona fieri sacra per votum simplex, etiam temporarium, quod emittatur in Congregatione religiosa, ac ideo publicum sit. At persona non fit sacra per votum privatum castitatis: tamen qui, eo emisso, peccet contra castitatem, peccat etiam contra votum, et ideo contra religionem.

Qu. 5. Quænam peccata luxuriæ differant inter se propter violata officia virtutis castitatis?

Resp. a) Differunt actus imperfecti (tactus, oscula, amplexus, etc.) eodem pacto, quo actus perfecti, ad quos iidem naturaliter tendunt: *b*) in luxuria consummata differunt pollutio, sodomia, bestialitas: *c*) in sodomia differt (*per se*) perfecta ab imperfecta 31; at fideles non norunt nisi diversitatem malitiæ ex diversitate sexus.

Quænam circumstantiæ addant novam vel novas malitias distinctas a luxuria, disputamus alibi; sunt, nempe, quæ attingunt distinctas virtutes, justitiam, pietatem, religionem.

243. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Undenam petenda sit practice species malitiæ in peccatis, quæ sint opposita legibus positivis humanis?

Resp. 1.° Si lex (aut præceptum Superioris) aliquid præcipiat vel prohibeat jam præceptum vel prohibitum lege naturali aut divina, et quidem ex eadem virtute, ex qua ipsa lex superior, peccatum nullam specialem malitiam capit ex lege positiva. Ita furtum prohibitum legibus naturali, canonica et civili, non habet nisi unam malitiam contra justitiam 32.

29) Hinc, qui injuriose clericum conspuat, qui ejus rhedam sistat, etc., incurrit ipso facto excommunicationem.

30) S. THOMAS *2. 2. Qu. 154, art. 12.*

31) S. THOMAS *2. 2. Qu. 154 art. 11.* — Cf. BALL. *Num. 240.*

32) Censeremus idem dicendum de peccato filii omittentis auditionem Missæ contra legem Ecclesiæ et praeceptum patris legem ecclesiasticam urgentis. — Contra putant MARCH *Num. 325 Quær 2.*

2.° Si lex humana id, quod præceptum aut prohibitum est lege superiori, præcipiat aut prohibeat intuitu virtutis diversæ, peccatum duabus legibus oppositum duas habet malitias specie diversas. Ita percussio clerici prohibetur lege naturali intuitu justitiæ, at simul prohibetur lege canonica intuitu religionis; ergo duplex ei inest malitia specie diversa: quod si hæc percussio fiat in ecclesia, accedit et altera malitia contra eamdem virtutem religionis, quæ eam percussionem vetat duplici officio, uno respiciente personam sacram, alio locum sacrum. Idem dicatur de furto rei sacræ, rei non sacræ in loco sacro, rei sacræ in loco sacro.

3.° Si lex humana præcipiat vel prohibeat aliquid de se indifferens, ipsa lex dat peccato opposito qualitatem malitiæ oppositam virtuti, cujus intuitu ipsa præcipit vel prohibet. Ita ex legibus Ecclesiæ, omissio Missæ die festo est contra religionem (per defectum); omissio jejunii naturalis ante communionem est contra religionem (sacrilegium); omissio jejunii ecclesiastici aut abstinentiæ est contra temperantiam; matrimonium cum affine vel cum sorore adoptiva est contra castitatem (incestus).

4.° Quandoque lex ipsa præcipit aut prohibet nullius intuitu virtutis, nisi valde remote ex fine legislatoris; tunc peccata illi legi (aut præcepto) opposita retinent communem et solam malitiam contra obedientiam; sunt, nempe, peccata inobedientiæ. Ita qui legat librum prohibitum, sacerdos adiens theatrum, religiosus transgrediens præceptum Superioris, filius non obediens parentibus, etc.; hi omnes peccant peccatis specifice identicis contra obedientiam.

Qu. 2. Utrum legum transgressiones voluntariæ *directe* differant specifice a voluntariis *indirecte*?

Resp. Licet voluntarium directum sit voluntarium perfectius quam indirectum, et proinde transgressiones voluntariæ directe sint peccata graviora quam voluntariæ indirecte, tamen et illæ et istæ prohibentur iisdem legibus et intuitu earumdem virtutum. Ergo hujusmodi peccata specifice non differunt [33]; ac proinde nulla est obligatio *per se* confitendi hanc peccati qualitatem, quod fuerit directe intentum a voluntate. Dicimus nullam esse obligationem *per se;* h. e., ratione integritatis confessionis. Nam obligatio declarandi hanc qualitatem haberi poterit *per accidens;* puta, si contra peccatum illud patratum *directe* habeatur reservatio aut censura, quæ non habetur contra ipsum, si voluntarium fuerit *indirecte*. Consequenter eadem specie malitiæ peccat vir, qui procuraverit suam uxorem abortiri, et qui causam abortus voluntarie posuerit, hunc effectum saltem probabiliter prævidens: sed ille tenebitur declarare abortum fuisse a se procuratum, quia censura notatum; nequaquam iste. Idem dicatur de homicidio, de proximi damnificatione, etc; sicubi hæc peccata obnoxia sint reservationi, quoties voluntaria fuerint *directe*.

Patet idem dicendum de transgressionibus actu voluntariis et de voluntariis in præcedenti ignorantia voluntaria: sunt enim illæ voluntariæ *in se*, istæ *in causa*.

33) D'Annibale *Num. 282*: « Qui peccat in causa, ejus speciei admittit, cujus periculum subit ». — Cf. et Marc *Num. 325*.

ART. III. — De distinctione peccatorum numerica

244. Hæc quoque quæstio fit in ordine ad confessionem; cum ex Tridentino Concilio necesse sit peccata mortalia confiteri juxta eorum numerum. Ea autem dicitur et vere est implexa et difficilis [34].

Ex data definitione, peccatum est actus humanus malus, seu actus humanus volitivus rei malæ, quæ est transgressio legis divinæ. Jamvero triplex casus contingit: Aliquando voluntas tot volitionibus diversis vult totidem res malas; ex. gr., hodie vult furari, cras fornicari, perendie blasphemare, etc. Aliquando voluntas volitione una attingit res malas diversas; ex. gr., cum quis ineunte Quadragesima statuit ne una quidem die jejunare, vel una explosione plures homines occidit, uno sermone pluribus detrahit, etc. Aliquando, vicissim, circa unam rem malam versantur plures actus voluntatis, plus minus distincti; ex. gr., cum quis per integrum annum odio prosequitur inimicum aut inordinate deperit amicam.

245. **Principia. I.** Quoties voluntas diversis volitionibus attingit totidem res malas, toties multiplicantur numero peccata. Patet ex ipsa peccati definitione.

II. Si voluntas uno actu volitivo attingit plures res malas, in eo actu tot habentur peccata, quot in rebus volitis habentur malitiæ specifice diversæ. Ratio est, quia in eo casu actus ille, contrahens malitias specifice distinctas, simul eas contrahit distinctas et numero.

III. Si res mala volita una sit, adhuc ex parte voluntatis multiplicantur peccata, si voluntas eam rem attingit per actus volitivos moraliter distinctos. Singuli enim actus volitivi alicujus rei malæ sunt peccata.

246. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Bis peccat, non modo qui hodie furatur quinque, cras decem; sed et ille, qui, domum ingressus ut furetur pecuniam, videns horologium, furatur et istud.

2.ª Bis peccat, qui volens percutere inimicum, ipsum percutit; mox vero novo exardescens impetu iræ ipsum occidit: item bis peccat, qui, cum ab initio voluerit mulierem turpiter tangere, dein libidine incensus copulam habet.

3.ª Quatuor peccata committit sacerdos vel religiosus, qui semel statuit coire sororem conjugatam.

4.ª Duo peccata facit, qui viatorem aggreditur ad rapiendum; item,

34) Ita S. Ligorius, qui de ea tractat *Num. 35-50.* — Cf. quoque Ball. *Num. 244-313*, ubi nonnullæ S. Doctoris opiniones emendantur.

qui inimici domum incendit, ut et ille pereat; item, qui de adversario detrahit, ut ille ab officio lucroso dimittatur.

248. *Ex Princ. III.* — 1.ª Ter peccat, qui ter accedit ad feminam non suam; eadem ratione, qua ter peccat accedens semel ad tres: in utroque casu satis est quod confiteatur se ter fornicatum esse.

2.ª Sacerdos, qui in mortali celebret continuo tres Missas Nativitatis Dominicæ, ter communicat; ac ideo tria facit sacrilegia (cetera modo omittimus) [35]: at, qui Missam celebrans in mortali, post sumptam communionem sacras particulas fidelibus per semihoram distribuat, ac dein superstites particulas sumat, communicat semel; et ideo unicum ex hoc capite facit sacrilegium.

3.ª Sacerdos, qui in statu peccati mortalis Eucharistiam distribuat, non pluries peccat quam sint functiones distributivæ (de realitate et gravitate peccati dicemus alibi): at facilius multiplicat peccata qui plures pœnitentes absolvit; cum facilius contingat multiplicari actus volitivos.

249. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quot peccata committat, qui unico voluntatis actu vult res malas plures numerice, non specifice, distinctas?

Resp. 1.° Si res illæ malæ sint illius actus volitivi objecta tantum partialia, unicum facit peccatum. Hoc evenire potest tripliciter: *a*) Quia illarum rerum quædam ordinantur ad aliam, ut media ad finem; *b*) quia singulæ sunt alicujus totius partes; *c*) quia omnes simul concipiuntur ad instar cujusdam unius. — Ex capite primo, unicum facit peccatum, qui, intendens fornicationem, mulierem aspicit, alloquitur, tangit, osculatur, ac tandem fornicationem perficit; item, qui ad occidendum inimicum, quærit arma, struit insidias, ac toties percutit quousque occidat. — Ex altero capite, unum facit peccatum sacerdos semel statuens crastina die ne unam quidem Horam recitare; item, qui, intendens determinatam summam furari ad eam pertingit per plura furta partialia [36]. — Ex capite tertio, unicum facit peccatum, qui plures simul negat articulos fidei: item, qui unico impetu iræ pluries blasphemat, vel unico libidinis æstu sècum, vel cum femina, plura perpetrat infanda.

2.° Si illæ res malæ illius actus volitivi sint objecta totalia, quatenus attingi non possunt, nisi totidem distinctis actibus externis, videntur pro numero rerum volitarum multiplicari peccata. Ita tria peccata committere videtur, quo proponit furari hodie decem, cras viginti, perendie triginta: eadem ratione quadraginta committeret peccata qui statuat per integram Quadragesimam non jejunare [37]. — Ceterum attendatur sequens *Quæstio 3.*

35) S. Ligorius *Num. 44;* cui in hac re consentiunt omnes.

36) At, si singula furta fiant vicibus moraliter interruptis, fiunt plura peccata, Ita S. Ligorius *Num. 44;* Ball. *313.*

37) Ballerim *Num. 258;* D'Ann. *286, 6.* — Id in altero casu non admittunt alii, cum Noldin *311, b.*

Qu. 2. Utrum ipsa media adhibita ad peccandum fiant totidem peccata, in confessione explicanda ?

Resp. 1.° Non videtur negandum ea media mala fieri ex fine, etsi mala non sint in seipsis 38. Ideo videtur peccare, non modo, qui ad seducendam puellam prava adhibeat colloquia, sed et qui indifferentia; item, qui viam sumat ad homicidium, vel scalam deferat ad furtum.

2.° Quod vero eadem sint in confessione explicanda: *a*) Si peccatum postea fuit consummatum, communius negatur; eo quod voluntas ea media voluerit ipsa volitione finis. — *b*) Si peccatum consummari non potuit, solutio quæstionis difficillima est. Ex una parte, ea media non videntur inde exuisse malitiam, aut sibi insitam, aut ex malo fine acquisitam: ex altera parte, cum peccatum consummatum non fuerit, hoc non est accusandum; remanet ergo, ut accusetur hujus peccati desiderium una cum mediis ad illud exsequendum adhibitis; et quidem, ceu totidem peccata distincta, si media moraliter distincta adhibita fuerint 39. Hinc, si quis puellam ad turpia sollicitavit frustra per obscena verba et tactus inhonestos, debet duo peccata confiteri 40, una cum desiderio seducendi; si sollicitavit cum effectu, unum peccatum admisit, ac unum confiteri tenetur, scilicet fornicationem. Ad quæ ita doctissimus vir arguebat: « Et qua, sodes; ea, quæ hactenus unum fuerant, plura esse incipiunt ? Ergo ne, si Titius Osium confodit, unum; si confossurus destitit, vel feriit incassum, plura committit ? » 41.

Practice, in exigenda horum mediorum confessione non insistat nimis confessarius; cum has subtilitates communiter ignorent pœnitentes, passim et confessarii: insistat in dolore et proposito.

Qu. 3. Utrum unum, vel plura peccata, committat ille, qui plura objecta mala, sub aliquo respectu simul conjuncta, unico actu interno vult, aut unico actu externo attingit ?

Resp. Quæstio difficillima 42; in qua solvenda frustra quæreres scrip-

38) Cf. dicta superius *Num. 62, sequ.* — Ratio est, quia « illæ actiones externæ informantur a fine ». DIANA apud BALL. *De peccatis Num. 310.*

39) S. LIGORIUS *Num. 42,* et *Homo apost. Tract. III. 62;* GURY *Num. 164.*

40) Quidam autumant accusanda quoque esse, ceu totidem peccata, ipsa media indifferentia.

41) D'ANNIBALE *287, 15.* — Cf. et FRASSIN. *Dissert. IV. Num. 13;* GEN. *167;* NOLDIN *288, 1;* quorum opinionem *non improbabilem* habet FERR. *Num.*

42) Præterquam difficillimam, quidam volunt quæstionem esse inutilem. Vide FRASSIN. *Dissert. IV. 11.* Ratio eorum est, quia, si in casu quopiam theologi quidam dicunt esse decem peccata, alii esse unum, isti fatentur in eo uno decuplam inveniri malitiam. — At non inde inutilis quæstio, quæ aut potissimum, aut unice instituitur in ordine ad confessionis integritatem. Nam, si pœnitens commisit decem peccata, confiteri debet se commisisse decem peccata; quod si commisit unum decuplam habens malitiam, confiteri debet se unum peccatum commisisse, quin dicat decuplam eidem peccato inesse malitiam. Aliter censere videtur TANQU. *Num. 498.*

torum consensum, et quandoque unius ejusdemque scriptoris cohærentiam. In exemplum sint casus sequentes 43.

1.° Titius unico voluntatis desiderio duas feminas cupit: quot facit peccata? — Juxta alios, unum; juxta alios, duo. At, si ex his duabus, una sit conjugata, altera Titio consanguinea, certe duo facit peccata: desideratum adulterium, desideratum incestum.

2.° Cajus unico actu furatus est summam francorum centum viris quinquaginta communem: quot sunt peccata? — Juxta alios, unum grave; juxta alios, quinquaginta levia. Hinc juxta alios, unum peccatum grave erit necessario confitendum, et obligatio gravis restituendi; juxta hos, erunt quinquaginta peccata levia non necessario confitenda, et obligationes quinquaginta leves restituendi.

3.° Linus unica explosione duos homines occidit: quot sunt peccata? — Juxta alios, unum; juxta alios, duo. At, si ex his alter fuerit pater Lini, alter sacerdos, certe habentur duo peccata: parricidium, sacrilegium; quin et duo peccata fecisset uno ictu occidendo equitem et equum.

4.° Nicanor, unica odii excandescentia, Lucillo imprecatur mortem, ignominiam, infernum: quot peccata committit? — Juxta plures, tria; juxta quosdam, unum; juxta alios, *per se* tria, at *per accidens unum*.

5.° Qui postremis diebus baccanalium statuat per totam Quadragesimam omittere jejunium; sacerdos, qui decernat per dies quadraginta omittere divinum officium; etc., quot hi peccata committunt? — Juxta communiorem sententiam, quadraginta; at juxta oppositam, certe probabilem, unum.

6.° Camillus unica detractione coram tribus personis tria crimina, specie morali distincta, apposuit communitati religiosæ fratrum viginti: quot patravit peccata? — Juxta alios et alios: unum, tria, novem, viginti, sexaginta, centumoctoginta, indeterminate plura. — Juxta eos, qui dicunt unum esse peccatum, pluralitas audientium, criminum, fratrum (idem dic de aliis casibus superioribus), esset pluralitas circumstantiarum aggravantium notabiliter peccatum 44; quas Camillus in confessione aperire non tenetur.

250. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Undenam discernendum sit, utrum multiplicentur numerice actus volitivi, qui ad eamdem rem malam referuntur?

Resp. Distinguendi sunt: *a*) Actus externi: *b*) actus interni, qui interius cosummmantur: *c*) actus interni ad actum externum exsequendum ordinati.

43) Variæ de his aliisque casibus opiniones conferantur penes BUSEMBAUM apud S. LIGORIUM *Num. 35;* TAMBURINI apud BALL. *253;* GUAY *Num. 163, 165,* et *Casus 154;* BERARDI *67-73;* D'ANN. *286* et *Notas,* et II. *86, 1;* NOLDIN *310;* MARC *221.*

44) « Ex sententia Doctorum, objecta tantum diversa numero (non specie) non multiplicant peccata, sed aggravant ». Apud BALL. *Num. 264.* Porro detractiones de rebus moraliter diversis non differunt specifice.

1.° Si agatur de actibus externis, hi certe distinguuntur numero, quoties eorum objectum est in se completum ac terminatum. Ita certe distinguuntur numero plures fornicationes diversis noctibus habitæ cum eadem femina; item quadragies peccat, qui ne uno quidem die Quadragesimæ jejunat, licet id sibi jam præstituerit ab initio.

E contra, non distinguuntur numero, si eorum objectum completum ac terminatum non sit; sed sit, aut esse concipiatur, pars alterius, et una cum isto, ut ejus pars, volitum a voluntate. Si duo objecta partialia uniantur tempore, non videtur adesse difficultas: ita censetur unum peccatum committere, qui, integram exosus familiam, una explosione decem ejus membra occidit: ita et unicum furtum facere videtur, qui furatur summam ad ens morale pertinentem. At difficultas gravior habetur, si duo objecta uniantur tantum intentione peccantis: ita, qui, volens furari centum, furetur decem decies brevi interposito intervallo, unum committit furtum; at, si intervalla interfuerint longiora, plures censent furta multiplicari, eo quod iterantur et multiplicantur volitiones furandi; et quodnam est intervallum breve, quodnam longum?

2.° Si agatur de actibus internis, qui interius consummantur, ut sunt delectationes morosæ, turpia desideria inefficacia, odia, dubia circa fidem, hæreses, desperationes, etc., eadem videretur norma adhibenda; licet ejus applicatio difficilior sit. Ita, quoties quis deliberate de re turpi delectatur, absque dubio toties peccat. Verum, si de re turpi delectetur per integram noctem, quoties delectatur? Hic certe tot peccata commisit, quot ejus delectatio habuit interruptiones notabiles, puta per somnum: at quid, si ne uno quidem instanti dormierit?

3.° Si agatur de actibus internis ordinatis ad actum externum, puta de proposito fornicandi, ulciscendi, furandi, etc., res adhuc obscurior. Certe actus distinguuntur numero, quoties actus prior fuit retractatus positive, aut per voluntariam cessationem dimissus. Quod si actus prior dimissus fuit per cessationem non voluntariam, puta per somnum necessario interpositum, per distractionem connaturalem convivio familiari vel symposio cum amicis, per varias et multiformes vitæ humanæ vicissitudines, ut ejus propositi resumptio sit novus actus a præcedente distinctus, et proinde novum peccatum, necesse est intercessisse aliquod temporis intervallum. Verum heic nova difficultas: hujus enim intervalli necessariam et sufficientem diuturnitatem definire impossibile est; tum, eo quod ea pendet ex diversitate rei propositæ [45]; tum, eo quod circa eam diversæ habentur doctorum opiniones; tum, quia sæpe res pendet a circumstantiis subjectivis personarum, indole, sexu, ætate, etc. Ita S. Alphonsus putat difficulter posse unum propositum, puta occidendi inimicum, protrahi or-

45) Ita propositum legendi librum pravum haberi poterit ut satis interruptum spatio unius horæ; at per integros forte menses manere potest haud interruptus actus, quo quis, perdite amans mulierem, toto eo tempore modum quærit, quo ea possit potiri. — Cf. BALL. *Num. 300;* FERR. *Num. 243, 2.*

dinarie loquendo ultra duos vel tres dies; verum alii aliter censent 46.

Quid igitur confessarius? — Si audiat a pœnitente ipsum jamdiu deperire inordinate amicam, odisse et ad mortem quæsivisse inimicum, interroget a quo tempore; si audiat ab anno vel a biennio, interroget num ab affectu, ab odio, quandoque recesserit, ex. gr., sacramenta recipiens: si audiat numquam id contigisse, moderate interroget num saltem aliquoties et, plus minus, quoties de affectu, de odio cogitare desierit: ex responsis, habens præ oculis ætatem et indolem et cetera adjuncta pœnitentis, numerum peccatorum approximativum conjiciat; at non ultra pœnitentem contorqueat; potius omnem suam curam eo conferat, ut pœnitens de suis peccatis, quotquot fuerint, vere doleat, ac affectum vel odium definitive deponat: ex hoc enim, et tantum ex hoc, pendebit validitas absolutionis. — Hæc applicanda generatim sunt etiam ceteris peccatis, tum internis, tum externis.

Qu. 2. Quomodo distinguantur numero peccata negligentiæ in muneribus proprii status obeundis?

Resp. Hæc peccata certe multiplicantur, quoties negligentem suæ negligentiæ pœniteat: at extra hunc casum difficile erit determinare numerum peccatorum. Ita difficile erit determinare, quoties peccent clericus studiis ecclesiasticis ac pietati clericali non vacans, pater et quicumque superior vigilandi incurius, parochus in suis parochianis instruendis ac corrigendis negligens, etc. Hi omnes certe graviter peccant, quoties, advertentes obligationem propriam, eam voluntarie omittunt: at, quoties hæc ipsa advertentia et omissio a præcedenti distinguantur, raro poterit definiri. Heic quoque magis insistendum circa dolorem et propositum efficax, quam circa materialem confessionis integritatem.

251. **Conclusiones.** — 1.ª Confiteamur ignorantiam nostram, etiam in pluribus materiis ad legem naturalem pertinentibus.

2.ª In instruendis publice fidelibus, sive pueri sint, sive adulti, doceamus ea tantum, quæ certa sunt: hoc autem magis per exempla fiat, quam per theorias; exempla vero secernantur, quæ magis practica sunt, et in quibus solutio ex doctrinis certis certa et clara sit.

3.ª In confessionibus fidelium excipiendis attendantur tria hæc: *a*) Fideles tenentur ea tantum peccata confiteri, quæ formaliter commiserunt; nempe eam malitiam, quam se committere cognoscebant in peccando: porro fideles malitiam peccatorum cognoscunt, non secundum theorias sive incertas, sive quandoque certas, theologorum, sed secundum sensum communem, quem, alii plus, alii minus, participant, et secundum doctrinas illas communes, quas parochi tradunt in catechesibus. Hoc autem valet, tum relate ad species diversas, tum relate ad numerum peccatorum, quæ commiserunt 47. — *b*) Quoad ipsam speciem et nu-

46) S. Ligorius *Num. 38, 39, Homo apost. III. 60;* D'Ann. *287, 13;* Ball. *299.*

47) D'Annibale *Num. 288;* Lehmk. *241.*

merum peccatorum commissorum, fideles, licet et illa et istum formaliter contraxissent, non tenentur sua peccata confiteri, nisi pro *sua* (non *confessarii*) capacitate. Ergo, etsi peccata specie et numero distincta admiserint, satisfaciunt suæ obligationi, si ea confitentur eo modo, quo valent; etiamsi hoc modo malitiam formaliter contractam non explicent sufficienter. — c) Itaque confessarius curabit pœnitentes pro eorum capacitate juvare quoad ea, quæ certa sunt, etiam ut eos possit præmonere pro futuro: at quoad ea, quæ certa non sunt, nihil debet a pœnitentibus exigere, etiamsi ipse doctrinam forte rigidiorem ut suam habeat.

CAPUT III.

DE CAUSIS PECCATORUM

252. Quamvis vera causa efficiens peccati sit ipsa voluntas humana libere a divina voluntate recedens [1]; tamen quandoque ipsa voluntas est sui peccati causa totalis, quandoque ea influxum patitur aliarum causarum, quæ ad peccandum alliciunt vel impellunt. Hinc peccata quædam dicuntur *peccata malitiæ;* eaque sunt, quæ unice ex perversa voluntatis deliberatione procedunt. Quædam vero dicuntur *peccata ignorantiæ,* quæ causam habent ignorantiam vel errorem, utique culpabilem. Demum quædam dicuntur *peccata infirmitatis,* quæ causam impellentem habent fomitem concupiscentiæ [2]; item pravos habitus ex iteratis sæpe actibus peccaminosis comparatos, occasiones externas, educationem, ac demum tentationes, quæ possunt esse a dæmone et a mundo excitantibus per sensus motus concupiscentiæ [3].

253. Evidenter ipsa obligatio non peccandi secum fert obligationem removendi causas allicientes vel impellentes ad peccandum. Ita perversitas voluntatis corrigenda est, præsertim meditatione divinorum judiciorum, juxta illud: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* [4]. Ignorantia removenda est diligenti rei inquisitione et consideratione. Infirmitas novis viribus roboranda est; tum directe, oratione ac frequenti sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ perceptione; tum indirecte, obsistendo cum gratia Dei internis et externis æternæ salutis adversariis.

Speciatim quædam notanda censemus: *a*) circa pravos habitus; *b*) circa occasiones periculosas.

1) Concilium Trident. *Sess. VI. De justificatione. Can.* 6. — Cf. Tanqu. *439.*

2) I. Jo. II. 16. — *Concupiscentia* triplex: *carnis* (circa cibum, potum et venerea); *oculorum* (circa scienda, luxum et divitias); *superbia vitæ* (circa honores). — Cf. S. Thomam *I. 2. Qu. 77 art. 4, 5.*

3) Cf. Tanquerey, *440-448.* — De tentationibus cf. etiam Marc *Num. 337, sequ.;* Noldin *322-324.*

4) Eccli *VII. 40.* — Cf. A. Lapide *In h. locum.*

ART. I. — De pravis habitibus

254. *Habitus*, late acceptus, est « propensio ad aliquid agendum ». Cum autem hæc possit esse, tum naturalis, tum acquisita, proprie hæc altera dicitur *habitus;* qui proinde definitur « animi dispositio ad aliquid agendum ex frequenti similium actuum iteratione acquisita ».

Hi habitus possunt esse, tum *intellectuales*, ut scientia, tum *morales*. Qui vero morales sunt, possunt esse, tum *boni*, ex actibus bonis acquisiti et inclinantes in bonum; tum *mali*, acquisiti ex actibus malis et inclinantes in malum; priores dicuntur *virtutes;* posteriores *habitus pravi* seu *vitia*, de quibus heic breviter agimus [5]. Itaque *habitus pravus* seu *vitium* est « proclivitas in aliquod genus peccatorum ex iteratis ejusdem generis peccatis acquisita ».

255. Habitus pravus, eo ipso quod est animi prava dispositio actibus malis iteratis comparata, considerari potest, sive in causa sua, seu in actuum malorum iteratione, sive in se ipso, seu in prava dispositione jam inducta: priori sensu dicitur habitus *in fieri;* altero habitus *in facto esse*, et strictissimo sensu *habitus*. Patet habitum proprie non induci omissionibus, nec actibus illis, qui nonnisi perfecta advertentia et voluntarietate fieri possunt; sed actibus illis, qui naturaliter et vi influxus ex habitu sequi possunt cum minore advertentia et voluntarietate. Ita non proprie habitus habetur in eo, qui solet diebus festis Missam omittere, diebus esurialibus carnes comedere; induci et proprie haberi potest in blasphemiis, imprecationibus, impudicitiis solitariis, ebrietatibus, etc. Hi habitus, pro minori vel majori actuum frequentatione, et simul pro leviori vel vehementiori propensione naturali, vario intensitatis et efficaciæ gradu induci possunt, ac ita minus vel magis corruptæ naturæ fragilitatem augere: quod si diutius animo insederint, quodammodo verti possunt in naturam; adeo ut maxime arduum evadat eosdem exuere [6]. Ille, qui jam pravum habitum contraxit, dicitur usu communi theologorum *habituatus* [7].

256. **Principia. I.** Qui frequenter iteret actum malum natura sua inductivum pravi habitus, præter reatum actus mali in se, contrahit reatum pravi habitus inducendi; dummodo hunc effectum saltem in confuso præviderit. Si enim hunc effectum prævidit, prævidere aliquo modo potuit peccata inde facile secutura.

II. Postquam quis pravum habitum contraxit, tenetur ipsum retractare et pro viribus emendare: secus in ipsa omissione retracta-

5) S. Thomas *I. 2. Qu. 49*, et *71*; D'Ann. *Num. 140;* Tanqu. *123, seqq.* Plura de his habet Descuret *Medicina delle passioni* (Milano 1858).

6) S. Thomas *I. 2. Qu. 58 art. 1.*

7) De ratione agendi a confessario cum habituatis, cf. nostrum *De judicio sacram. Num. 40-43.*

tionis et emendationis, tamquam *in causa*, imputandæ ei erunt futuræ legum transgressiones, aliquo modo prævisæ.

III. Si habituatus habitum pravum retractaverit et pro viribus emendare studuerit, quæ vi habitus fient legum transgressiones immunes erunt a reatu peccati *in causa*: eædem tantum imputandæ erunt habituato, quantum sunt ei hic et nunc voluntariæ *in se*, ac proinde ordinarie minus quam si fierent a non habituato.

257. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Juvenes et pueri, quos nimis frequenter audimus ex levitate blasphemias proferre ac iterare, certissime pravum animum blasphemandi contrahent. Tamen ab ejus reitate formali excusantur, eo quod illum generatim non prævident, vel de illo non cogitant.

2.ª Hunc pravum effectum non raro apud nos parit habitus (ex exemplo parentum et forte ipsius matris) erumpendi in phrases erga nomen Dei et Virginis parum reverentes. Phrases illæ in se possunt esse peccata venialia: at earum frequentia facile pariet habitum blasphemandi.

3.ª Hunc pravum effectum prævidere possunt ac debent puerorum parentes: hinc ipsi gravi obligatione tenentur filios a vitio adeo funesto deterrere et verbis et exemplo pro viribus coërcere; secus ipsis imputandus erit futurus filiorum habitus blasphemandi ac ejusdem habitûs consectaria.

258. *Ex Princ. II.* — 1.ª Ille, qui sciens suum pravum habitum, ipsum retinere velit, hic in hac ipsa volitione peccat, et insuper libere vult actus ex eo habitu provenientes; hi proinde sunt ei magis voluntarii et magis imputabiles, quam si fierent sine habitu; habent enim voluntarietatem, tu *in se*, tum *in causa*.

2.ª Qui habitum suum pravum, non quidem retinere velit positive, sed exuere non curet, hic quoque peccat peccato omissionis; etiamsi *per accidens* contingat habitum numquam transire in actum peccaminosum.

3.ª Obligatio exstirpandi pravum habitum infert obligationem adhibendi media ad hunc effectum necessaria. Ex istis, alia sunt communia, ut oratio et frequentia sacramentorum; alia cuicumque pravo habitui propria; hæc generatim reducuntur ad considerationem specialis turpitudinis pravi habitus, et ad proposita singularia et practica: ceterum obediendum in primis erit confessario 8.

259. *Ex Pric. III.* — 1.ª Dato quod habitus pravus mutatus veluti fuerit in naturam, eo licet detestato, fieri potest quod blaphemiæ, imprecationes et similia homini habituato erumpant prorsus inadvertenter: in hac hypothesi nullus ipsis inest reatus; sive *in se*, deficiente actuali advertentia; sive *in causa*, quippe quæ fuerat retractata.

8) Plura et præclara monita apud SALVATORI *Istruz. per i confess. novelli P. I.* — Cf. etiam SCAVINI II. *Num. 268;* LEHMK. II. *447, seqq.*

2.ª Practice rarus casus erit, quo peccata ex habitu absque ulla prorsus advertentia excidant 9: hinc ordinarie erunt peccata *in se*, at minus gravia; imo, et quæ ex genere suo gravia essent, ut blasphemiæ, imprecationes, etc., fieri possunt venialia.

3.ª Confessarius pœnitenti in peccatum aliquod habituato, plura quidem consulat; at ea tantum imponat, quæ ab eo moraliter præstari posse cognoscit; nempe, ut habitum detestetur et emendare studeat, ac ut, habitu nondum exstirpato, interim a pravis actibus pro viribus abstineat.

ART. II. — De occasionibus periculosis

260. *Occasio* dicitur « quidquid ab extra peccandi periculum præbet ». Hinc: *a*) occasio est persona, actio, vel res extra peccantem exsistens; non fragilitas, passio, habitus; dummodo *b*) ea præbeat periculum, non meram opportunitatem; et quidem *c*) periculum peccandi, non tantum tentationis subeundæ, nisi hæc adeo vehemens sit, ut ex ea periculum peccandi immineat ferme insuperabile 10. — Itaque peccandi periculum non est occasio, sed occasionis effectus; qui provenire quoque potest ab aliis causis, tum externis, tum internis.

261. Occasio ratione relationis ad subjectum, alia est *in esse*, alia *non in esse*. Dicitur occasio *in esse* ea, quam quis penes se habet, ex. gr., concubina, quam quis domi tenet: dicitur occasio *non in esse* ea, quæ subjecte abest; ex. gr., concubina in domo dissita a concubinario.

Ratione sui, occasio est *necessaria absolute*, quam quis removere prorsus non potest: est *necessaria moraliter*, quam quis removere non potest absque gravi detrimento suæ famæ, aut rei familiaris, aut pacis domesticæ, etc.: est *voluntaria*, quam quis facile potest removere.

Ratione periculi, occasio alia *proxima* est, alia *remota*. Dicitur proxima ea occasio, quæ præstat peccandi periculum moraliter certum, aut saltem adeo graviter probabile, ut numquam vel fere numquam homo in ea exsistens non peccet 11. Hoc dignosci aliquo modo poterit, tum *a priori* ex cognita occasionis natura et subiecti fragilitate, tum *a posteriori* ex præcedenti experientia; ex hac altera norma, dicenda est esse proxima ea occasio, in qua quis decies positus, octies aut septies peccaverat. Dicitur esse remota ea occasio, quæ periculum peccandi præstat tenuiter probabile vel leve; ut, si quis, decies in ea positus, nonnisi semel aut bis peccavit. — Patet *a*) inter occasionem proximam et remotam assignari non posse limites definitos adeo ut quidam inter utramque posuerint occasionem *propinquam*, quæ peccandi periculum præstat probabilem; ut, si quis, in ea decies positus, peccaverit ter vel

9) S. Ligorius *Lib. III. Num. 127*, item *Lib. V. Num. 4*; etc.

10) D'Annibale *Num. 172, 64*; Alberti *196, sequ.*; Verm. *452-456*. — Diserte Berardi *De recid. et occasionariis*. Vol. II. (Faventiæ 1887).

11) Cf. Genicot II. *371, 1*. — Huic definitioni non cohærent (nec ad apicem cohærent inter se) definitiones datæ a S. Ligorio *VI. 452*, et *Homo apost. Tract. ult. 1*. — Cf. Ball. *Tract. X. Sect. V. Num. 170*.

quater. Patet *b*) occasionem, quæ sit remota relate ad peccata mortalia, proximam esse posse velate ad venialia.

Occasio proxima potest esse talis *absolute* et *per se;* si, nempe periculum graviter probabile præstet ex natura sua, ac proinde pro omnibus. Erit vero proxima *relative* et *per accidens*, si illud præstet tantum alicui, ratione personali subjecti 12. Ita repræsentatio parum honesta viro delicatæ conscientiæ præstare potest periculum leve; puellæ in turpia proclivi grave vel gravissimum.

262. **Principia. I.** Qui versatur in occasione peccandi proxima et voluntaria (occasionarius), tenetur obligatione *per se* gravi eam physice removere, si est *in esse* : eam vitare, si *non in esse*. Hæc enim est unica via tuta ad vitandum peccatum.

II. Qui versatur in occasione peccandi proxima, et simul necessaria, non tenetur eamdem deserere; tenetur vero media adhibere, quibus, in ea occasione persistens, periculum ab ea præstitum removeat moraliter. Ratio proris est, quia nemo tenetur ad id. quod est moraliter impossibile, et aliunde occasio peccati non est peccatum, nec ad peccandum necessario cogit. Ratio alterius est, quia quisque tenetur omnino non peccare, ac proinde uti unico medio possibili ad non peccandum.

III. Nemo tenetur deserere occasiones remotas peccandi; tum, quia hoc est prorsus impossibile; tum, quia homo, in iis occasionibus persistens, poterit per media ordinaria removere periculum peccandi.

263. **Resolutiones.** — *Ex Pric. I.* — 1.ª Qui domi retinet ancillam cum qua sæpissime actibus luxuriæ, sive consummatis, sive non consummatis, peccavit, eam adhuc retinendo peccat; et quidem, etiamsi non continuo cum ea turpiter agat, imo et statuat deinceps ab omni actu turpi abstinere.

2.ª Graviter peccat, qui sine ulla necessitate domum alienam adeat, in qua habetur occasio pro ipso proxima peccandi : peccat vero, etiamsi non ad finem peccandi eo se conferat, imo et excludat intentionem peccandi.

3.ª Nec immunis est a peccato, qui ex mera curiositate libros legat lascivos, vel ephemerides turpia narrantes.

264. *Ex Princ. II.* — 1. Filiusfamilias, qui sæpissime cum ancilla peccavit, non tenetur sive domo abscedere, sive ancillam dimittere; neutrum enim potest : tenetur orare, a consortio præsertim privato illius an-

12) S. Ligorius *Num. 452;* Marc *1820.*

cilæ cavere, sacramenta frequenter suscipere, et alia media adhibere, quibus adhibitis poterit non peccare.

2.ª In eadem conditione est puella, quæ ad peccandum attrahatur lenociniis viri sororis suæ in eadem domo commorantis, et a qua ipsa omnino discedere non possit: hæc utique teneretur sororem monere; at sæpe monitio evadere potest, nedum puellæ molesta, sed et funestissima familiæ 13. Idem dicatur de uxore quoad fratrem mariti; etc.

3.ª Fere par est conditio juvenis vel puellæ, quem vel quam parentes cogant theatra vel cinematographa adire, in officina simul cum pravis sociis laborare ac proinde etiam conversari, jocari, etc.: item et illius puellæ, cui labor in ea officina sit unicum medium alendi se et matrem senem vel infirmam.

265. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si quis, visitando decies consanguineam, semel pravis desideriis consenserit, non tenetur a visitationibus præsertim ex convenientia debitis abstinere. Facilius tenebitur, si lapsus sit occasione postremæ visitationis; minus, si occasione visitationis anterioris.

2.ª Juvenis, rite in rebus fidei eruditus et piis praxibus in religione firmatus, adire potest scholas publicas, nedum areligiosas, sed et positive atheas; et hoc nedum ex impositione parentum, sed et ad finem consequendi diploma, quo dein litteras publice docere possit, artem medicam axercere, etc.

3.ª Quum hodie lascivitas feminea in viis nimis obvia sit, Titius non tenetur tota die domi permanere: egredi potest, nedum ad negotia peragenda, sed et ad ambulandum. Vir prudens a viis periculosionibus abtinere curabit; ut, et a quovis vel remoto periculo peccati mortalis caveat, et vel ipsa venialia, forte frequentia, devitet.

4.ª Occasionem proximam relate ad venialia omnes tenentur vitare sub levi; eamque certe vitabunt omnes, qui pie volunt vivere.

265. **Quæstiones**. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Ad quid teneatur qui versatur in occasione proxima peccandi moraliter necessaria?

Resp. Ejus obligatio alternativa est: aut occasionem deserat, subeundo incommodum quodcumque inde proveniens; aut adhibeat media, quibus, in ea occasione persistens, removere possit moraliter periculum peccandi. Ratio est, quia iste absolute tenetur non peccare; porro ad hunc finem alteutra via necessaria est. Ordinarie via efficacior illa est, qua amoveatur occasio; etiam ex eo, quod facile locus datur hallucinationi; proinde viam istam communiter proponat et urgeat, confessarius; at, si ea durior sit pœnitenti, confessarius consentire ei debet, ut, adhibitis mediis opportunis, periculum peccandi removeat moraliter 14. Hinc puella, quæ in famulatu periculum grave subeat amittendæ fidei vel morum honestatis, tenetur quidem famulatum deserere, si potest; et hoc

13) Alia occasionum hujusmodi exempla damus in Comment. *De judicio sacram. Num. 34-39;* item GENNARI *Consult. mor. XLII.*

14) S. LIGORIUS *Lib. V. Num. 63;* et alii communiter.

etiamsi in alia familia minus habitura sit stipendium: at, si hoc alterum sibi et matri alendæ futurum sit impar, tunc optio ei datur: aut a famulatu abscedat, aut in eo se contra pericula muniat, orando, sacramenta sæpe suscipiendo, a colloquiis quantum poterit abstinendo, etc.: orans enim et faciens quantum in se est, a Deo gratiam accipiet non labendi. Idem dicatur de juvene pericula hujusmodi habente in officio publico, de juvene vel puella in officina; item de filiis, qui a parentibus cogantur adire theatra, legere folia irreligiosa aut immoralia, frequentare scholas atheas.

Qu. 2. Quid, si occasio sit proxima omnino, et simul adeo necessaria, ut ea deseri non possit absque detrimento gravissimo, aut sine ipsius vitæ jactura?

Respondet S. Alphonsus: « Communiter affirmant Doctores non teneri pœnitentem occasionem (proximam) dimittere, si aliter grave damnum passurus sit: dummodo interim sit paratus uti mediis præscriptis... Ratio est, quia occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem peccandi » [15]. Itaque in eo casu, juxta ordinem divinæ providentiæ, adesse debent media aliqua, quibus adhibitis, homo in ea occasione persistens non peccabit: hæc ergo media adhibere tenetur.

Quid vero faciendum in hypothesi, quod nulla ejusmodi media exsistant? — Hypothesis nobis videtur ordini divinæ providentiæ contraria ideoque impossibilis. Ea data, S. Alphonsus cum aliis censet occasionem eam deserendam esse cum jactura etiam vitæ; quia homo tenetur cum omni jactura vitare periculum proximum peccati formalis [16]. Verum prudens confessarius non antea ad hoc remedium extremum adstringet pœnitentem, quam inefficacia esse cognoverit omnia media ad periculum removendum moraliter, tum quæ jam alias imposuerat, tum alia adhuc imponenda [17].

Qu. 3. Utrum semper peccet mortaliter, qui habet (vel adit) occasionem periculosam?

Resp. Res pendet ab ipsa majori vel minori gravitate periculi consentiendi, seu labendi in peccatum mortale.

1.° Si hoc periculum leve sit, et ideo occasio remota, certe non erit peccatum grave eam occasionem tenere vel adire. Ratio est, quia deserere omnes occasiones remotas impossibile est, et aliunde periculum peccandi leve est, et facile superabile mediis ordinariis [17 bis]. Hinc graviter non peccant, qui per urbem deambulent, qui absque necessitate exerceant mercaturam, qui teneant aut moderate quærant divitias, etc.;

15) S. Ligorius *VI. Num. 455;* cuiomnes posteriores consentiunt.

16) S. Ligorius *Lib. VI. Num. 457;* D'Ann. *Num. 172.* — Simul confer quæ dicimus *De judicio sacram. Num. 32.*

17) Cf. Ballerini V. *Tract. X. Num. 193, seqq.*, et ad Gury *443, 4.*

17) Idem cum proportione dicendum de periculo gravi peccandi venialiter. Cf. Lehmkuhl. Vol. II. *Num. 486.*

etsi inde aliquale sibi periculum prævideant. — Excipe casum, quo similes occasiones, *per se* remotæ, sint alicui graviter periculosæ *per accidens*, et ceu tales cognitæ.

2.° Si periculum labendi sit grave aut gravissimum, licebit in illa occasione manere, vel eam adire, ex causa vere gravi vel gravissima. Dicimus: si sit grave periculum *labendi in peccatum* seu *consentiendi;* non, si grave sit periculum habendi tentationem, experiendi motus inordinatos, vel etiam pollutionem. Qui illi periculo sese exponit absque causa proportionata, hic periculum amat; consequenter in illo peribit; seu, verius, jam periit amando periculum. Si vero justa et proportionata causa adest, non peccat, qui illi periculo sese exponit, intendens removere periculum consentiendi per alia media, per orationem, per pias cogitationes, per animi distractionem a re periculosa, etc. Tunc enim Deus, qui non adjuvat temere sese periculo exponentes, opem suam præstabit ei, qui ex justa causa occasionem non deserit [18]. In hujusmodi occasione versantur parochi et chirurgi, qui in suis officiis obeundis tentationes patiantur; item simplices confessarii, qui suum munus sine gravi sui vel aliorum detrimento deserere nequeunt; item juvenes et puellæ sese invicem moderate et modeste alloquentes ad finem contrahendi matrimonii: et hoc etiam in hypothesi quod aliquando, aut non raro, in ea occasione vere peccaverint.

3.° Demum, si proximum sit periculum, non quidem subeundi tentationem vel patiendi motus aut pollutionem, sed ipsum periculum consentiendi (quod quis nosse potest ex præcedenti experientia); adeo ut lapsus in peccatum prævideatur moraliter certus, ex nulla prorsus causa licebit illi occasioni sese exponere vel in eadem manere; ea deserenda est sub quocumque detrimento, sive suo, sive alieno. Ita a suo munere cessare debet confessarius, qui ex præcedenti experientia moraliter certo sciat se in delectationem veneream consensurum [19].

Qu. 4. Utrum peccet mortaliter, qui sine causa exponit se periculo probabili peccandi mortaliter?

Resp. Duplex habetur sententia. Quidam, quorum sententiam S. Alphonsus veriorem habet, *affirmant;* eo quod tunc adest periculum peccandi formaliter, quod omnino vitandum est; eadem ratione, qua omittenda est actio probabiliter mortifera sibi aut proximo [20]. Verum alii, re theoretice spectata, *negant*: admissa enim ea occasione probabiliter periculosa, adhuc probabile manet vitari posse peccatum adhibitis mediis ordinariis: quare, si quis statutum habeat hæc media adhibere, non videtur de temeritate et de gravi peccato damnandus propter admissam

18) S. Ligorius *Lib. V. Num. 63.*

19) S. Ligorius *Lib. VI. Num. 457,* et omnes. — Cf. Matth. *V. 29, sequ. XVIII, 8, sequ.;* Mr. *IX. 42.*

20) S. Ligorius *Num. 63;* D'Ann. *172, 69.* — Esset casus Thesis primæ de probabilismo.

eam occasionem [21]. Ceterum quidam ex his non excusant hujusmodi hominem a levi temeritate et a peccato veniali; imo addunt eum graviter peccare posse, si ad modum consuetudinis velit sine causa in illa occasione persistere, vel eam adire; fit enim moraliter certus quod aliquando peccabit. Sic de gravi peccato arguunt juvenem, qui pergere velit in consuetudine invisendi amasiam, cum qua frequenter peccavit, etsi sæpe in ea invisenda nihil turpiter egerit.

Qu. 5. Quomodo se geret confessarius cum occasionario, quem judicat velle sincere occasionem removere, at simul non remoturum timet?

Resp. Generatim quoad occasionem *in esse* exiget remotionem ante absolutionem: rarius quoad occasionem *non in esse*. Ceterum quæstio gravissima et practica; de qua suo in loco.

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS PECCATI

267. Duplex est classis effectuum cujuscumque peccati. Cum enim peccatum in se sit inordinatio, per quam homo divinam legem transgreditur, secum fert necessitatem cujusdam reparationis ordinis læsi; quæ non aliter fieri potest, quam per pœnam ab homine peccante subeundam. Hinc quidam effectus spectant ipsam inordinationem in se; quidam pœnam subeundam [1]. — Dicimus: *a)* de effectibus peccati mortalis; *b)* de effectibus peccati venialis.

ART. I. — De effectibus peccati mortalis

268. Quoad ipsam inordinationem peccati mortalis, primus ejus effectus est status permanens peccati, seu permanens aversio a Deo, vel *reatus culpæ*, qui communiter dicitur *peccatum habituale*. Hic status, in ordine actuali elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, secum fert privationem gratiæ sanctificantis, caritatis habitualis et amicitiæ Dei [2]; quæ privatio proprie dicitur *macula peccati* [3]. Ex hoc primo effectu peccati mortalis, duo aliis sequuntur: nempe impossibilitas merendi quidquam *de condigno*, et mortificatio omnium meritorum præcedentium. In hac misera conditione homo peccans manebit, quousque se ab eo statu non eripuerit sese justificans, sive per sacramentum *ex opere operato*, sive *ex opere operantis* per contritionem, seu per actum perfectæ caritatis [4].

21) Cf. Ballerini *Num. 343-345;* Gen. II. *372;* Noldin *318, Nota* pag. 357.

1) Agunt S. Thomas *1. 2. Qu. 85-89;* e recentibus Billot *Op. cit. Th. IV-X;* Tanqu. *468-471,* et *483-486;* Marc *339, 344;* Noldin *295-298;* Zanin. *293, 302.*

2) Concilium Trid. *Sess. VI. De justif. Cap. 15.*

3) S. Thomas *Qu. 86 art. 1, 2.* — Cf. Noldin *Num. 296.*

4) De remissione venialium per sacramenta agimus *Lib. IV. Num. 283.*

269. Consequens hujus reatus culpæ est reatur pœnæ æternæ. Hæc autem pœna duplex est, respondens duobus elementis inordinationis peccati; quæ sunt aversio a Deo, et conversio ad creaturas. Priori elemento respondet amissio visionis beatificæ, ac dici solet *pœna damni*: alteri respondet *pœna sensus*, seu cumulus malorum, quæ, pro majori vel minori gradu conversionis ad creaturas, magis vel minus peccatorem in altera vita torquebunt. Quod si peccator sese ante mortem justificaverit, remissa culpa, simul tollitur reatus pœnæ æternæ; ceterum nihil prohibet manere adhuc reatum pœnæ temporalis.

Huic effectui essentiali accedere possunt et alii; nempe, mala temporalia, quæ non raro a Deo hominibus immittuntur in punitionem peccatorum; eorum præsertim, quæ socialia fuerint. Nec raro fit, quod Deus in punitionem peccatorum homini subtrahat gratias efficaces; et exinde peccator in nova peccata labatur.

ART. II. — De effectibus peccati venialis

270. Cum inordinatio peccati venialis non sit proprie aversio a Deo, sed potius quædam diversio, ideo peccatum veniale infert quidem permanentem reatum culpæ venialis; at gratiam sanctificantem neque tollit neque minuit: hinc, qui est in gratia, si veniale aut plura et graviora venialia committat, nihil amittit ex eo gradu gratiæ sanctificantis quo antea potiebatur. Tamen peccatum veniale minuit fervorem caritatis actualis, seu animi promptitudinem ad ea, quæ Dei sunt; et hoc sensu maculam inducit, quatenus impedit nitorem illum, qui est proprius actuum ferventis caritatis in Deum.

Non raro alius habetur, et quidem funestior, effectus peccati venialis; præsertim, si deliberate et quadam frequentia committatur: quod, scilicet, viam paret ad peccandum mortaliter. Id duplici ex causa fieri potest: primo, quia, cum homo ita agens abutatur gratiis divinis, facile a Deo privabitur gratiis ulterioribus: secundo, quia ipsa peccatorum venialium frequentia sensim sine sensu augebit voluntatis propensionem ad peccandum, simul minuens horrorem erga peccatum. Ita, qui deliberate et absque causa soleat personis alterius sexus nimis esse familiaris, facile in peccata gravia sensualitatis et luxuriæ labetur. Nam « *qui spernit modica, paulatim decidet* »; et « *qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est* » [5].

271. Reatui culpæ respondebit necessario reatus pœnæ: at decedenti in statu gratiæ nihil de promerito gradu gloriæ detrahunt venialia, etiam plura et gravosa. Pœna autem *per se* æterna esse non potest, sed temporalis tantum; aut in præsenti vita luenda, aut in purgatorio.

Quid, si homo ab hac vita decedat reus culpæ venialis? — Si hic reatus conjunctum habet reatum culpæ mortalis, irremissibilis est: con-

5) Eccli *XIX. 1;* Luc. *XVI. 10.* — Hinc maxime curandum ut affectus ad venialia exstirpetur. S. Franciscus Sal. *Introd. alla vita devota P. I. Cap. 22.*

sequenter pœnam habebit æternam, non *per se*, sed *per accidens* 6. Si reatus culpæ solus sit, necessario erit remissibilis et remittendus; cum homo decedens in statu gratiæ sit certe admittendus ad fruitionem Dei. Juxta Doctorem Angelicum, hic reatus remittitur per actum caritatis, quo anima justi vix a corpore separata vehementissime fertur in Deum; cum vero hic actus nihil possit mereri, relinquit in anima reatum pœnæ luendæ in purgatorio 7.

CAPUT V.

DE PECCATIS INTERNIS

272. Quamvis peccatum quodcumque sit actus malus voluntatis, tamen dicuntur *peccata interna* illa, quæ facultatibus internis animæ perficiuntur, quin objective habeatur materialis transgressio legis. Hæc peccata, usu post S. Alphonsum satis communi, tria esse dicuntur: *desiderium, gaudium, delectatio morosa* 1; de quibus speciatim agendum, eo quod speciales præ se ferunt difficultates.

ART. I. — De malo desiderio

273. *Desiderium* in genere est « motus voluntatis in aliquid sibi conveniens ». Distingui potest duplex: Desiderium *optativum* movetur in rem *ut sit*, vel in actionem *ut fiat*: desiderium *activum*, seu desiderium proprie acceptum, est « motus voluntatis in actionem, ut faciendam a se », seu est propositum faciendi (vel omittendi) aliquid. Hinc tale desiderium semper efficax est: tamen usu communi, si propositum est absolutum, desiderium dicitur *efficax*: si est alligatum alicui conditioni non verificatæ, dicitur *inefficax*. Primum exprimitur formâ « faciam »; alterum formâ « facerem ».

Quia nobis agendum est de peccatis, ideo spectamus tantummodo ea desideria, quorum objectum sit actio (vel omissio) mala.

274. **Principia. I.** Desiderium, seu propositum actionis malæ faciendæ, est verum peccatum 1. At non est peccatum desiderium inefficax, si conditio, cui est alligatum, ab actione per se mala tollat quamcumque malitiam.

II. Desiderium pravum, sive efficax, sive inefficax, induit eam speciem theologicam et moralem malitiæ, quam habet ipsa actio mala facienda, sive ex objecto, sive ex circumstantiis. Ratio est, quia voluntas vult eam actionem, qualis est in concreto: excipe, nisi forte circumstantia quæpiam ignoretur.

6) S. Thomas *I. 2. Qu. 87 art. 5.*
7) S. Thomas *De malo Qu. 7 art. 11.*
1) S. Ligorius *Lib. V. Num. 15*, et *Homo Apost. Tract. III. 47.*

275. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui deliberate desideravit furari aut fornicari, etsi a reali furto vel fornicatione perpetranda impediatur, jam peccatum commisit. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* [3].

2.ª Eadem ratione peccavit, qui animo suo jam statuit: « furarer, nisi dominus adesset; fornicarer, si femina illa consentiret ».

3.ª E contra non peccat, qui secum statuat: « rem illam auferrem, nisi alterius esset; carnes hodie comederem, nisi lex Ecclesiæ obstaret ».

4.ª Peccat vero, qui statuat: « mœcharer, ulciscerer, nisi essem sacerdos: cum Titia fornicarer, nisi esset conjgata, nisi mihi esset neptis ».

5.ª Licite sponsus desiderare potest copulam habendam post matrimonium: At ab hujusmodi desiderio sponsi sunt deterrendi propter periculum [4].

275. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui furari desiderat, reus est malitiæ furti; qui fornicari, malitiæ fornicationis; qui hominem occidere, malitiæ homicidii. Hinc in confessione non sufficienter quis confitetur dicens: « adhæsi voluntarie desiderio malo »; addere debet quam actionem malam desideravit.

2.ª Item, qui desideravit fornicari cum consanguinea, cum conjugata, cum moniali, admisit et confiteri debet desideratum incestum, adulterium, sacrilegium: idem dic de eo, qui desideravit occidere patrem vel sacerdotem. Quod verum est, etiamsi prædicti mente sua voluerint a circumstantiis personalibus præscindere.

3.ª Si quis circumstantiam personæ quod sit consanguinea, etc., vel quod sit pater aut sacerdos, ignoraverit, circumstantiæ malitiam non contraxit, ut oppidum est.

276. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum licitum sit desiderium faciendi actionem malam sub conditione, si non esset prohibita?

Resp. Affimative in casu, quo conditio illa vere tollat ab actione totam malitiam; *negative vero* in casu, quo conditio malitiam non tollat, nisi aut ex parte, aut apparenter.

Porro, quod conditio vere tollat ab actione omnem malitiam, id fieri potest in iis, quæ prohibentur tantum jure positivo; hæc enim cessarent esse mala, si non adesset prohibitio. Hinc licite quis statuit: « hodie comederem carnes, nisi adesset Ecclesiæ prohibitio; hodie per integram diem automobili vel bicyclo ambularem, nisi Ecclesia præciperet Missam audiendam ». Idem contingere potest in iis, quæ prohibentur jure naturali hypothetico; cessante enim hypothesi, non sunt amplius mala. Hinc licite quis statuit: « has uvas comederem, nisi essent

2) Quod rustici (et cives) æstimare possint non esse peccata ea desideria, quæ opere non implentur, id parum probabile habet S. Ligorius *Lib. I. Num. 9.*

3) Matth. *V. 28.* — Cf. A Lapide *In hunc loc.*

4) S. Ligorius *Num. 24.*

alienæ, vel si dominus consentiret: occiderem inimicum, si Deus permitteret ».

Verum in iis, quæ prohibentur jure naturali absoluto, eorum malitia habet essentialiter adnexam prohibitionem; neque, hac per hypothesim sublatâ, cessant esse mala et consequenter illicita, nisi apparenter. Hinc jam reus est peccati, qui dicat: « blasphemarem, pejerarem, si id licitum esset: ulciscerer, si non esset peccatum » 5. Excipe, nisi historice dicat quod in ea hypothesi faceret.

Qu. 2. Utrum liceat desiderare (desiderio optativo) malum proximo ad finem bonum?

Resp. Affirmative; dummodo conditiones duæ habeantur. Prima est, quod inter malum ordinis physici proximo optatum et bonum intentum, sive ipsius proximi, sive sui ipsius, sive communitatis, sive tertiæ personæ, habeatur ea proportio, quam exigit ordo caritatis 6. Dicimus: inter malum *ordinis physici;* in nulla enim hypothesi licebit proximo optare peccatum, aut punitionem divinam in altera vita. Altera conditio est, quod intentio desiderantis tendat vere in finem bonum. Non enim raro fit, quod quis fucum sibi facere studeat; ac sub prætextu alicujus boni, puta, quod ipse proximus discat se melius gerere aut sese emendet, illi malum exoptet in odium et vindictam. Exempla plura confessariis suppeditat experientia.

ART. II. — De pravo gaudio

278. *Gaudium*, prout hic accipitur, est « voluntaria approbatio et complacentia de actione mala a se perpetrata ». Quandoque accipitur etiam pro approbatione actionis malæ perpetratæ ab alio; etiam pro complacentia deliberata, quod malum aliquod contigerit aut illatum fuerit alicui; puta Deo vel proximo. Juxta S. Thomam et alios, gaudium dicitur quoque de præsenti; et est « delectatio rationalis de bono concupito et adepto » 7.

Agimus hic de gaudio primo sensu accepto; ad hoc reducuntur quoque jactantia de peccato patrato, displicentia de non patrato, ac tristitia de peracto opere bono.

279. **Principium.** Gaudium de actione mala a se perpetrata peccatum est: hoc autem induit omnem eam malitiam, quam ipsa actio mala habuit, tum ex objecto, tum ex circumstantiis cognitis.

5) S. Ligorius *Homo Apost. Lib. III. Num. 40;* Lehmk. *253, sequ,* Plura et clara Ball. *Num. 61-65.*

6) Cf. Noldin *Num. 330.* — Quidam opinantur « posse patrem optare mortem filii, si timeat ex ejus flagitiis dehonestandam esse familiam ». S. Ligorius *Num. 21.*

7) S. Thomas *1. 2. Qu. 31 art. 3;* quem sequuntur Suarez et alii, apud Ball. *Num. 76, seqq.*

280. **Resolutiones.** — 1.ª Qui se jactat de peccatis olim in pueritia aut in adolescentia patratis, iterum peccat; et quidem, nedum peccato scandali, sed et peccato gaudii, seu novæ adhæsionis voluntatis ad peccata patrata.

2.ª Qui gaudet de fornicatione cum femina uxorata et sibi consanguinea, reus est malitiæ fornicationis adulteræ et incestuosæ. Item qui gaudet se occidisse sacerdotem, reus est malitiæ homicidii sacrilegi.

3.ª Qui doleat se non occidisse inimicum, reus est violatæ justitiæ in bonis vitæ; quod si inimicus simul erat ipsi consanguineus, aut sacerdos, reus quoque est violatæ pietatis aut religionis.

4.ª Qui in adulta ætate deploret se in pueritia aut adolescentia diebus festis Missam audivisse, sacramenta in Paschate suscepisse, dies abstinentiæ servasse, moribus et fidei christianæ adhæsisse, etc., peccat, et quidem peccatis specifice diversis, prout diversa essent ipsa peccata realiter contra prædictas obligationes perpetrata.

5.ª Eadem dicenda sunt de illis, qui approbent peccata aliena; qui aliena opera bona, quia bona, improbent ac deplorent: etc. Hi enim omnes vere diligunt actiones malas; et proinde « *facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt* » 8.

6.ª Quæ dicimus de gaudio, dicenda quoque sunt de delectatione, cujus objectum sit actio mala jam patrata. Usu enim satis communi fidelium ac theologorum, circa actionem præteritam indiscriminatim dicuntur *gaudium* ac *delectatio*.

281. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum liceat, gaudere (vel delectari delectatione rationali) de actione vel omissione mala a se admissa inculpabiliter?

Resp. Quæstio implexa, in qua non una est theologorum sententia 9.

De ipsa actione vel omissione in seipsa videtur illicitum esse gaudere; eo quod ipsa est vera legis transgressio, et ideo objective et in se mala est, licet *per accidens* non sit peccaminosa formaliter. — Hinc: *a*) De actione vel omissione mala intrinsece et absolute numquam quis gaudebit licite, ut numquam quis licite eam desideraret. Ita non licebit de pollutione habita in sommo gaudere propter seipsam vel propter ipsi insitam delectationem. — *b*) Nec licebit umquam gaudere de actione mala intrinsece hypothetice; excepto casu, quo, deficiente hypothesi, cesset ipsius malitia intrinseca. Ita non licebit gaudere de occisione inimici in seipsa, quæ a se patrata fuerit in ebrietate. — *c*) Ea, quæ prohibentur jure positivo, cessant esse mala, cessante prohibitione. Hoc autem contingere potest dupliciter; nempe, quando quis a legis auctoritate se jure subduxerit, et quando legislator ipse propter incommodum implectioni legis adnexum extrinsece non intendit obligationem urgere: in hisce

8) Os. *IX. 10.* — Non faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores ». S. AUGUSTINUS *Epist. 52 ad Macedonium.* Cf. A LAPIDE *In Osee loc. cit.*

9) Cf. BALLERINI *Num. 152-158*, et ad Gury *172.*

enim casibus actio legi contraria non est legis transgressio, ac proinde non est mala. Ita Romanus, qui primis diebus Quadragesimæ versetur Mediolani, licite gaudet, quod possit carnes comedere, et quidem quantum et quoties vult. Item sacerdos, qui, admisso peccato mortali, propter necessitatem celebrandi cogitur ante Missam omittere confessionem unice ex eo, quod casu a paroecia abscessit cooperator, cui nonnisi cum magna verecundia confiteretur, licite gaudet quod absque confessione possit Missam celebrare 10. *d) Verum,* si et in his actio vel omissio maneat objective seu materialiter mala, atque a malitia formali immunis sit unice propter ignorantiam invincibilem aut inadvertentiam, non videtur licitum esse de eadem in seipsa gaudere 11: esset enim gaudium de admissa a se transgressione legis, quæ in se mala est, ac ab imputatione formali tantummodo immunis est *per accidens* 12. Ita non videtur licite quis gaudere de omissa a se auditione Sacri propter ignorantiam vel inadvertentiam diei festi.

Evidenter non est per se malum, quod quis delectetur de modo novo vel ingenioso, quo actio mala, etiam formaliter, peracta fuit; qua restrictione *laudavit Dominus villicum iniquitatis.* At hæc delectatio in lubricis non caret periculo.

Qu. 2. Utrum de actione vel omissione mala (sua vel aliena) liceat gaudere propter bonum effectum inde secutum?

Resp. Si actio illa (vel omissio) fuit mala formaliter, *negative*: sicut enim causalitas hujus effectus boni non potest efficere ut liceat eam velle vel desiderare, ita nec efficere potest ut liceat de ea gaudere 13. Si vero fuit mala mere materialiter, censemus licitum de ea gaudere, prout causativa est effectus boni, seu gaudere de ipsa propter effectum bonum 14; cum actio illa Deum non offenderit, nec agentem fecerit moraliter malum. Ita, si quis die festo ad Missam audiendam ex inadvertentia diei festi non accesserit, et tempore Missæ ecclesia terræmotu corruens fideles oppresserit, licite gaudere potest, quod, nihil peccans, vitam servaverit. Ita licite quis gaudere potest, quod in ebrietate inimicum pacis publicæ interfecerit; imo et licite quis gaudere potest de habita in sommo pollutione, quatenus ea naturam exoneravit 15, ac ita ipsum liberavit a periculo pollutionis voluntariæ facile habendæ in vigilia.

Dices: Cur itaque damnata fuit ab Innocentio XI sequens *Propo-*

10) Adverte gaudium dici quoque posse de bono præsenti.

11) S. Ligorius *Num. 20,* et *Homo apost. III. 52, 54.*

12) Nec opus est de ea actione vel omissione pœnitere; quippe quæ Deum non offendit: De Lugo, apud D'Ann. *Num. 277, 26.*

13) S. Ligorius *Num. 20;* item alii, apud Ball. *Num. 109-113.*

14) Ita Noldin *Num. 332, 4;* qui id affirmat, etsi actio mala fuerit *formaliter.* Cf. et Ball. *Num. 114-120.*

15) Nec videtur distinguendum inter pollutionem mere naturalem, et eam quæ evenerit ex turpi somnio. Cf. Ball. *Num. 121-126.*

sitio: « Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas » ?

Respondeo: Hujusmodi gaudium illicitum est, non modo, quia videtur esse de ipso parricidio, sed potissimum et certe, quia contraria est ordini caritatis; ex quo capite ne licitum quidem esset gaudere de morte patris naturali 16.

Patet omnino et semper licitum esse gaudere de bono effectu in seipso; hoc autem, etiamsi causam habuerit actionem malam formaliter, sive alienam, sive suam. Ita de peccato protoparentum, certe formali, Ecclesia canit: « O felix culpa ! ». Hinc et qui Missam die festo omisit culpabiliter, gaudere licite potest de vitata ex hoc peccato jactura vitæ.

Qu. 3. Utrum peccatum sit tristari de bono opere peracto ?

Resp. Si opus erat obligatorium, *affirmative;* et quidem peccatum est grave vel leve, prout gravis vel levis erat illius operis obligatio. Si opus non erat obligatorium, plures affirmant adhuc esse peccatum veniale tristari de eo, propter quamdam inordinationem hujus tristitiæ. Ceterum, si justa adsit causa tristitiæ, vel hæc referatur ad adjuncta incommodi vel laboris illi operi adnexi, nullum aderit peccatum. Ita non peccat, qui tristetur de emisso a se voto perpetuo, quod nunc servare nimis est molestum: nec ille, qui tristetur de largitis abundantius eleemosynis, ex quo ipse lapsus est in egestatem.

Qu. 4. Utrum fieri possit, quod quis de damno alterius gaudeat, et ideo peccet, sub uno respectu, minime vero sub alio ?

Resp. Affirmandum esse videtur; cum in hoc casu gaudium proprie sit approbatio et delectatio, hæc vero spectare possit objectum sub uno tantum respectu. « Sane, si Orosius audiens Vatinium clericum vulneratum esse, gaudet quia turbulentus homo est ille Vatinius, ægre tamen ferens quia clericus est, sacrilegii Orosium damnare perdurum esse videtur 17.

ART. III. — De delectatione morosa

282. *Delectatio* in genere est « complacentia voluntatis in aliqua re per imaginationem exhibita ut præsente, sine desiderio actionis malæ exsequendæ ». Ceterum ipsum quoque gaudium de bono possesso dici potest et dicitur delectatio de ipso, ac de eo dicimur, sive delectari, sive gaudere.

Cum objectum complacentiæ possit esse, tum res bona, tum res

16) Hinc damnatæ ab Innocentio XI: *Prop. 13*: « Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum ». *Prop. 14*: « Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas ». — Cf. Noldin *Num. 332, Nota.*

17) D'Annibale *Num. 276, 29.* — Cf. et S. Lig. *Lib. III. 475*, et *V. 15.*

mala, nobis de altero tantum casu agendum est. Hæc itaque delectatio in re mala tunc habetur, cum quis sibi imaginatur actionem malam, ex. gr., occisionem inimici, turpitudines cum femina; in ea autem imaginatione sibi complacet, ac si illam exsequeretur, licet nullum habeat propositum exsequendi. Hujusmodi delectatio dicitur *morosa;* non proprie a mora temporis, sed a mora voluntatis, quæ illi deliberate adhæret ac immoratur 18. Eo ipso quod hæc delectatio residet in voluntate, ea dicitur *rationalis* vel *spiritualis;* ut distinguatur a delectatione *sensibili,* quam habent visus, auditus, tactus ceterique sensus circa proprium objectum: illa propria est homini; hæc communis etiam brutis. — Hic proprie agimus de delectatione morosa rationali.

283. **Principium.** Delectatio morosa de re mala peccatum est; hoc autem habet omnem speciem theologicam et moralem malitiæ, quam ipsa res mala habet ab objecto, circa quod versatur; insuper habet et eam, quam res mala habet ex circumstantiis objecti, si circa ipsas quoque delectatio versetur.

284. **Resolutiones.** — 1.ª Nedum imaginatio, sed et ipsa cogitatio voluntaria de re mala, non est mala *per se,* ergo *per se* nec mala est delectatio de ipsa cogitatione 19: at periculum habetur, præsertim in re lubrica, quod hæc delectatio trahat, vel traxerit, ad delectationem de ipsa re cogitata. Quare cum iis, qui (etiam clerici) avide legunt tractationes de fecundatione artificiali, de abortu, de vasectomia, etc., confessarius ad singulorum conscientiam habitualem attendat, et generatim in partem severiorem inclinet.

2.ª Nec est *per se* peccatum delectatio de forma lepida, qua actio mala, ex. gr., romanensis fabella, narratur aut scripta legitur, tamen hæc quoque delectatio, præsertim in re lubrica, periculo non vacat. Periculo facilius vacat narratio vel scriptio lepida de furto, de fraude, de homicidio, etc.

3.ª Qui delectatur de imaginaria occisione inimici sui, et de imaginaria turpitudine, duplex et specifice diversum committit peccatum; unum contra justitiam, alterum contra pudicitiam.

4.ª Qui delectatur de imaginario coitu cum uxorata, certe peccat contra castitatem; peccat etiam contra justitiam, si et de ea circumstantia delectetur quod femina sit uxorata 20.

5.ª Verum vir uxoratus, vel sacerdos, qui delectetur de fornicatione,

18) Thomas *1. 2. Qu. 74, art. 6.*

19) S. Thomas *1. 2. Qu. 74 art. 8;* S. Lig. *Num. 17;* Ball. *83-106.*

20) Si in hac delectatione habeatur periculum proximum desiderandi saltem inefficaciter talem feminam, quidam censent circumstantiam delectationis de adulterio in confessione esse explicandam; quorum opinio placet etiam S. Ligorio *Num. 15.* Ceterum tale periculum non necessario inest delectationi, nec semper advertitur. Cf. Lehmk. *Num. 255, 2;* Marc *357.*

certe reus est, ille adulterii, hic sacrilegii: nec immunis est a peccato parricidii filius, qui delectetur de imaginaria occisione patris.

6.ª Delectatio de re leviter mala evidenter est peccatum veniale; ita leviter peccat puella, quæ deliberate delectetur de confabulatione leviter mala cum amasio, vel de joco parum honesto, et similibus.

7.ª De delectatione morosa in re turpi fideles confiteri solent dicendo se habuisse pravas cogitationes. Quamvis vero in peccatis luxuriæ non detur parvitas materiæ, tamen, ut in prædicta confessione intelligendum sit peccatum mortale, necesse est quod tria concurrant: gravitas turpitudinis in re cogitata, plena advertentia ad eamdem, et plena voluntatis adhæsio, seu deliberata complacentia ad ipsam rem turpem cogitatam. Quæ tria singulis casibus æstimanda sunt, attendendo ad ipsam rem accusatam, ad modum accusandi et ad conscientiam pœnitentis.

8.ª Cum saltem probabile sit non differre specifice delectationes de objectis specie diversis in venerea, ut essent fornicatio, sodomia, bestialitas, etc., confessarius a pœnitente delectationes hujusmodi confesso quæret utique num et acceserint desideria; sed, accepto responso negativo, quæret de numero approximativo delectationum, at nihil de earum objectis 21.

9.ª Item, si quis confiteatur se fovisse pravas cogitationes, et confessarius pervideat agi de materia luxuriæ, non nimis insistat, ut pœnitens distinguat inter gaudia et delectationes: sæpe enim pœnitentes hæc ignorant 22. Forte extundere poterit, num pœnitens desiderio de re turpi consenserit.

285. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* — Utrum sponsis ac viduis liceat delectari de copula futura vel præterita?

Resp. Certe eis non licet delectari delectatione sensibili et carnali: quippe quæ in eo statu mala est. Insuper certe est ipsis valde periculosa ipsa delectatio rationalis; cum nimis facile secum trahat sensibilem et carnalem: quapropter, tum sponsi, tum vidui, ab ea sunt omnino deterrendi. Utrum vero ea delectatio rationalis mala sit ratione sui, disputatur. Id affirmat S. Alphonsus; eo quod objectum ipsum præsens fiat in tali delectatione eo tempore, quo copula mala est 23. Verum alii negant, et quidem quamplurimi, et jure. Nam objectum talis delectationis *per se* malum non est; fit enim præsens voluntati per intellectum sub conditione tollente ab eo omnem malitiam 24.

Qu. 2. Utrum conjugibus liceat de copula delectari, altero conjuge absente?

Resp. Conjugibus, nedum illicita non est delectatio rationalis, sed probabiliter ne ipsa quidem delectatio sensibilis et carnalis; modo periculum absit pollutionis. Id probabile habet ipse S. Alphonsus 25.

21) Genicot *Num. 175;* alii apud Ojetti v. *Delectatio;* Lehmk. *256.*
22) Cf. Berardi *Num. 52, sequ.;* Genicot *171, Qu. 1;* Ball. *139, segg.*
23) S. Ligorius *Num. 24,* et *Homo apost. Tract. III. 51;* Marc *3 57 Qu. 4.*
24) Cf. Ballerini *Num. 139-151;* Gen. *174;* Zanin. *309, 1.*
25) S. Ligorius *Num. 25.*

CAPUT VI.

DE PECCATIS SEU VITIIS CAPITALIBUS

286. Peccata *capitalia* dicuntur illa, quæ aliorum veluti *capita* sunt; quatenus illa ad hæc ex proprio singulorum fine impellunt [1]. Quia vero hanc vim habent, non proprie prout sunt actus peccaminosi, sed potius prout sunt propensiones ad peccandum actibus repetitis inductæ, ideo, potius quam peccata, dicuntur *vitia* capitalia.

Hæc vitia post S. Gregorium Magnum et S. Thomam numerantur septem: *Superbia* [2], *avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia.* Non est autem necessarium, quod omnia sint mortalia; cum « etiam ex veniali possit mortale oriri, in quantum veniale disponit ad mortale » [3]. Ea peccata, vel vitia, quæ a proprio vitio capitali nascuntur, dicuntur *filiæ* ejusdem [4].

ART. I. — De superbia

287. *Superbia* definitur « appetitus inordinatus propriæ excellentiæ ». Inordinatio autem in hoc est, quod quis per voluntatem tendat supra id « quod est » [5]. Quare, quod quis voluntate feratur in id quod est proportionatum sibi, in hoc non est superbia, sed appetitus rectus pertinens ad virtutem magnanimitatis [6]; dum, quod quis appetat supra id, quod est sibi proportionatum nec conforme regulæ rationis divinitus informatæ, in hoc est superbia; quæ, eo ipso quod adversatur regulæ rationis, est peccatum.

Superbia distinguitur duplex. Dicitus superbia *perfecta* ea, qua quis adeo appetit propriam excellentiam, ut Deo ejusque præceptis subesse nolit: hæc evidenter est peccautm mortale; cum sit actus contemptus Dei [7]; quo contemptu continetur quoque contemptus eorum, qui nobis loco Dei sunt. Dicitur superbia *imperfecta* ea, quæ absque prædicto contemptu suam excellentiam appetit inordinate, se pluris esse volens quam sit. Hæc *per se* peccatum veniale non excedit, ut communiter censent Doctores: evadere posset mortale *per accidens;* sive, quia caritatem lædat, alios contemnens; sive, quia conducat ad gravia, ex gr., ad iram, ad blasphemias, ad imprecationes, etc.

1) S. Thomas *1. 2. Qu. 84, 3,* et *2. 2. Qu. 117, 7,* et *De malo Quæst. 8.*

2) S. Gregorius *Moral. Lib. XXX. Cap. 45* ponit *superbiam* ut primam omnium vitiorum radicem et reginam; ita etiam S. Thomas *1. 2. Qu. 2, art. 4*: uterque primum e septem vitiis ponit *inanem gloriam.* — Tamen communis usus habet ut primum e vitiis *superbiam.*

3) S. Thomas *Qu. 132, art. 4 ad 3m.*

4) S. Thomas *Qu. 132. art. 5.*

5) S. Thomas *Qu. 162, art. 1.* Cf. Lessium *De just. et jure Lib. IV. Cap. IV Num. 59-76,* Reuter *Neoconf. Num. 48, seqq.;* Lehmk. *733-735,* et *Casus 147-151;* Noldin *336;* Alberti *Num., 201-203.*

6) S. Thomas *ibid.* et *De malo Qu. 8 art. 2.*

7) S. Thomas *2. 2. Qu. 162 art. 4, 5;* Lessius *Num. 68.* — Cf. Palmieri, apud. Ball. *350 sequ.;* Zanin. *312;* Gen. *177.*

288. Filiæ superbiæ ponuntur tres [8]: 1.ª *Præsumptio,* qua quis ex immodica sui æstimatione vult aggredi aliquid ultra suas vires. *Per se* est peccatum veniale; fieri posset mortale ob injuriam in Deum vel in proximum; puta, si quis non vocatus ascendat ad Ordines sacros, si medicum agere velit absque peritia.

2.ª *Ambitio;* quia quis appetit honores sibi indebitos vel honores debitos appetit mediis indebitis. Hæc quoque *per se* est peccatum veniale; fieri posset mortale, si honores quærat, vel ex actionibus graviter malis, vel per media graviter mala. — Moderatus honorum appetitus per media honesta, præsertim si sit ad finem bonum, non est ullo modo peccatum.

3.ª *Vana gloria;* qua quis inordinate cupit suæ excellentiæ manifestationem, et inde aliorum hominum laudes et æstimationem [9]. Hujusmodi gloria dicitur *vana,* quando captatur ex re eam non merente, ex. gr., ex opibus, ex vestibus, etc.; aut quæritur penes homines non recte de meritis judicantes, aut ad levitatem. Hæc quoque *per se* est peccatum veniale. Committitur autem: *a) jactantia,* si ea gloria captatur verbis; *b) ostentatione,* si factis vel signis, ut per exteriorem pompam; *c) hypocrisi,* si simulatis virtutibus aut operibus bonis [10]. Alia quoque peccata ex vana gloria sequi possent indirecte; nempe: *pertinacia, discordia, contentio, inobedientia.*

289. Remedia præcipua contra vitium superbiæ quatuor sunt [11]: 1.m Consideratio propriæ infirmitatis; ad quam juvare potest suorum peccatorum et defectuum et errorum seria et sincera recogitatio. — 2.m Consideratio inanitatis earum dotum, in quibus nostram excellentiam reponimus; item vanitatis gloriæ apud homines. — 3.m Consideratio humilitatis Christi; *qui, cum in forma Dei esset,... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens;.... humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* [12]. — 4.m Demum juvabit ea sæpe meditari, quæ in Scripturis sacris intimata sunt superbis, quæ humilibus promissa [13].

ART. II. — De avaritia

290. *Avaritia* est « appetitus inordinatus bonorum temporalium » [14]. Quod enim quis divitias appetat ad finem honestum, puta ad providendum familiæ, ad benefaciendum aliis, et consequenter eas quærat se-

8) De his S. Thomas *2. 2. Qu. 130-132.* — Cf. et Marc *Num. 361.*

9) Ex S. Thomas *1. 2. Qu. 84, art. 2,* hæc *inanis gloria* esset primum e vitiis capitalibus.

10) Hypocrisis, qua quis simulet sanctitatem (statum gratiæ) cum voluntate non habendi, est peccatum mortale. S. Thomas *2. 3. Qu. 111 art. 4.*

11) Fusius et clare Tanquerey *Num. 510-521;* Reuter *53;* Marc *361.*

12) Philipp. *II. 6-8.* — Præclara habet A Lapide *In hunc loc.*

13) Cf. Eccli *X. 8. 15-21* Ps. *XVII. 27;* Matth. *XXIII. 12* Luc. *XIV. 11* Jac. *IV 6;* I Petr. *V. 5.*

14) S. Thomas *2. 2. Qu. 118,* et *De malo Qu. 13;* Lessius *Lib. II. Cap. XLVII. Num. 59.*

cundum mensuram finis, nihil mali est: at quod eas *aveat*, seu appetat ut finem vel ultra mensuram honesti finis, hoc peccatum *per se* opponitur virtuti liberalitatis; cujus est amorem pecuniæ moderari, ideoque animum proclivem reddere ad eam largiendam: proinde *per se* est peccatum veniale. Fieri potest mortale *per accidens;* sive contra caritatem sui, si quis in divitiis suum ultimum finem constituat; sive contra justitiam, si quis ex earum cupiditate sibi aliena arripiat aut retineat; sive contra caritatem erga proximum, si quis eidem in gravi necessitate constituto non subveniat.

291. Filiæ avaritiæ sint: 1.ª *Inquietudo*, seu avida sollicitudo in acquirendis ac servandis divitiis. — 2.ª *Obduratio cordis* erga indigentes, seu immisericordia. — 3.ª Insuper avaritia impellere potest ad peccata etiam gravissima; cujusmodi esse possunt *fraudes, violentiæ, rapinæ, furta, perjuria*, etc. Quin et effectus fuit avaritiæ *proditio* Judæ.

292. Remedia efficacia præbebit in primis consideratio nullitatis bonorum temporalium; tum, si spectentur in se, tum, et maxime, si spectentur in relatione ad bona spiritualia et æterna. — Insuper plurimum juvabunt monita Christi, et præmia ab eo promissa misericordibus, et damna avaris prænuntiata [15]. — Denique præ oculis semper habendum ipsius Christi exemplum; qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus.

ART. II. — De luxuria

293. Luxuria est « inordinatus appetitus venereorum ». Objectum hujus peccati est delectatio venerea; cujus appetitus (et usus) tunc est inordinatus, cum quæritur absque ordinatione delectationis in finem suum, qui est generatio prolis et genitæ prolis educatio. Cum hujusmodi delectatio inordinata graviter et necessario obstet fini gravissimi momenti, ideo luxuria, si sit deliberata, est peccatum mortale *ex toto genere suo*. — De eo agimus alibi. Verum, cum facillime hoc peccaum evadat vitium, ideo breviter dicendum de peccatis, quæ ex illo nascuntur.

294. Filiæ luxuriæ octo numerantur a S. Thoma: quatuor sunt ex parte intellectus, totidemque ex parte voluntatis; hujus enim vitii proprium est, ut maxime superiores animæ vires deordinet [16].

1.° Ex parte *intellectus*, habentur: *a*) *cæcitas mentis*, qua luxuriosus a rebus cælestibus percipiendis impeditur; *b*) *præcipitatio*, qua sine consilio operatur; *c*) *inconsideratio*, qua ea, quæ decent, nihil attendit; *d*) *inconstantia*, qua a piis propositis mox decidit.

2.° Ex parte *voluntatis*: *a*) *Amor sui*, quo luxuriosus propter voluptа-

15) Cf. Matth. *VI. 19, 20, 24. 33;* Luc. *XII. 17-21;* XVI. 16; II. Cor. VI. 10.

16) S. Thomas *2. 2. Qu. 153 art. 5;* Lessius *Lib. IV. Cap. III. 41-44.* De damnis in ordine physiologico et sociali cf. Descuret *Medicina delle Passioni P. II. Cap. VI.*

tes carnis seipsum, non Deum, suarum actionum finem facit; *b*) *odium Dei*, quo a Deo peccatorum suorum osore et vindice abhorret; *c*) *affectus præsentis sæculi*, quo paratus est abdicare æternam beatitudinem, ut terrenis bonis fruatur; *d*) *horror sæculi futuri*, quo voluptatibus infixus mortem cogitare horrescit, utpote quam videt viam esse ad mortem æternam.

295. Remedia contra luxuriam duplicis generis sunt: 1.° Negativa: *a*) Fuga otii; *multam enim malitiam docuit otiositas; b*) fuga ebrietatis, nam *in vino luxuria; c*) abstinentia a lectionibus et a repræsentationibus parum honestis; *d*) fuga ab occasionibus, quæ cuique propriæ et personaliter periculosæ sint; generatim vero (pro viris) vitatio mulierum, nam *a muliere iniquitas viri* 17.

2.° Positiva: *a*) Oratio frequens, *quoniam aliter continens esse non possem, nisi Deus det; b*) frequens susceptio sacramentorum, tum Pœnitentiæ (generatim apud eumdem confessarium), tum præsertim Eucharistiæ, quæ est *frumentum electorum et vinum germinans virgines* 18; *c*) sincera et ardens devotio erga Virginem Immaculatam; *d*) custodia sensuum et propriæ carnis mortificatio 19.

ART. IV. — De ira seu iracundia

296. *Ira* seu *iracundia*, et passio potest esse, et peccatum seu vitium. Prout est passio, est motus appetitus sensitivi in vindictam; qui motus si regulatur ratione, ira bona est, et appellatur *ira per zelum* 20: ea incensus, Christus ejecit a templo mercatores. Quod si motus ille ordinem rationis excludat, tunc ira mala est, et vocatur *ira per vitium. Itaque ira*, prout est peccatum, definitur « appetitus inordinatus vindictæ ». Hæc inordinatio haberi potest: *a*) ex parte *objecti*, si quis appetat vindictam non justam; *b*) ex parte *modi*, si quis vindictam justam nimis avide appetat, vel iram suam nimis manifestet 21. In primo casu ira est peccatum mortale *ex genere suo*: in altero *per se* est veniale; at fieri potest mortale *per accidens;* ex. gr., ex fine, si quis lædat caritatem appetendo vindictam ex odio; vel ex circumstantiis, si accedant blasphemiæ, convicia, rixæ, scandala 22.

297. Plures sunt filiæ iræ. — 1.° Aliæ sunt in corde: *a*) *indignatio*, qua quis exardescit, reputans se ab alio tractari indigne; *b*) *tumor mentis*, quo quis vias excogitat ad sumendam vindictam. Prior *per se* est

17) Eccli *XXXIII. 29;* Prov. *VII10-27, XX. 1;* Eph. *V. 18;* etc.
18) Sap. *VIII. 21;* Zach. *IX. 17.* — Cf. A Lapide *p. l.*
19) Cf. S. Ligorium *Lib. V. Num. 8;* Scavini *I. 803, 926;* Reuter *64.*
20) S. Thomas *2. 2. Qu. 158 art. 1. 2;* Ball. *Num. 399-401.*
21) S. Thomas *Qu. 158 art. 3,* et *De malo Qu. 12;* Lessius *Lib. IV. Cap. IV. Num. 24.*
22) Quidam objectum iræ ponunt etiam *quasi-vindictam;* qua quis exardescat contra entia irrationalia aut inanimata, puta contra equum, cultrum, calamum, etc.

peccatum veniale: altera erit peccatum mortale, si quis vindictam sumere cogitat ultra justam, vel ad finem graviter malum.

2.° Alii sunt in ore: *clamores, blasphemiæ, contumeliæ, imprecationes.* Clamores *per se* sunt peccatum veniale; blasphemiæ mortale *ex toto genere suo;* contumeliæ et maledictiones mortale *ex genere suo.* De hisce postremis: « Ut maledictio sit peccatum mortale, tria requiruntur: ut malum prolatum vere optetur; ut optetur cum perfecta deliberatione; ut malum optatum sit grave » 23.

3.° Aliæ sunt in opere: *rixæ, pugnæ, seditiones, vulnera,* etc.; de quorum gravitate judicandum erit in singulis casibus.

298. Præter remedium universale, quod est oratio, remedia contra iram particularia traduntur a scriptoribus de re ascetica. — 1.° Profecto juvabunt in primis remedia *præventiva*: *a*) Contemplatio mansuetudinis Christi, qui nos et verbis et exemplis ad hanc virtutem provocavit 24; item *b*) certamen numquam intermissum adversus ipsum habitum irascendi, præsertim, si sit ex naturali complexione ingenitus. Insuper *c*) opus erit motus iræ nascentes cohibere, et actus contrarios elicere mansuetudinis et patientiæ; simul vero in actuali impetu iræ nihil agere vel dicere, ante quam ille penitus evanuerit.

2.° Insuper ad vitium exstirpandum, vel saltem mitigandum, proderunt remedia *curativa;* speciatim, quod iracundus, quoties in actus iracundiæ vel invitus proripuerit, seipsum moderate castiget; et quidem proportionate ad lapsuum numerum et gravitatem 25.

ART. V. — De gula

299. *Gula,* generice accepta, est « inordinatus appetitus cibi vel potus ». Inordinatio in hoc est, quod quis cibum vel potum appetat contra ordinem rationis; qui est ut cibus et potus sumantur ad conservationem vitæ, et valetudinis. Qui hunc ordinem servet, agit bene et, si est in gratia, meritorie; qui violet, sive sumendo cibum et potum non conducentem ad finem debitum, sive hunc finem excludendo, peccat peccato gulæ.

Gula opponitur duabus virtutibus adnexis virtuti temperantiæ; nempe abstinentiæ et sobrietati: illa moderatur appetitum et usum cibi et potus non valentis inebriare; hæc appetitum et usum potus natura sua inebriantis: contra illam peccatur inordinata comessatione, seu gula specifice dicta; contra istam peccatum ebrietate. Utramque vetat Apostolus: *Non in comessationibus et ebrietatibus* 26.

23) S. Ligorius *Lib. V. Num. 38,* ex S. Thoma *Qu. 76 a. 3*: D'Ann. II. *86,5.*
24) Cf. Matth. *V. 4, 23, XI. 29;* I. Petr. *II. 23;* Eph. *IV. 31, 32.*
25) Alia apud Tanquerey *Num. 534-547;* Reuter *82.*
26) Rom. *XIII. 13.*

§ I. — De gula specifice sumpta.[27]

300. Peccatum gulæ quinque modis committitur, qui indicantur versiculo sequenti:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Scilicet peccatur: *a*) circa tempus, præveniendo tempus assignatum, vel frequentius sumendo; *b*) circa substantiam, appetendo cibos et potus exquisitiores, quam statui et conditioni conveniant; *c*) circa quantitatem cibi vel potus, sumendo ultra quam conveniens sit valetudini; *d*) circa modum, nimis avide et voraciter comedendo aut bibendo; *e*) circa qualitatem, exigendo ut nimis delicate et exquisite cibi et potus præparentur.

301. Gula *ex genere suo* est peccatum veniale: hinc *per se* venialiter peccat, qui comedat et bibat usque ad satietatem ob solam delectationem cibi et potus [28]; imo et videtur peccare tantum venialiter, qui comedat et bibat usque ad vomitum; neque constat peccare mortaliter, qui sponte evomat, ut iterum comedat et bibat [29].

Verum accedere potest peccatum mortale *per accidens*. Ita graviter peccat, qui voluptatem cibi et potus sibi ut ultimum finem constituat; hic enim lædit caritatem erga Deum, et illis es adnumerandus, *quorum Deus venter est* [30]. Item peccat graviter, qui, ut gulæ obsecundet, periculum sibi faciat amittendæ sanitatis, vel se ineptum reddat ad exsequenda gravia officia erga Deum, familiam, societatem. Peccare potest contra caritatem, qui, cum sacerdos vel parochus sit, sua ingluvie scandalum grave præbeat.

302. Filiæ gulæ a S. Thoma numerantur quinque: 1.ª *Hebetudo mentis*, seu stupiditas nata ex crapula. — 2.ª Inepta lætitia, quæ movet ad cantiones obscenas, ad saltus, ad choreas, etc. — 3.ª *Multiloquium*. —4.ª *Scurrilitas* in verbis et in gestis ad inhonesta provocantibus. — 5.ª *Immunditia* in corpore, cum periculo vomitus et effusionis seminalis [31].

§ II. — De ebrietate.

303. *Ebrietas*, accepta *in fieri, est* « voluntarius excessus in potu ex sola vini voluptate usque ad privationem usus rationis »: accepta *in facto*

27) S. Thomas *2. 2. Qu. 148, 150*, et *De malo Qu. 14.* — Descuret *Op. cit. P. II. Cap. II.*; Sabetti *Num. 146.*

28) Quod hic peccet, constat ex *Prop. 8* damnata ab Innocentio XI: quod non graviter, ex consensu theologorum. Cf. S. Lig. *De actibus hum. Num. 44;* Gen. *181.*

29) S. Ligorius *Num. 72, 3;* Marc *366.* — Cf. Ballerini *375.*

30) Philipp. *III. 19.* - Cf. Lessium *Op. cit. Lib. IV. Cap. III. 6.*

31) S. Thomas *Qu. 148 art. 6.* — Plus minus hæ nascuntur quoque ex ebrietate.

esse, est ipsa privatio usus rationis ex potu excessivo inducta [32]. Patet hanc in se nec bonam moraliter esse, nec malam, sed esse effectum prioris: ebrietas in sensu proprio, seu morali, prior est, ac de ea nobis, agendum.

Ad notionem ebrietatis requiritur: *a)* Excessus in *potu;* vini, scilicet, aut alterius liquoris inebriantis. *b)* Potatio excessiva, quæ sit *ex sola vini voluptate* [33]; si enim alia adsit causa potationis excessivæ, puta, cura medica, non habetur ebrietas, nec proprie excessus. *c)* Potatio debet esset adeo *excessiva*, ut inducat privationem usus rationis; adeo ut hæc privatio habeatur modo violento ex potatione, non naturaliter per somnum forte inductum a vino. Si hic effectus habeatur perfecte, tunc ebrietas dicitur *perfecta;* si usus rationis plus minus turbetur, dicitur *imperfecta.*

304. **Principia. I.** Ebrietas perfecta est peccatum *ex genere suo* mortale. Graviter enim repugnat naturæ rationali et dignitati humanæ, quod homo sine ulla causa, sed ex sola voluptate potus inebriantis, se in illum statum conjiciat, quo privatur usu rationis modo violento et innaturali, ac ad brutorum conditionem abjicitur. Accedit auctoritas sacræ Scripturæ. *Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt* [34]; insuper et sanctorum Patrum.

II. Ebrietas imperfecta *per se* est peccatum veniale; cum ex ea usus rationis non penitus impediatur. Tamen fieri potest mortale *per accidens*, ratione scandali, aut gravis damni inde provenientis, aut sibi, aut aliis.

III. Non est illicitum per potum inebriantem aut per alia media seipsum vel alium ad tempus privare usu rationis etiam totaliter; dummodo id fiat ex causa gravitati et durationi illius privationis proportionata [35].

305. **Resolutiones.**— *Ex Princ. I.* — 1.ª Graviter peccant, non modo qui adeo vino indulgent ut certo sciant se inde in perfectam ebrietatem lapsuros esse, sed et qui scienter huic periculo sese exponunt, sive abundanter bibendo, sive in illis consortiis morando, ex quibus experientia cognoscunt periculum oriri ebrietatis perfectæ.

2.ª Peccant graviter, qui ita immodice bibunt, ut certo secutura

32) S. THOMAS *2. 2. Qu. 150,* et *De malo Qu. 14;* S. LIG. *75-78;* DE SCURET *Op. cit. P. II. Cap. I.* — Ebrietas est potatio excedens *briam* (mensuram).

33) Quod excessus fiat *ex sola vini voluptate* exigit expresse S. THOMAS *1. 2. art. 88 art. 2 ad 1.* — Cf. et LESSIUM *Num. 13;* D'ANN. II. *64, 17.*

34) I. COR. *VI. 10.* Cf. et IS. *V. 11;* GAL. *V. 21.* — Plura LESSIUS *Num. 15-23.*

35) Ita recentes fere omnes. Cf. TANQUEREY *Num. 543.*

prævideatur ebrietas perfecta; etiamsi eam non experiantur, somno oppressi: nam et hi se privant potestate proxima utendi ratione ex sola vini voluptate.

3.ª Gravius peccant, qui immoderate indulgent libationibus alcoolicis. Inde enim gravissima damna proveniunt, tum ipsis individuis quoad salutem corporis et multo magis quoad animæ facultates, tum familiæ et præsertim filiis nascituris, tum integræ societati.

4.ª Qui experientia sciant se abundanter bibendo in ebrietatem perfectam lapsuros non esse, hi *per se* non peccant graviter: peccare possent graviter contra temperantiam, contra obligationem conservandæ sibi sanitatis, etc.

5.ª Peccant, et *per se graviter*, qui scienter alios ad perfectam ebrietatem inducunt, sive *directe*, sive *indirecte*.

306. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccat leviter, qui eam vini quantitatem bibit, ex qua alias expertus est se nonnihil phantasia turbari, lingua titubare, pedibus vacillare, oculis objecta duplicia vel in gyrum acta videre, etc. Nihil vero peccat, qui mœstitia oppressus bibat ursque ad quamdam hilaritatem [36]. Fieri potest peccatum grave *per accidens;* ex. gr., in clerico.

2.ª Nec graviter peccat, qui scienter bibat usque ad vomitum, vel ad aliquem sensuum soporem, vel etiam usque ad privationem usus rationis brevem, h. e., infra horam [37].

3.ª Si quis usque ad ebrietatem imperfectam bibat, ut se ad libidinem vehementius excitet, vel ad occidendum inimicum audacior fiat, etc., hic graviter peccat ex fine graviter malo.

4.ª Item graviter peccat paterfamilias, qui experientiâ noverit se vino parumper elatum facile blasphematurum, vel in imprecationes et percussiones uxoris aut filiorum facile prorupturum, etc.

307. *Ex Princ. III.* — 1.ª Non peccat ille, qui usque ad perfectam ebrietatem bibit, ut, juxta medici consilium, abundantiori potu vim veneni evacuet, vel aucto in visceribus calore morbum superet, etc.

2.ª Neque peccat, qui curat vino, morphio, chlorophormio, etc., sensibus soporem inducere ad leniendos vel non sentiendos dolores operationis chirurgicæ, vel partus extraordinarie difficilis: non probandus chlorophormii usus in partu ordinario, etsi dolores secum ferat peracerbos [38].

3.ª Quod hæc fiant a medicis cum moribundo, de quo timetur ne ob nimios dolores in peccatum lapsurus sit, confessarius ordinarie obsistere deberet: si judicet illum esse in statu gratiæ, dissimulet.

36) Cf. GENICOT *Num. 184;* NOLDIN *342.*

37) De postremo ita censet plures apud S. LIGORIUM *Num. 75.* — Cf. et BALL. *391.*

38) Cf. NOLDIN *Num. 342;* CAPELLMANN *Medicina pastor. De quinto præc. III.;* TANQU. *Num. 547-549.*

308. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum ebrio imputanda sint ad culpam omnia mala in statu ebrietatis patrata ?

Resp. 1.° *Negative,* si ne in confuso quidem prævisa fuerunt; illis enim deest quæcumque imputabilitas, sive *in se,* sive *in causa.* Consequenter mala etiam gravissima nonnisi ad culpam venialem imputari possunt, si forte et ipsa ebrietas fuit tantum peccatum veniale.

2.° Ex iis, quæ fuerint aliquo modo prævisa: *a*) Imputanda sunt mala opera, sive commissionis, sive omissionis; ex. gr., damna illata vicinis, omissio Sacri. — *b*) Item imputandæ sunt diffamationes in proximum, si tales sint, ut facile credi possint; quia *nullum secretum, ubi regnat ebrietas* 39. — *c*) Imputanda scandala, quæ aliis præbeantur per verba aut opera obscena, etc. Hinc ebrius tenetur, tum damna materialia, tum diffamationes et scandala pro viribus reparare. — Tamen *d*) non censentur imputandæ contumeliæ in ceteros homines; quippe quæ flocci fiunt, tum ab audientibus, tum ab iis in quos feruntur.

3.° Utrum sint imputandæ blasphemiæ, disputatur. Communius theologi affirmant; quia honor divinus exigit, ut homo vitare debeat etiam contumeliam materialem in ipsum; quam insuper, etsi in se inculpabilem, omnes horrent 40. Nonnulli negant, eo quod sunt verba materialiter tantum blasphema, non formaliter 41; quam opinionem S. Alphonsus non audet dicere improbabilem. Ceterum pœnitentes, qui eas ante ebrietatem aliquo modo præviderint, parum easdem confiteri verentur; confessarius vero inde occasionem captabit eos arguendi et acriter ab eo vitio absterrendi.

309. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum liceat seipsum (vel alium) inebriare perfecte ad operationem chirurgicam subeundam ?

Resp. Quidam cum S. Alphonso id negant; eo quod privatio usus rationis intenderetur *directe,* et bonus effectus sequeretur immediate ex effectu malo, tantum mediate ex actione indifferenti 42. Verum alii plures affirmant, innixi auctoritati S. Thomæ; juxta quem, privatio usus rationis temporanea non est quid intrinsece malum, vitium vero ebrietatis in hoc consistit quod quis vinum usque ad eam privationem bibat *sine ulla necessitate* et *ex sola vini voluptate.* Alii aliam afferunt rationem; quod potatio non datur directe ad privationem usus rationis, sed ad sensus sopiendos, ideoque ebrietas sequitur indirecte; sopor enim sensuum non provenit ex privatione usus rationis, sed ex nervorum laxitate et hebetudine 43. Certe opinio affirmativa probabilis est.

Qu. 2. Utrum liceat aliquem ad ebrietatem inducere, ut ab homicidio vel alio crimine perpetrando impediatur ?

39) Prov. *XXXI. 4.* — Respondet illud vulgare « in vino veritas ».

40) S. Ligorius *V. Num. 78, 9;* Marc *Num. 760;* Lehmk. *745;* Scav. *808;* Ball. *396;* Gen. *187;* Noldin *343;* D'Ann. *64, 13.*

41) Salmanticenses et alii, apud S. Ligorium *loc. cit.*

42) S. Ligorius *Num. 76 Qu. 2;* Marc *760 Qu. 3;* Scavini *928.*

43) S. Thomas *locc. citt.* — Cf. Ball. *386;* Lehmk *743;* Gen. *185;* Ferr. *274;* Frassin. *Nota 55;* Gury *182;* Tumm. *179 Qu. 3.* Zanin. *287.*

Resp. a) Certe ex causa proportionata licet cooperari materialiter homini sese inebriare volenti. — *b)* Quod liceat positive ad ebrietatem inducere, id omnes concedunt, si agatur de ebrietate mere materiali, seu non voluntaria bibenti: at non omnes concedunt, si agatur de ebrietate formali; eo quod « non sunt facienda mala, ut eveniant bona ». Verum sententia affirmativa, jam S. Alphonso probabilis, modo ferme communis est, ex theoria generali, quod licitum est aliquem ad minus malum inducere, ut impediatur a majori 44. — *c)* Plures addunt id licere quoque ad utilitatem publicam vel privatam, sive alienam, sive suam; puta ad habendam testificationem veracem: dummodo causa habeatur proportionata, nec ipsi inebriando aut alii injuria fiat 45.

Qu. 3. Utrum liceat infirmum morti proximum vino inebriare vel morphio aliisve mediis sopire, ut agonem et mortis dolores non sentiat?

Resp. Esset ea sensibilitatis et usus rationis anticipata privatio, a recentibus *euthanasia* appellata, ex qua infirmus placide et absque ullo dolore decederet. — Itaque:

1.° Certe non licet, si infirmus ad mortem christiane obeundam sufficienter dispositus non sit: ponitur enim in statu impossibilitatis sese disponendi.

2.° Si infirmus bene dispositus sit, adhuc generatim negandum: sunt enim ea momenta pretiosa, quibus si compos sui sit, juvante sacerdote, cum gratia Dei poterit, et pœnas suis peccatis debitas luere, et majora gloriæ augmenta sibi mereri.

3.° Si infirmus satis dispositus sit, at ex ejus acedia spirituali et fide non adeo robusta timeatur, ne doloribus pressus in actus impatientiæ erumpat, et forte in imprecationes et querimonias et blasphemias, nonnulli censent permittendam esse illam vitæ intellectualis breviationem, ut consecutio vitæ æternæ in tuto ponatur 46: alii tamen, et plures, censent ne in hoc quidem casu illud sopimentum licere, nec sacerdotem posse illi a medico vel familiaribus proposito assentiri; ad summum sacerdoti permittunt ut silentio rem toleret 47. Item dicunt de reo ad supplicium capitale damnato. — Ceterum quæstio certe complexa.

310. **Scholion.** — *Remedia contra vitium gulæ et ebrietatis.* — Homini frequenter bibenti sæpe proponantur damna, quæ ex eo vitio, nedum animæ propriæ, sed et sanitati corporali et familiæ et rebus domesticis proveniunt. Bibulo bonæ voluntatis suggeratur ut a sociis bibulis et a cauponis longe absit; ut suam gulam quandoque mortificet, ut gratiam sese superandi a Deo supplex imploret. At generatim remedium

44) S. Ligorius *Lib. II. Num. 57, V. 77.* — Cf. Marc *760 Qu. 4;* Lehmk. *744,* et *Casus 173-177;* Gen. *186;* D'Ann. *64.* — Non consentit Tanqu. *545.*

45) Cf. S. Ligorium *Lib. II. Num. 58;* Lehmk. *Casus 173-177* Sabetti *Num. 150 Qu. 3.*

46) Apud Marc *Num. 761 III.*

47) Lehmkuhl *Num. 743;* Noldin *346;* Marc *l. c.;* Tanqu. *548;* Tumm. *181;* Gen. *185.*

efficax haberi nequit, nisi in externa coactione et violenta privatione vini et cujuscumque liquoris inebriantis. Nunc et recentia inventa publicis foliis evulgantur; quæ bibulo inscio propinata, eidem nauseam ingerant vini: hæc tentare possunt uxores et matres [48].

ART. VI. — De invidia

311. *Invidia* definitur « tristitia de bono alterius, in quantum habetur ut diminutivum excellentiæ propriæ » [49].

De bono alterius tristari quis potest quinque motivis: *a*) Præcise in quantum est bonum alterius; et est peccatum odii: *b*) eo quod probabilius sibi ab eo inferri potest nocumentum; et est timor, *per se* non malus: *c*) eo quod bonum illud sibi deest; et est æmulatio, quæ est bona in spiritualibus, et etiam in temporalibus si sit ordinata: *d*) eo quod alter eo bono indignus habetur; et est indignatio, quæ et bona esse potest, et mala: *e*) eo quod bonum alterius videtur imminuere propriam excellentiam et gloriam; et est *invidia;* cujus objectum præcipuum sunt ea bona, « in quibus est gloria, et in quibus homines amant honorari et in opinione esse » [50].

Ad invidiam reducitur quoque gaudium de malo alterius, prout hoc concipitur ut conferens ad augmentum excellentiæ nostræ.

Juxta Doctorem Angelicum, invidia directe et proxime opponitur misericordiæ: invidus enim tristatur de bono proximi, misericors de ejus malo; unde invidi non sunt misericordes, nec e converso.

Invidia est peccatum grave *ex genere suo;* eo quod, licet originem habeat superbiam [51], directe opponitur caritati: at potest esse veniale, sive propter imperfectionem actus, sive propter levitatem boni, de quo quis tristatur [52]. Simul vero est vitium capitale; cum alia vitia, et quidem gravia, ex eo nasci possint.

312. Filiæ invidiæ sunt quinque: 1.ª *Odium* in eum, de cujus bono quis tristatur. — 2.ª *Detractio* de eodem. — 3.ª *Exsultatio* in adversis ipsius. — 4.ª *Afflictio* in prosperis. — 5.ª *Sussurratio*, seu oblocutio mala de proximo ad tollendahm amicitiam ipsius cum aliis.

Remedia præcipua tria sunt [53]: Consideratio malorum ex invidia

48) Cf. Scavini *Num. 931;* Reuter *77, 110, 4.* De damnis alcoolismi ejusque remediis plura. Tanqu. *Num. 350, scqq.;* Descuret *Op.* et *loc. cit.*

49) S. Thomas *2. 2. Qu. 36,* et *De malo Qu. 10.*

50) S. Thomas *Qu. 36, art. 1.* — Cum imminutio propriæ gloriæ non soleat esse eb gloriam eorum, qui longe excellunt, hinc invidia solet impetere æquales aut paulo superiores. Ballerini *Num. 365.*

51) « Fieri non potest, ut superbus non invideat ». S. Augustinus *In Ps. LVIII.*

52) At gravissimum esset proximo invidere bona spiritualia, dona Spiritus sancti, sanctitatem, etc. S. Thomas *Qu. 36 art. 4 ad 2.* — « Cui affinis est invidia eorum, qui tristantur de bono ab aliis prædicatoribus, confessariis, parochis peracto ». Tanqu. *Num. 524.*

53) Cf. Scavini *Num. 813;* Reuter *70;* Tanqu. *526.*

facile provenientium: exercitia caritatis erga proximum: prompta motuum invidiæ repressio, proximum laudando, orando pro illo, etc.

313. Invidiæ affinis est *zelus*, qui sit ex amore concupiscentiæ. Qui sit ex amore amicitiæ amor est; et eo tendit, ut repellere studeat quidquid dicatur vel fiat contra bonum amici. Ita zelus ex amore Dei studet ea omnia repellere, quæ contra honorem vel voluntatem Dei dicantur vel fiant: hoc sensu « zelatus sum pro Domino exercituum », et « zelus domus tuæ comedit me » 54.

ART. VII. — De acedia

314. *Acedia* vi vocis dicit incuriam vel negligentiam alicujus rei propter difficultates illi adnexas. In re morali, acedia distinguitur duplex: Alia, *generalis*, est « tepor animi in exercendis actibus bonis propter molestias eisdem adnexas ». Alia, *specialis*, est « tristitia de ipsa gratia et amicitia Dei propter labores in ea acquirenda et conservanda subeundos »; ac proinde fastidium de ipsa æterna gloria propter difficultates in observatione mandatorum Dei superandas 55.

Acedia generalis non est peccatum distinctum a peccato propter acediam commisso; puta in omissione jejunii 56. E contra acedia specialis est peccatum mortale, et quidem *ex toto genere suo;* eo quod directe repugnat caritati erga eum: tantum propter imperfectionem actus posset esse veniale.

315. Filiæ acediæ ponuntur quinque: 1.ª *Aversio*, qua quis prosequitur bona spiritualia, quæ nec esse vellet: hæc est mortale *ex genere suo*. — 2.ª *Rancor*, quo acediosus prosequitur illos, qui verbis vel exemplis ad spiritualia inducunt. — 3.ª *Desperatio* ex diffidentia consequendi salutem æternam. — 4.ª *Torpor*, quo sine fervore facit opera bona præcepta 57. — 5.ª *Pusillanimitas*, qua fugit ea, quæ ardua sunt et subsunt consiliis. — 6.ª *Evagatio mentis*, qua quis in ipso operum spiritualium exercitio ad alia attendit cogitatione, actione, locutione, inquietudine: hæc evagatio *per se est* peccatum grave, si attentio requiritur ad implendum præceptum obligans *sub gravi*: in oratione præcepta *sub levi* vel non præcepta, est leve.

Remedia ad acediam excutiendam sunt piæ lectiones et meditationes, ac in primis exercitia spiritualia in absoluto recessu peragenda 58.

54) S. Thomas *1. 2. Qu. 28 art. 4.*

55) S. Thomas *2. 2. Qu. 35,* et *De malo Qu. 11.*

56) « Si quis contristetur de hoc, quod aliquis cogat eum implere opera virtutis, quæ facere non tenetur, non est peccatum acediæ ». Ita S. Thomas *Qu. 25 art. 3 ad 2.* — Cf. D'Annibale II. *Num. 15.*

57) De tepiditate ejusque funestis effectibus, ac de remediis, scriptores ascetici: nominatim Scaramelli *Direttorio ascet. Tratt. I. 82. seqq.*

58) Cf. Scavini *Num. 804;* Reuter*84;* Tanqu. *565-567.* — De obligatione operandi vide Noldin II. *Num. 68;* Gen. *365;* Ferr. *260 Qu.*

APPENDIX

De peccatis in Spiritus sanctum

316. Hæc peccata a S. Thoma numerantur sex [59]. *a*) *Præsumptio* consequendi gloriam æternam sine meritis, ac peccatorum remissionem sine pœnitentia. — *b*) *Desperatio* consequendi, Deo etiam auxiliante, illam ex meritis, hanc ex pœnitentia. — *c*) *Agnitæ veritatis impugnatio;* seu animi perversitas, qua quis negare pergit veritatem evidenter sibi cognitam. — *d*) *Fraternæ caritatis invidentia,* qua quis tristatur de profectu spirituali proximi ac de ipsa gratia Dei crescente in mundo. — *e*) *Obstinatio* in proposito inhærendi peccato. — *f*) *Impœnitentia,* seu firma voluntas non pœnitendi; quæ dicitur *impœnitentia finalis,* si voluntas sit ne pœnitendi quidem in ipso articulo mortis.

Præter hæc, habetur peccatum speciale, quod a Christo dicitur *peccatum in Spiritum sanctum,* vel *blasphemia in Spiritum sanctum* [60]. Hoc peccato videntur deliquisse Pharisæi; qui ex odio et pura malitia tribuebant Beelzebub ejectionem dæmonum factam a Christo ex virtute Dei, et tamquam talem ipsis cognitam evidenter.

Quod de isto peccato Christus dixit numquam remitti, *neque in hoc sæculo, neque in futuro* [61], id theologi scholastici dicunt etiam de sex præcedentibus; nempe, ea esse irremissibilia. Porro hæc irremissibilitas sensu stricto dici tantum potest de peccato impœnitentiæ finalis: de ceteris dicitur sensu minus stricto; quatenus, licet misericordia Dei reos horum peccatorum a sua gratia non excludat, tamen peccatores hujusmodi difficile et raro ad veram pœnitentiam propter duritiem cordis et cæcitatem mentis sese disponunt; et ideo difficile et raro suorum peccatorum remissionem consequuntur [62].

317. Difficilioris quoque remissionis dicuntur esse *peccata clamantia in cœlum;* de quibus hic clamor plus minus clare narratur in sacra Scriptura. Sunt autem quatuor: *Homicidium voluntarium; sodomia; oppressio pauperum, viduarum et pupillorum; defraudata merces operariorum* [63]. Hæc peccata dicuntur speciali ratione mereri divinam ultionem in præsenti et in altera vita; eo quod adversantur tendentiæ hominis naturali ad vitam socialem; ideoque eorum punitionem videntur speciali ratione exigere a Deo homines illi, qui in hac naturali tendentia læsi fuerunt: hoc sensu Deus speciali ratione movetur ad hæc peccata potius punienda, quam condonanda [64].

59) S. Thomas *2. 2. Qu. 14* et *De malo Qu. 3. art. 14. 15.*
60) Matth. *XII. 31, sequ.;* Mr. *III. 28, sequ.;* Luc. *XII. 10.*
61) De remissibilitate hujus peccati, cf. Hurter *Comp. Theol.* III. *Num. 446;* Palm. in tract. dogm. *De Pœnit. Th. VIII. Num. V.*
62) S. Thomas *2. 2. Quæst. 14 art. 3,* et *De malo Qu. 3. art. 15;* Noldin *Num. 352.*
63) Cf. Gen. *IV. 10, XIX. 13;* Ex. *III. 7;* Deuter. *XXIV. 14, sequ.;* Jac. *V. 4.*
64) Cf. Scavini *Num. 905;* Nondin *351;* Zanin. *277.*

INDEX ALPHABETICUS

Indicantur numeri marginales

ACEDIA 313; ejus filiæ et remedia 314.
Actus humanus 2; quotuplex 3; moralis 48; indifferens 64; meritorius 65-66.
Actus indifferentes num dentur 64; heroici et interni quoad leges 174.
Advertentia ad actum humanum 6; ad peccandum 221, 222; ad peccatum mortale 229.
Æquiprobabilismum 91-93.
Alphonsus (S.) de Ligorio: ejus systema 99 B, 100.
Ambitio 288
Amentes quoad leges 138-140, 183.
Avaritia 290; ejus filiæ 291; remedia 292.

BLASPHEMIA in Spiritum sanctum 315.
Bonitas actus 49.

CARITAS in Deum, relate ad actus bonos et meritorios 69; relate ad impletionem legis 127.
Causa quid sit in re nostra, et quotuplex 14.
Causæ deobligantes a lege 128-133.
Christus legislator 153-159.
Circumstantiæ relate ad mortalitatem 57-60; legis implendæ 127.
Clerici quoad leges civiles 214.
Codex Juris canonici 172, 177-181.
Cogitationes malæ 280.
Cognitio ad actum humanum requisita 4-7.
Concupiscentia 30: quoad actus inde sequentes 32-35.
Confessarius quoad opiniones 107: quoad interrogationes 251, quoad dispensationem a legibus 205.
Congregationes Romanæ 164.
Conscientia 70; quotuplex 71; ejus efficacia 72-75; necessitas conscientiæ certæ 77-80; quomodo efformanda, ubi agitur de fine consequendo 94-96; ubi de actionis liceitate 97-100; dubia et perplexa 82-86; scrupulosa 108-110; laxa 111.
Consensus 9; ad peccandum 227-228.
Concilia 161, 166.
Consilia evangelica 159.
Consuetudo contra legem 198, 200.
Contemptus legis 123.
Culpa in quo differat a peccato 223.

DECRETA RR. Congregationum: eorum vis 164.
Delectatio quid sit et quotuplex 282; morosa est peccatum 283-285.
Desiderium pravum 273: an et quale peccatum 274-277.
Dispensatio legis 201: a quibus dari possit 202: causa requisita 207.
Distinctiones peccatorum 228-251.
Domicilium 187.
Dubitans num legi satisfecerit 107.
Dubium quid sit, et quotuplex 82; in eo quid agendum 83-86; circa existentiam vel sufficientiam causæ ad dispensandum 207.

EBRIETAS 303; peccatum 304-308; num quandoque liceat 309; ejus filiæ et remedia 310.
Ebrius, an ei imputanda sint mala in ebrietate patrata 308.
Ecclesia; ejus potestas legifera 160.
Effectus malus quandonam imputandus ponenti causam 15-20.
Epikeia 196.
Episcopus; ejus potestas ferendi leges 161, 163, 165; dispensandi 202-206.
Erronea conscientia 69-75; emendanda 76.
Euthanasia 309.
Exsecutio volitionis num addat actui interno moralitatem 56.

FAVORABILIA amplianda 103, 190-194.
Finis actus humani 61, 63: finis homini a Deo constitutus 1, 137: finis legis cessans 198-200.

GAUDIUM 278: de opere malo vel de danno alterius 279-281.
Gula 299-309: ejus filiæ 302: remedia 310.

HABITUS pravi 254-259: exstirpandi 256, 258.
Hæretici quoad leges Ecclesiæ 183-188.

IGNORANTIA 25: ejus influxus 26-29: quoad peccatum 21.
Impedimenta actuum humanorum 25, 45, 46.
Impletio legis 124-127.
Imputatio effectus mali 15-20: quoad mala patrata in ebrietate, v. *Ebrius*.
Infantes quoad leges v. *Pueri*.
Intentio ad implendam legem v. *Impletio*.
Interpretatio legis ecclesiasticæ 189-195.
Invidia 311: ejus filiæ et remedia 312.
Involuntarium 9.
Ira 296: ejus filiæ 297; remedia 298.

LAXA conoscientia 111.
Laxismus damnatus. 87.
Legislator an suis legibus teneatur 186.
Lex 112-114: ejus virtus 119-123; impletio 124-127: causæ ab ea deobligantes 128-133: cessatio 198-200.
Lex æterna et naturalis 135-137; ejus subjectum 138-140; objectum 141-143; immutabilitas 144-147; promulgatio 148-151.
Lex divina positiva 152-158.
Lex ecclesiastica 160: ejus auctor 161-166; promulgatio 167-170; objectum 171-174; subjectum 182-188, interpretatio 189-195; cessatio pro communitate 197-200; dispensatio 201-207: lex pœnalis 175; lex irritans 176.
Lex civilis, quoad potestatem legislatoris 211-213; quoad materiam 214-216; quoad promulgationem 218.
libertas 21, 22: probatur 23: explicatur 24; impedimenta habitualia 36: est necessaria ad peccandum 223.
Libertas conscientiæ damnata 75.
Luxuria 293: ejus filiæ 294; remedia 295: diversæ peccatorum species 242.

MATERIA gravis in lege 123; in peccatis 228.
Meritum 65, 66; actus meritorii 67-69.
Metus 37: ejus influxus 38-42.
Moralitas 46: ejus essentia 47, 48; ejus fontes 49-62.
Mortale peccatum 232: quodnam sit ex materia 233; ex advertentia et consesu 234: mortale genere suo, vel ex toto genere suo 235: ejus effectus 268, 269.
Motus primo-primi etc. 7, 227; motus carnales 228.

NORMÆ moralitatis 49: ad distinguenda peccata quoad gravitatem 233; quoad speciem 238-243; quoad numerum 249, 250.
Numerica peccatorum distinctio 244.

OBJECTIONES contra probabilismum 100.
Objectum actus humani 30-56; legis naturalis 141-143; legis divinæ positivæ 142-154; legub Ecclesiæ 171-174.
Obligatio legis 119-123.
Occasio 260, quotuplex 261: obligatio quoad occasiones 262-266.
Odiosa restringenda 103.
Odium in proximum: quæ peccata differant ratione personarum 242.
Omissio an sit peccatum 56, 228; quando sit gravis omissio obligationem sui muneris 233.
Opinio 88; quænam vere probabilis 90.

PAROCHUS quid circa leges possit 205.
Passiones 30.
Peccatum 220: ejus elementa 221-223: requisita ex parte peccantis 224-228; discrimen inter peccatum et culpam 223; mortale 239-235, ejus causæ 252-266; effectus 268; veniale 230-235, ejus effectus 270-271; quandonam mortale fieri posset veniale, et viceversa 235.
Peccatorum distinctio theologica 230-235; specifica 236-243; numerica 244-251; causæ 252-266; effectus 267-271.
Peccata interna 272-285; capitalia 286, in Spiritum sanctum 316; clamantia coram Deo 317.
Peregrini relate ad leges 187; relate ad dispensationes et privilegia 206, 210.
Perplexitas 82: quid in ea sit agendum 83, 86.
Pontifex Romanus potest condere leges 161.
Possidentis conditio melior 106.
Præceptum in quo differat a lege 115.

Præsumptio 103: præsumptionis peccatum 276.
Principia reflexa 102-104.
Privilegium 206-210.
Probabiliorismus 91-93.
Probabilismus duplex vel triplex 91-93; quinam probandus 97, 99, 105, 107; objectiones 100.
Probabilitas quid sit, et quotuplex 89; ejus natura 90; ejus efficacia 91; ejus usus 101, 104, 105.
Promulgatio legis naturalis 148-151; legis evangelicæ 158; quænam in legibus Ecclesiæ 167-170; in legibus civilibus 218.
Pueri relate ad legem naturalem 139, 140; quoad leges Ecclesiæ 183, 185, 188.

RECTA conscientia efformanda 76.

SCRUPULOSA conscientia 108, modus agendi cum scrupulosis 109.
Species peccatorum 236; eorum specifica distinctio 237-243.
Sponsis num liceat delectari... 285.
Status gratiæ num requiratur ad meritum 65, 66; ad legem implendam 123.
Subjectum legis naturalis 133-135.
Superbia 287: ejus filiæ 288; remedia 289.
Supernaturalitas actus num requiratur ad meritum 67.
Synderesis 68.
Systemata moralia damnata 87; alia inter theologos catholicos discussa 91-93.
Theologi: eorum sententiæ de vi probabilitatis 99 B.
Thomas (S.): ejus doctrina de efficacia opinionis probabilis 99 A, 101.
Tristitia de malo non patrato 280; de bono peracto 281.
Tutior via quando sequenda 94-96, 106.
Tutiorismus duplex 87.

VAGI relate ad leges Ecclesiæ 187.
Vana gloria 276.
Veniale peccatum 230-235: ejus effectus 270, 271.
Violentia 42: ejus influxus 43.
Vitia capitalia 286.
Volitio 8.
Voluntarietas ex parte actus 9-12; ex parte objecti 13-20.
Voluntarium 8: directum et indirectum 13-20: num in peccatis unum differat ab alio specifice 243.

ZELUS 313.

EXPLICIT LIBER PRIMUS

CURSUS
THEOLOGIÆ MORALIS

Quæ jura a lege sunt, Auctor et J. B. Cinquetti Sac. sibi reservant

VERONÆ, TYPOGR. BETTINELLI

JOANNES BAPTISTA PIGHI

DOCTOR SACR. THEOL. ANTISTES URBANUS

AMPLISSIMI VERONENSIUM CANONICORUM CONLEGII ARCHIDIACONUS

CUM IN IIS, QUAE AD ECCLESIAM PERTINENT, DOCTRINIS DISCIPLINISQUE

FLAGRANTI STUDIO AD DEI GLORIAM ANIMORUMQUE SALUTEM

TOTAM CONSUMPSISSET AETATEM

IN DOMINO OBIIT VII. KAL. MARTIAS A. MCMXXVI

CURSUS

Theologiæ Moralis

ad usum Scholarum Theologicarum

AUCTORE

Can. J. B. PIGHI S. Theol. Doct.

ANTISTITE URBANO

Editio quarta

in nonnullis emendata - in pluribus aucta

LIBER SECUNDUS

DE VIRTUTIBUS

VERONÆ
SORORES CINQUETTI FILIÆ FELICIS
Bibliopolæ Editoris Pontificii
In Via « Croce Verde » N. 6
MCMXXVI

MONITUM

Dum prima voluminis secundi folia typis imprimuntur, clarissimus scriptor, qui IVæ huius editionis exemplaria integre paraverat et in promptu habuerat, a Deo, uti præmia laboris atque virtutum in cœlis consequeretur, vocatus est.

Qua de re Sac. Aloisius Zenati S. Th. Doct., qui vivo illo, primi voluminis editionem amicitiæ gratiâ curaverat, susceptum onus pro reliquis quoque voluminibus se exsecuturum pollicetur.

INDEX

DE VIRTUTIBUS

Prænotiones generales Pag. 1

Tractatus primus

De virtutibus theologicis » 3
De virtute fidei » 4
Cap. I. De necessitate fidei » 5
Cap. II. De objecto fidei » 7
Cap. III. De peccatis contra fidem » 10
De virtute spei » 16
De virtute caritatis » 18
Cap. I. De caritate erga Deum » 19
Cap. II. De caritate erg proximum » 22
§ I. De caritate interna » »
§ II. De caritate externa » 26
Punct. I. De correctione fraterna » 28
Punct. II. De eleemosyna » 30
Art. II. De peccatis oppositis caritati erga proximum » 32
§ I. De scandalo » 33
§ II. De cooperatione ad peccatum alterius » 37

Tractatus secundus

De virtutibus moralibus » 42
De virtute prudentiæ » »
§ I. De partibus subjectivis prudentiæ » 43
§ II. De partibus integralibus prudentiæ » »
§ III. De virtutibus adnexis prudentiæ » 44
§ IV. De peccatis contra prudentiam » »
De virtute justitiæ » 45
§ I. De partibus subjectivis justitiæ » »
§ II. De partibus integralibus justitiæ » 46
§ III. De virtutibus adnexis justitiæ » »
De virtute fortitudinis » 51
§ I. De partibus integralibus fortitudini » 53
§ II. De virtutibus adnexis fortitudini » »
§ III. De peccatis oppositis fortitudini » 53
De virtute temperantiæ » »
§ I. De partibus integralibus temperantiæ » 54
§ II. De partibus subjectivis temperantiæ » »
§ III. De virtutibus adnexis temperantiæ » 58

Tractatus tertius

De virtute justitiæ » 61
SECTIO PRIMA. De ipso jure » 62
Cap. I. De objecto juris » 64
Art. I. De jure circa bona personalia » »
Aart. II. De jure circa bona externa » 66
Art. III. De jure circa servitutes » 69
Cap. II De subjecto juris » 70
Art. I. De dominio filiorum familias » 71
Art. II. De dominio uxorum » 73
Art. III. De dominio clericorum » 75
Art. IV. De dominio auctorum » 77
Art. V. De dominio personarum moralium » 78
Cap. III. De acquisitione dominii » 80
Art. I. De occupatione » »
Art. II. De inventione » 82
§ I. De thesauro » 83
§ II. De rebus amissis » 84

Art. III. De accessione » 85
Art. IV. De præscriptione » 86
§ I. De præscriptione acquisitiva » 87
§ II. De præscriptione liberativa » 90
Cap. IV. De limitationibus dominii » 91
Art. I. De condominio » »
Art. II. De usu » 92
Art. III. De usufructu » »
Art. IV. De servitute » 93
Cap. V. De officiis justitiæ » 94
SECTIO SECUNDA. De injuria » 96
Cap. I. De malitia injuriæ » 97
Cap. II. De objecto injuriæ » 99
Art. I. De injuria in bonis animæ » »
Art. II. De injuria in bonis fortunæ » 101
§ I. De ablatione rei alienæ » »
§ II. Causae ablationem rei alienæ justificantes » 107
Punct. I. De alterius necessitate » 108
Punct. II. De compensatione occulta » 111
SECTIO TERTIA. De restitutione » 114
Cap. I. De ipsa obligatione restituendi » »
Cap. II. De subjecto primario obligationis restituendi » 117
Art. I. De auctore injuriæ materialis » »
Art. II. De auctore injuriæ formalis » 123
§ I. De fure » 124
§ II. De damnificatore » 126
Cap. III. De cooperantibus ad injuriam alterius » 136
§ I. De jubente seu mandante » »
§ II. De consulente » 137
§ III. De consentiente » 140
§ IV. De receptante » 142
§ V. De participante » »
§ VI. De cooperatoribus negativis » 144
§ VII. De restitutione facienda a cooperatoribus » 146
Punct. I. De quantitate restitutionis » 147
Punct. II. De ordine restitutionis » 148
Cap. IV. De quibusdam damnificantibus in specie » 149
Art. I. De homicida » 150
Art. II. De stupratore et fornicario » »
Art. III. De adultero » 151
Art. IV. De detractore » 152
Art. V. De usurpantibus bona ecclesiastica » 153
Cap. V. De circumstantiis restitutionis » 155
Art. I. De persona cui est restituendum » »
Art. II. De ordine juxta quem est facienda restitutio » 157
Art. III. De modo, loco et tempore restitutionis » 159
Cap. VI. De causis deobligantibus a restitutione » 162
Art. I. De causis exstinguentibus obligationem restituendi » 163
Art. II. De causis excusantibus a restitutione » 166

Tractatus quartus

De contractibus » 170
SECTIO PRIMA. De contractibus in genere » »
Cap. I. De requisitis ad validitatem contractus » 172
Art. I. De subjecto contractus » »
Art. II. De consensu contrahentium » 176
§ I. De qualitatibus consensus » 177
§ II. De vitiis oppositis consensui » 180
Punct. I. De errore ac dolo » »
Punct. II. De vi ac metu » 184
Art. III. De objecto contractus » 187
Art. IV. De causa contractus » 190
Art. V. De forma contractus » 194

Cap. II. De effectibus contractuum » 197
Art. I. De obligatione propria ipsius contractus » 198
Art. II. De confirmatione contractus per juramentum » 199
Art. III. De limitatione obligationis per conditiones » 203
Cap. III. De cessatione obligationis contractus » 207
SECTIO ALTERA. De contractibus in specie » 209
Pars prima. De contractibus gratuitis » »
Cap. I. De promissione » »
Cap. II. De donatione » 213
Art. I. De donatione proprie dicta,, seu inter vivos » »
Art. II. De donatione mortis causâ » 219
Cap. III. De testamento » 220
Art. I. De requisitis ex parte testatoris » 221
Art. II. De requisitis ex parte testatarii » 223
Art. III. De requisitis ex parte formæ » 227
Art. IV. De requisitis ex parte materiæ » 230
Art. V. De substitutionibus » 234
Art. VI. De interpretandis dispositionibus testamentariis » 235
Art. VII. De successione legali » 238
Cap. IV. De commodato » 239
Cap. V. De mutuo simplici » 242
Cap. VI. De deposito » 244
Cap. VII. De mandato et negotiorum gestione » 245
Pars secunda. De contractibus commutativis » 247
Cap. I. venditione » 248
Art. I. De requisitis ex parte mercis » »
Art. II. De pretio mercis » 252
Art. II. De consensu venditoris et emptoris » 257
Art. IV. De quibusdam speciebus venditionum » 258
§ I. De venditione sub hasta » 259
§ II. De venditione per proxenetas » 260
§ III. De negotiatione » 261
§ IV. De monopolio » 262
Cap. II. De mutuo fenerativo » 264
Art. I. De liceitate mutui fenerativi » 265
Art. II. De justo fenore » 267
Cap. III. De locatione rerum » 269
Cap. IV. De locatione operæ » 272
Art I. De ipso contractu in se » 273
Art. II. De justa mercede » »
Cap. V. De locatione operis » 281
Cap. VI. De societate » 282
Cap. VII. De contractibus subsidiariis » 285
Pars tertia. De contractibus aleatoriis » 286
Cap. I. De assecuratione » »
Cap. II. De vitalitio » 289
Cap. III. De ludo et sponsione » 290
Cap. IV. De sortitione seu loteria » 292
Cap. V. De speculationibus bursæ » »
Cap. VI. De transactione » 293

Tr tatus quintus

De quasi-contractibus » 294
Cap. I. De judice et juratis » 295
Cap. II. De actore et accusatore » 302
Cap. III. De reo » 304
Cap. IV. De testibus » 306
Cap. V. De advocato » 309
Cap. VI. De medico et chirurgo » 313
Cap. VII. De syndico » 315
Conclusio » 317
Index alphabeticus » 319

Liber II.

DE VIRTUTIBUS

Rectitudo morum humanorum, per quam homo in suum finem ordinatur, practice consistit in hoc, quod homo omnia sua officia exsequatur; tum quæ sibi lege naturali imponuntur, tum quæ sibi immediate imponuntur per leges positivas habentes vim obligandi ex lege naturali. Juxta hanc divisionem, modo agimus de illis officiis, in quibus jus naturale, aut omnes sibi vindicat partes, aut saltem obligandi efficaciam quoad substantiam. Inde titulus et ordo tractatuum: I. *De virtutibus theologicis.* — II. *De virtutibus moralibus* (synopsis doctrinæ S. Thomæ). — III. *De virtute justitiæ.* — IV. *De contractibus.* — V. *De quasi - contractibus.*

PRÆNOTIONES GENERALES

1. *Virtus,* sensu proprio accepta, a SS. Augustino et Thoma definitur: « Bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur » 1. Verum ab iisdem definitur quoque « habitus perficiens hominem ad bene et recte operandum » 2; quæ definitio opportunior videtur theologis.

Itaque virtus non est mera potentia, sed *habitus;* h. e., qualitas potentiæ inhærens; quæ ipsam *perficit,* eam inclinando et juvando *ad operandum bene,* ita ut bene agat cum quadam facilitate et promptitudine et delectatione. Quare *virtus* definiri quoque potest et solet « habitus bonus operativus boni » 3.

2. Inde patet commune esse omnibus virtutibus, ut hominem in suis facultatibus perficiant in ordine ad agendum. Tamen sunt quædam virtutes, quæ hanc hominis perfectionem intendunt ut finem principalem et sibi connaturalem; hæ dicuntur virtutes *humanæ.* Aliæ per se et natura sua ad sublimiora tendunt, et habent pro objecto immediato ipsum Deum ejusque perfectiones infinitas; simul vero hominem ejusque facultates perficiunt per consequens, quatenus ipsum hominem ad Deum attingendum disponunt: hæ dicuntur *superhumanæ,* seu proprie *theologicæ.* Theologicæ sunt: *Fides, spes, caritas.* Humanæ sunt quatuor cardinales: *Prudentia, justitia, temperantia, fortitudo,* cum ceteris, quæ iisdem subnectuntur, ut partes, sive *subjectivæ,* sive *potentiales.*

1) S. Augustinus *De libero arbitrio II. 19;* S. Thomas *I. 2. Qu. 55, art. 4.*
2) S. Augustinus *Contra Jul. Lib. IV. 3;* S. Thomas *Qu. 58, art. 3.*
3) S. Thomas *Qu. 55, art. 3* et *4.* — Cf. Suarez *De habitibus Disp. III.*

Cum principium humanorum actuum perfectibile in homine duplex sit, intellectus et voluntas, ideo e virtutibus humanis aliæ sunt *intellectuales*, aliæ proprie *morales*: istæ dicuntur et sunt virtutes *simpliciter;* illæ *secundum quid* [4]. Quapropter, quæ sunt proprie et perfecte virtutes, sunt aut *theologicæ*, aut *morales*.

Ratione causæ, qua virtutes producuntur, aliæ dicuntur *acquisitæ*, aliæ *infusæ*. Priores sunt illæ, quæ per frequentationem actuum, aut comparantur, aut (et quatenus) perficiuntur. Posteriores sunt illæ, quæ immediate a Deo in anima producuntur: hæ vero dicuntur infusæ *simpliciter*, si a Deo in anima producuntur quoad entitatem; ut sunt fides, spes et caritas in justificatione: dicuntur infusæ *secundum quid*, si a Deo producuntur quoad modum vel quoad gradum majoris perfectionis; cujusmodi possunt esse omnes virtutes humanæ [5].

Huic distictioni affinis est alia, qua virtutes, aliæ dicuntur *naturales*, aliæ *supernaturales*. Naturales dicuntur, non quæ nobis insint a natura [6], sed quæ et quatenus consentaneæ sunt naturæ rationali, vel generantur, conservantur et exercentur viribus naturæ. Supernaturales dicuntur, quæ et quatenus ex sola gratia Dei generari, conservari et exerceri possunt; quod proprium est, quoad entitatem, de infusis; at quoad perfectionem et relationem ad ordinem supernaturalem, commune est virtutibus omnibus, etiam acquisitis [7].

3. Eo ipso, quod virtus quælibet est habitus operativus, patet abjiciendam esse recens inductam distinctionem virtutum in *activas* et *passivas*. Voluerunt neoreformatores americani dicendas esse virtutes passivas obedientiam, humilitatem, suiipsius abnegationem; ac si hæ non amplius valeant hominem perficere in ordine ad agendum bene. Porro « magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est,... qui haud mutatur progredientibus sæculis, sed idem *heri et hodie, ipse et in sæcula*. Ad omnium igitur ætatum homines pertinet illud: *discite a me, quia mitis sum et humilis corde;* nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem;* valetque quavis ætate Apostoli sententia: *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* » [8]. Quare semper verum erit illud: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* [9].

4) S. Thomas *Qu. 56 art. 3;* Noldin I. *Num. 255.* — Sunt vero proprie virtutes, si, et quatenus, ad agendum moraliter bene ordinantur. Cf. Tanqu *582.*

5) Cf. Tanquerey *Num. 509, seqq.;* Zanin. *571. 11.*

6) Ceterum constat exsistere in hominibus a natura quasdam dispositiones vel propensiones quæ dici possunt *habitus* (boni vel mali) *inchoactive*. S. Thomas *Qu. 51, art. 1;* Tanqu. I. *106-108,* — Hoc sensu habitibus *naturalibus* opponuntur *acquisiti*. D'Ann. I. *140.*

7) S. Thomas *Qu. 63, art. 1, 3,* et *Quæst. Disp. De virtut. Qu. 1, a. 10.* Cf. Billot, *De virtut. infusis* I. *Prolegom. gener.* (Romæ 1905).

8) Leo XIII in *Epistola* ad card. Jac. Gibbons die 22 jan. a. 1899.

9) Matth. *XVI. 24.* — Pius X. *Exhortatio ad clerum* die 4 aug. a. 1908.

TRACTATUS PRIMUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

4. Virtutes *theologicæ* dicuntur illæ, quæ circa Deum immediate versantur. Sunt autem tres: *Fides, Spes. Caritas;* juxta illud Apostoli: *Nunc autem manent fides, spes, caritas; tria hæc* [1]. Harum virtutum Deus est objectum materiale immediatum et adæquatum aut saltem princeps: Deus est enim, quem primo credimus, speramus, diligimus. Insuper Deus vel aliqua divina perfectio est earumdem objectum formale, et quidem unicum: credimus enim ei, quia veritas est; speramus ab eo, quia fidelis est; diligimus eum, quia est ipsa bonitas in se et est noster ultimus finis [2].

5. Istæ virtutes sunt homini absolute necessariæ, ut suum finem consequatur. Hunc enim consequi non potest, nisi per intimam unionem, qua ipse in Deo maneat et Deus in eo, in qua unione est caritas; at Deo uniri non potest, nisi et noverit eum, et se eum consecuturum speret. Hæc habitatio hominis in Deo et Dei in homine « credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur » [3]. Proinde habitus harum virtutum necessarii sunt necessitate medii ad salutem; cum justificatio in præsenti ordine non conferatur, nisi cum earumdem virtutum infusione.

6. Quod hæ virtutes animæ infundantur in justificatione, doctrina certa est, et, juxta quosdam, de fide. Clare traditur in Concilio Tridentino: « In ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur: fidem, spem, caritatem » [4]. Infusæ autem augeri possunt, tum per novam infusionem a Deo per dignam sacramentorum susceptionem et per actus operantis merentes augmentum gratiæ sanctificantis, tum per ipsum earumdem virtutum frequens exercitium: unde Ecclesia rogat a Deo: « Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum » [5]. Amittuntur vero *directe* per actus iisdem graviter contrarios; ita fides per apostasiam vel hæresim; spes per desperationem; caritas per odium in Deum. At *indirecte* spes amittitur amissa fide, sine qua impossibile est sperare Deum et a Deo; caritas vero *indirecte* amittitur per quodcumque peccatum mortale; quodlibet enim peccatum mortale sufficiens est ad tollendam unionem hominis cum Deo, in qua unione est caritas [6].

1) I. Cor. *XIII. 13.*
2) De connexione inter has virtutes agit S. Thomas *1. 2. Qu. 62.*
3) S. August. *Serm. 27 Num. 3,* apud Migne *Patr. lat.* XXXVIII. *178.*
4) Concilium Trid. *Sess. VI. Cap. 7.* — Cf. theologos speculativos.
5) *Oratio* Dom. 13 post Pent. — Cf. Concilium Trid. *Sess. VI. Cap. 10.*
6) Cf. Mazzella *De virtutibus infusis Disp. III. Num. 204-216, 238-257.*

DE VIRTUTE FIDEI

7. *Fides* in genere est « assensus assertioni alterius propter auctoritatem asserentis ». Fides vero *theologica*, si spectetur ut *habitus*, est « assensus veritatibus a Deo revelatis, propter autoritatem Dei revelantis ». Si spectetur ut *actus*, est ipse assensus propter auctoritatem Dei hisce veritatibus præstitus 1.

Iste actus, eo quod est assensus, elicitur immediate ab intellectu; est autem maxime rationalis, utpote qui innititur motivis non mere probabilibus, sed certis, quæ factum divinæ revelationis subjective certum faciunt. Hinc merito damnata fuit a Pio X *Prop.* 55: « Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum ». Simul vero idem assensus liber est; imperatur enim a voluntate libere se determinante ad assentiendum: siquidem homo, cognitis etiam motivis credibilitatis, adhuc posset dissentire, aut non assentiri firmiter, aut assentiri ex motivis aliis ab auctoritate Dei revelantis 2. Demum supernaturalis est, tum quia supernaturalis est habitus a quo elicitur, tum quia elicitur viribus gratiæ.

8. Fides (sive actus, sive habitus) est *explicita*, cum intellectus aliquam veritatem revelatam cognoscit eique cognitæ assentitur. Est vero *implicita* in aliquam veritatem, cum eam non cognoscit, sed eam complectitur veluti comprehensam in alia veritate cognita et credita explicite. Ita, qui explicite credit Jesum esse Filium Dei incarnatum, simul implicite credit in una persona divina esse duas naturas, duas voluntates, duas operandi rationes, etc. Dici potest *implicita* etiam fides præstita veritatibus etiam non cognitis, quæ ab alio creduntur aut proponuntur; ut, cum quis credit quidquid Ecclesia credit, aut credendum esse docet.

Fides exercetur *formaliter*, cum intellectus hic et nunc assensum actu præbet alicui veritati. Exercetur *virtualiter*, cum actus aliquis ponitur vi fidei, quæ ipsius est aut causa aut conditio. Actus ille jam est actus fidei in veritatem habitu creditam; ideoque est actus fidei elicitus *exercite*. Ita accessio ad sacram communionem pro implendo præcepto paschali est actus fidei, tum in realem Christi præsentiam, tum in auctoritatem legiferam Ecclesiæ.

Dicitur *formata* seu *viva* fides, quando conjuncta est cum habitu caritatis; secus *informis* seu *mortua* esse dicitur. Quandoque nomine fidei *vivæ* intelligitur ea, quæ sint operativa, cui nempe opera respondent; *mortua*, cui non respondent opera 3.

1) S. Thomas 2. 2. *Qu. 1-20*; S. Lig. *II. 1-19*; Ball. II. *De præc. fidei.* — Diserte Mazzella *Op. cit.*; Billot *De virtut. infusis*; *De fide.*

2) De analysi actus fidei Franzelin *De Trad. et Script. App. Cap. IV.*; Billot *Th. XVIII.*; Tanqu. I. *618.* — Contra modernistas Petazzi apud *Rivista d'Apol. crist.* (Vicenza 1912). Cf. et Zanin. *Num. 614, seqq.*

3) Utique opera respondere debent fidei, et *fides sine operibus mortua est*: at hoc longe distat a doctrina modernistica *Prop. 26* Syllabi *Lamentabili*, apud Denziger *Enchir. Num. 2026.*

CAPUT I.

DE NECESSITATE FIDEI

9. Non agimus heic de habitu fidei, quem omnibus necessarium esse *necessitate medii* ad vitam æternam demonstrant theologi speculativi [1]. Quoad ipsum actum fidei, distinguere oportet actum, seu assensum mentis internum ab externa fidei professione: ille potest esse sine ista; ista sine illo hypocrisis esset et mendacium.

Principia I. Actus fidei, saltem implicitæ vel virtualis omnibus peccatoribus adultis necessarius est *necessitate medii* ad justificationem consequendam. Ratio est, quia *credere oportet accedentem ad Deum* [2]; et « fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis » [3].

II. Actus fidei omnibus adultis, etiam justis, necessarius est *necessitate præcepti*. Constat ex S. Scriptura: *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi* [4]. Confirmatur ex *Prop. 16* ab Innocentio XI damnata « Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se » : accedit et communis sententia theologorum.

III. Adest præceptum affirmativum profitendi aliquando fidem internam. Ita : *a*) Ratione ipsius vitæ socialis et visibilis Ecclesiæ tenentur quandoque fideles suam fidem saltem virtualiter profiteri, quo ceteris quoque manifestent se esse membra Ecclesiæ [5]. — *b*) Item tenentur, « quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secum ferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, injuriam Dei vel scandalum proximi » [6]. In hisce casibus obligatio profitendi urget cum incommodo quocumque, etiam cum periculo vitæ.

10. **Resolutiones.** — *Ex Princ. III.* — 1.ª Non peccat contra fidem catholicus, qui in regione hæretica carnes diebus vetitis comedat, timens mala gravia, si catholicus agnosceretur: item nec sacerdos, qui eadem ratione vestibus laicalibus uteretur; aut qui, degens inter Tur-

1) De graviori objectione agit S. THOMAS *De verit. Qu. 14, art. 11 ad 1.*
2) HEBR. *XI. 6;* et GAL. *II. 16.* — Cf. CONC. VATIC. *Sess. III. Cap. 3.*
3) CONCILIUM TRID. *Sess. VI. Cap. 8.* — Cf. TANQU. *Num. 625 seqq.*
4) I. Jo. *III. 23.* — Cf. NOLDIN II. *Num. 13-15;* GEN. *193-195.*
5) S. THOMAS *2. 2. Qu. 3. art. 2.* — BALL. *Num. 67, sequ.;* GEN. I. *196.*
6) CODEX *Can. 1325 1.* — De professione emittenda vi Juris positivi CODEX *Can. 1406, 1407, 1408.* Cf. et S. Off. Decr. 22 martii a. 1918.

cas, vestes Turcarum proprias indueret; aut qui instante persecutione aufugeret.

2.ª Si in convivio hominum incredulorum carnes afferantur in contemptum Ecclesiæ et religionis catholicæ, catholicus inibi præsens tenetur suam fidem profiteri, a carnibus abstinendo sub incommodo quocumque.

3.ª Si carnes afferantur in convivio hominum catholicorum laxæ conscientiæ, et quidem ex neglectu legis Ecclesiæ, ille qui comedat, peccare quidem potest et graviter contra legem Ecclesiæ, at *per se* non peccaret contra fidem.

4.ª Catholicus de sua fide interrogatus peccat contra fidem, si ita tergiversando aut æquivocando respondeat, ut ejus agendi ratio jure ab audientibus accipienda sit ut suæ fidei negatio 7: secus peccare poterit pusillanimitate, aut etiam nullatenus peccare.

5.ª Qui, obvium habens in via SS. Sacramentum, erubescat suam fidem per signum reverentiæ profiteri, peccat plus minusve graviter contra religionem. De eo Christus: *Qui me erubuerit.... hunc Filius hominis erúbescet, cum venerit in majestate sua.*

6.ª Catholicus, qui in cœtu hominum obloquentium de religione, ad vitandam eorum offensionem taceat, facile peccat, et *per se* graviter peccato omissionis contra religionem: gravius, tum contra religionem, tum contra caritatem, in iisdem adjunctis peccaret sacerdos, et multo magis parochus. Si ille aut iste, sive tacendo, sive subridendo consentire videatur, peccaret etiam contra fidem.

7.ª Generatim injuriam irrogant Christo catholici, qui ex futili humani respectu prætextu erubescunt dictis et factis aperte se catholicos profiteri; at gravitas peccati pendet ex pluribus circumstantiis, quas perdifficile est æstimare, tum objective, tum maxime subjective.

11. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quandonam urgeat præceptum eliciendi actum fidei?

Resp. 1.° Præceptum negativum, prohibens, tum aliquam veritatem revelatam negare, tum de ea dubitare, evidenter obligat semper et pro semper.

2.° Præceptum affirmativum aliquando obligat *per se* vel *ratione sui*: *a*) Post adeptum usum rationis, quando puero aliqua veritas tamquam a Deo revelata proponitur cum motivis credibilitatis pro conditione pueri sufficientibus; *b*) quando infideli vel hæretico adulto veritas fidei nostræ sufficienter proponitur 8; *c*) quando fidei nova aliqua definitio proponitur ab Ecclesia; *d*) aliquando in vita 9. — Cum qua frequentia hæc postre-

7) Pro casu interrogationis a publica auctoritate, *Prop. 18* ab Innocentio XI damnata: « Si a publica auctoritate quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno ». — Plura apud SABETTI *Num. 154.*

8) At ad obligationem in periculo mortis satis est quod fides catholica probabilior esse videatur. BALLERINI *Num. 45.*

9) Obligatio eliciendi actum fidei in periculo mortis, etiamsi nulla urgeat tentatio contra fidem, est probabilior quidem, at non certa.

ma obligatio urgeat, inter Doctores non convenit. Certe non sufficit actum fidei elicere semel in vita, imo nec semel quolibet quinquennio, ex *Prop. 5* et *6* damnatis ab Innocentio XI [10]: infra hunc limitem, quidam putant eliciendum esse semel quolibet anno, alii quolibet semestri, alii quolibet mense aut frequentius; at sunt meræ opiniones. Ceterum, qui satisfacit ceteris officiis religiosis, puta confitendo et communicando singulis annis vel diebus festis Missam audiendo, hic certissime implet exercite præceptum actus fidei eliciendi: illis enim præceptis satisfacit actu credens; quod ad præceptum fidei implendum certe sufficit.

3.° Idem præceptum obligare potest *per accidens*, seu ratione alterius præcepti: *a*) Quando urgeat aliqua tentatio, quæ sine actus fidei vinci non possit; *b*) quando quis in hæresim lapsus fuerit, aut fidem negaverit; *c*) quando quis debeat aut velit ponere actum, qui impossibilis sit sine actu fidei implicitæ vel virtualis circa proprium objectum; puta in suscipiendo sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT II.

DE OBJECTO FIDEI

12. *Objectum* fidei theologicæ duplex distinguitur: *Formale*, h. e., ratio, propter quam intellectus assensum præbet: *materiale*, h. e., complexus earum veritatum, quæ sunt ab omnibus credendæ. Si revelatio quædam particularis alicui a Deo facta est, huic ipse solus credere tenetur, fide, quæ dici potest *divina privata;* dum fides, cujus objectum necessario credendum est omnibus, est *divina catholica*, seu *universalis*. — De hac nobis agendum.

Principia I. Objectum formale fidei in se est auctoritas Dei revelantis, qui nec fallere nec falli potest; propter quam auctoritatem, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, Dei aspirante et adjuvante gratia credimus vera esse, quæ ab eo sunt revelata.

II. Organum authenticum, nobis divinam revelationem intimans, est Ecclesia catholica; cui Christus per se et per Spiritum sanctum et Apostolos universum revelationis depositum commisit [1], quamque ipse voluit esse medium infallibile et necessarium, quo veritates revelatas et ab omnibus credendas cognoscamus.

III. Objectum materiale fidei, seu credendum, sunt omnia ea, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia,

10) Apud DENZIGER *Enchir. Num. 1155, 1156.*

1) Damnata fuit a Pio X *Prop. 21* Syllabi *Lamentabili*: « Revelatio, objectum fidei constituens, non fuit cum Apostolis completa ».

sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata, credenda proponuntur. Constat ex definitione Concilii Vaticani [2].

IV. Ex his, duo scienda et explicite credenda sunt ab adultis necessitate medii: *a*) Quod Deus exsistit; *b*) quod Deus est remunerator bonorum operum et vindex malorum. Constat ex testimonio divinæ Scripturæ: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* [3]. Hinc adultus, qui, etsi inculpabiliter, hæc ignoret, incapax est justificationis [4].

V. Necessitate præcepti tenentur omnes fideles adulti scire et explicite credere præcipuas fidei christianæ veritates; insuper cognoscere debent præcepta omnibus communia et sibi propria, ut ea possint observare.

13. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Fides late dicta ex testimonio creaturarum, quæ nobis invisibilis Dei attributa manifestant, non sufficit ad justificationem et salutem.

2.ª Motiva credibilitatis non sunt objectum formale fidei: hæc enim immediate et per se spectant factum revelationis, non ipsas veritates credendas.

3.ª Infallibilis auctoritas Ecclesiæ non est objectum formale fidei: per ipsam cognoscimus quænam sint veritates a Deo revelatæ; sed has credimus propter auctoritatem Dei revelantis.

4.ª Assensus fidei debet esse firmissimus, utpote qui divinæ auctoritati innititur. Hinc grave peccatum est quodcumque dubium deliberatum de veritate, quæ cognoscatur esse revelata.

5.ª Idem assensus debet esse universalis: hinc graviter peccat contra fidem qui vel unum fidei articulum neget, aut de eo dubitet; negat enim objectum formale.

14. *Ex Princ. III.* — 1.ª Inspiratio sacræ Scripturæ et omnium partium ejusdem est objectum materiale fidei; utpote quod nobis ut a Deo revelatum proponitur ab Ecclesia.

2.ª Nulla facta distinctione inter articulos fundamentales et non fundamentales, credere debemus omnes veritates quæ ut revelatæ ab Ecclesia nobis proponuntur; et quidem etsi in libris sacræ Scripturæ non contineantur.

3.ª Ipsæ veritates rationales, vita futura, æternitas præmii et pœna-

2) Concilium Vatic. *Sess. III. Cap. 3* — Demonstratio penes theologos.
3) Hebr. *XI. 6.* — Cf. Zanin. *Num. 525.*
4) Infantibus sufficit habitus fidei infusus in Baptismate. Quod requiratur fides explicita et actualis in puero baptizato et vix usum rationis adepto, et quidem *necessitate medii*, falsum esse videtur. Ball. *Num. 16.* — Cf. Hurter *Theol. dogm. I. 470.* — Adulti heic dicuntur qui adepti sunt usum rationis.

rum, etc., prout in divina revelatione continentur, sunt objectum fidei credendum.

4.ª Post mortem Apostolorum nulla haberi potest veritatum fide catholica credendarum auctio vel minutio vel mutatio: nec ulla dari potest objectiva dogmatum evolutio; datur tantum progressus dogmaticus subjectivus, qui sit « potius profectus fidelis in fide, quam fidei in fideli » 5.

25. **Quæstiones.** — *Circa Princ. IV.* — *Qu. un.* An eadem necessitate medii necessaria sit cognitio et fides explicita mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis?

Resp. Duplex datur sententia, altera affirmans, altera negans: utraque certe probabilis. Ratio potissima sententiæ negantis est exquisita subtilitas, vel potius infirmitas rationum, quæ afferuntur pro sententia affirmante. At insuper non videtur admittenda necessitas medii; cum ad tendendum in Deum finem supernaturalem absolute sufficere videatur, et in veteri Lege suffecerit, cognitio explicita duorum articulorum fundamentalium. — Neque obstat *Prop. 64* damnata ab Innocentio VI: « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. Iesu Christi ». Hæc enim ignorantia excluderet etiam necessitatem præcepti, quæ certe exsistit. — Inde hæc sequuntur:

1.° Data hypothesi, quod quis adultus, ad confessionem accedens, ignoret etiam inculpabiliter exsistentiam Dei et Dei remuneratoris, hic certe absolveretur invalide.

2.° Si accedens ad sacramentum Pœnitentiæ ignoret inculpabiliter duo mysteria, ejus absolutio dubie valida est: ergo confessarius extra casum necessitatis non debet eumdem absolvere, nisi prius eum summarie duo mysteria docuerit et actum fidei explicitæ obtinuerit; quod si habetur necessitas absolvendi et simul impossibilitas docendi, absolvat eum sub conditione.

3.° Confessarius habens coram se pœnitentem, de quo jure dubitat num ea mysteria cognoscat, non debet eumdem absolvere: prius interroget; scientem et credentem absolvat; ignorantem doceat et post acceptam professionem fidei explicitæ absolvat.

16. *Circa Princ. V.* — *Qu. 1.* Quænam sunt veritates fidei omnibus fidelibus cognoscendæ et explicite credendæ necessitate præcepti?

Resp. a) In primis cognoscere debent et credere *Symbolum apostolicum*, in quo proponuntur veritates præcipuæ de Deo, de Incarnatione et humani generis redemptione, de Ecclesia. Non tamen tenentur scire absolute quoad singula etiam accessoria; puta quod Jesus passus est *sub Pontio Pilato*. — *b)* Scire et credere debent *Sacramenta*, quæ sunt omnibus necessaria; Baptismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, et præcipua, quæ

5) Albertus M. — Cf. *Propp. 54, 60* Syllabi *Lamentabili* apud Denzinger *Num. 2054, 2090.*

ad ea referuntur de efficacia, de necessitate, de dispositionibus, etc.: reliqua nosse debent, qui eadem brevi suscepturi sunt 6. — *c*) Demum scire et credere debent alias veritates, quæ ab Ecclesia credendæ passim proponuntur, magisterio sive solemni, sive ordinario; ex. gr., B. Mariæ immaculatam conceptionem et virginitatem, R. Pontificis primatum et infallibilitatem, etc. — Evidenter obligatio et extensio et profunditas cognitionis harum veritatum alia et alia est pro diversa conditione aut ætate fidelium; magis tenentur sacerdotes, qui docere debent, quam laici; magis adulti, quam pueri; etc.

Qu. 2. Quænam sunt præcepta ab omnibus cognoscenda?

Resp. a) *Præcepta Decalogi*, saltem quoad summam eorumdem; insuper ipse quoque Decalogus fide divina et explicite credendus est. — *b*) *Præcepta Ecclesiæ*, quæ sunt ab omnibus observanda: de ipsa Ecclesia explicite credendum est quod ex divina auctoritate jus et potestatem habet ferendi præcepta. — *c*) Omnes tenetur scire *Orationem dominicam*, saltem quoad substantiam: obligatio sciendi habetur communiter ut gravis; obligatio recitandi aliquando, ut levis. — *d*) Insuper singuli scire debent ea, quæ sunt sui officii aut conditionis propria.

CAPUT III.

DE PECCATIS CONTRA FIDEM

17. « Virtuti fidei absolute opponitur *infidelitas;* quæ, si in homine baptizato sit respectu dogmatum in manifesta Ecclesiæ prædicatione jam exsistentium, speciali nomine *hæresis* nuncupatur » 1. Utraque potest esset mere *materialis*, seu *non voluntaria;* ut esset in eo, cui vera fides non fuit umquam proposita, ne sufficienter quidem ad dubitandum: erit vero *formalis* et quidem *voluntaria in se*, si fides proposita fuit cum motivis sufficientibus ad exigendum assensum; *formalis* et *voluntaria in causa*, si fuit proposita cum motivis sufficientibus ad excitandum dubium, quod quis non curavit investigare, ut veritatem assequeretur.

Hæresis haberi potest etiam in eo, qui veram fidem habitam in Baptismo et catholica educatione excultam, sua voluntate abjecit, voluntarie adhærendo erroribus contrariis: si quis voluntarie adhæsit uni vel pluribus erroribus, dicitur *hæreticus* simpliciter; si voluntarie ac totaliter recessit a fide et religione catholica, dicitur *apostata*.

18. **Principia.1.** Infidelitas et hæresis, quæ sint voluntariæ *in se*, et apostasia, sunt peccata mortalia ex toto genere suo. Ratio est; *a*) quia in his habetur negatio auctoritatis, aut Dei revelantis, aut Ecclesiæ proponentis; *b*) per hæc excluditur ab anima fides,

6) Expositio brevis singulorum penes GURY I. *Num. 198-200;* NOLDIN *9-12.*

1) BILLOT *Op. cit. Thes. XXIII.*: ibidem ejusdem demonstratio.

quæ virtus theologica est, et fundamentum justitiæ, sine qua impossibile est placere Deo. c) Neque regulariter a gravissimo peccato formali excusantur illi, qui ad incredulitatem aut hæresim deflectunt, postquam inter catholicos educati fuerant; non enim in illis esse potest absoluta bona fides. Quare de his certum est : *Qui non crediderit, condemnabitur.*

II. Infidelitas aut hæresis mere materialis non est peccatum : deest enim voluntarietas. Tamen misera est conditio eorum, qui alterutra laborant; licet enim non absolute excludantur a vita æterna, tamen difficilius et nonnisi *per accidens* eam consequi poterunt [2].

III. Infidelitas et hæresis indirecte voluntariæ sunt peccata mortalia ex genere suo. Sunt enim contraria voluntati Dei, qui vult omnes homines venire ad agnitionem veritatis; sunt contraria caritati, quæ præcipit ut quisque in re tanti momenti suæ æternae saluti prospiciat, investigando et sequendo tutiora.

IV. Hæresis est, non modo negatio alicujus veritatis credendæ de fide, sed et simplex de ea dubitatio deliberata [3]; cum hæc ipsa dubitatio contraria sit objecto formali fidei. Hinc dubius in fide infidelis est.

V. Qui, etiam metu mortis compulsus, fidem externe tantum neget, aut hæresim externe profiteatur, sive expresse, sive virtualiter, graviter peccat contra fidem; licet in foro conscientiæ pœnas hæreticorum non incurrat.

Quæstiones. — *Qu. 1.* Quinam errantes in fide habendi sint ut hæretici tantum materiales ?

Resp. In primis ejusmodi sunt plures, qui nati et educati in secta hæretica, puta inter lutheranos vel anglicanos, nihil umquam de veritate suæ sectæ dubitarunt : hinc isti pertinere forte poterunt ad animam Ecclesiæ, ipsisque, præsertim in periculo mortis, quandoque dari poterunt sacramenta ad æternam salutem necessaria. Item, qui, licet opinionem teneant in se hæreticam, tamen aut ignorant eam esse hæreticam, aut, dubitantes, parati sunt stare judicio Ecclesiæ 4. At sunt hæretici formales, qui, scientes suam opinionem hodie damnari tamquam hæreticam a R. Ponti-

2) Si quis paganus « ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium ». S. THOMAS *Quæst. disput. De verit. Qu. 14 art. 15.*

3) CODEX *Can. 1325 § 2.* — Cf. BALLERINI *Num. 45;* NOLDIN *33.*

4) Non omnes illi, qui dicunt aut scribunt se esse paratos. — Cf. GURY *Casus* II. *488-491.*

fice et Episcopis, prætendunt se catholicos esse ex consensione sui cum Ecclesia futura, vel cum ea Ecclesia, quam volunt esse collectionem fidelium omnium, præsertim eorum qui spectant ad Ecclesiam discentem.

Qu. 2. Utrum liberalismus sit hæresis?

Resp. Affirmative, loquendo *per se*. Liberalismus enim, si radicalis est, profitetur subjectionem Ecclesiæ erga statum civilem; si est moderatus, independentiam mutuam Ecclesiæ et status. Porro subordinatio (indirecta) status erga Ecclesiam continetur in ea plenitudine potestatis, quam Christus contulit Petro ejusque successoribus; quam veritatem definivit Bonifatius VIII in Bulla *Unam sanctum,* et confirmarunt plures ex sequentibus Pontificibus [5]. Dicimus: *per se*. Datur enim et ea absurditas, quæ *liberalismus catholicus* nominatur; et proinde in hodierna idearum confusione ab hæresi formali plures excusari possunt *per accidens*.

Qu. 3. An modernistæ sint hæretici?

Resp. Absque dubio ipsæ theoriæ modernisticæ, nedum hæreticæ sunt, sed et « *Conlectus hæreseon* », ut eas definivit Pius X. Porro post recentiora documenta edita a S. Sede, impossibile est quod modernistæ existiment suas theorias in sensu ipsorum proprio damnatas non fuisse a S. Sede, tamquam hæreticas [6].

Qu. 4. Quid de adscriptione ad societates massonicas?

Reps. Ea adscriptio, imo et simplex adhæsio, si fiat cum perfecta cognitione finis earum sectarum, jam ex se est apostasia a fide catholica: secus *per se* adhuc est peccatum mortale, propter periculum proximum recedendi a fide catholica, et quidem totaliter et permanenter [7]. — Patet generatim apostatas esse, qui e catholicis fiant massones, increduli, anticlericales seu anticatholici; multo magis, qui fiant positivistæ, rationalistæ, deistæ, athei, etc.

Qu. 5. Quænam sint hodie causæ peccatorum contra fidem?

Resp. 1.° Quoad fideles vulgares, causæ præcipuæ sunt: *a*) Alienatio ab audiendo verbo Dei, cujus quidem alienationis multiplices sunt causæ; inde latissima veritatum catholicarum ignorantia: *b*) prava puerorum et juvenum institutio in scholis, et per ephemerides, libellos, ecc.: inde quamplurimi errores, quorum damma sæpe irreparabilia: *c*) contemptus in Ecclesiam et catholicum clerum excitatus artibus massonicis; inde concussum medium a Deo constitutum, quo divina revelatio nobis communicetur atque credibilis et credenda esse pateat.

2.° Quoad clericos et laicos cultiores, causa potissima est spiritus rationalisticus e scholis Germaniæ in scholas Galliæ, et ex istis in nostras

5) Cf. Genicot *Num. 205;* Palm. apud Ball. *164-173;* Sarda *Il liberalismo è peccato.*

6) Pius X Encycl. *Pascendi;* quæ, et syllabus *Lamentabili* ex Motu-proprio *Præstantia,* diei 1 nov. a 1907, habentur ut documenta *ex cathedra.*

7) Cf. Leonis XIII Encycl. *Humanum genus* 20 apr. 1884; Codex *Can. 2335.* — Plura et præclara habet Tanqu. *Num. 664-666.* — Idem dici potest de societate *Lega democratica nazionale,* quæ hæretica est aut schismatica.

invectus altera parte sæculi superioris, cui ubique fœderatus est spiritus individualis independentiæ a quacumque auctoritate.

Qu. 6. Quænam sint remedia contra hujusmodi mala ?

Resp. : *a*) Quoad fideles vulgares, remedium fundamentale est prædicatio verbi Dei, quæ fiat, tum exemplis vitæ perfectioris in clero, tum concionibus ; hæc autem prædicatio verbalis congrua sit actuali rerum conditioni, præsertim catechetica et apologetica, captui auditorum accomodata, et diligenti præparatione disposita. — *b*) Quoad pueros, parentibus, etiam sub pœna denegandæ absolutionis, intimetur ne filios hæreticis aut impiis instituendos tradant. — *c*) Quoad clericos et cultiores laicos, remedium radicale esset humilitas. — *d*) Quoad omnes, remedium omnino necessarium est oratio ; qua supplices a Deo rogemus : « Credo, Domine ; adjuva incredulitatem meam.... Adauge nobis fidem » 8.

20. **Scholion.** — **I.** *De cavendis periculis contra fidem.* — Ut aliqua veritas credenda sit fide divina, necesse est quod ea fuerit a Deo revelata, et tamquam talis ab Ecclesia proponatur ut credenda. Si alterutra conditio desit, non habebitur obligatio adhærendi eidem assensu firmissimo fidei divinæ : at, si agatur de doctrina ad fidem vel mores pertinente, adhuc haberi potest obligatio adhærendi illi doctrinæ vero assensu religioso, propter auctoritatem Ecclesiæ, quæ essensum illi præstandum esse doceat. Quare tunc denegatio vel suspensio assensus, hæresis quidem non erit, at indirecte erit peccatum mortale contra virtutem fidei, quam in gravissimum et moraliter certum discrimen adducit. Insuper evitanda quoque sunt omnia pericula, quæ ex causis externis provenire possent contra fidem. — Itaque :

1.° Peccant graviter contra fidem, qui assensum mentis non præbeant illis doctrinis, quæ communi et constanti theologorum consensu habentur tamquam veritates theologicæ, et conclusiones ita certæ, ut opiniones iisdem adversæ, quamquam hæreticæ dici nequeant, tamen aliquam theologicam mereantur censuram 9.

2.° « Satis non est hæreticam pravitatem devitare ; sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt : quare omnes debent etiam Constitutiones et decreta servare, quibus pravæ hujusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt » 10.

3.° Peccant graviter, qui non assentiantur interne decisioni alicujus facti dogmatici datæ ab Ecclesia ; puta declarationi, qua edictum fuerit doctrinam aliquam censuratam, in sensu latæ censuræ, esse doctrinam genuinam alicujus libri.

4.° Pœnitentes opinantes ignem inferni non esse realem, sed meta-

8) Etiam de causis et remedis fuse et optime TANQUEREY *Num.* 669-694.

9) PIUS IX. Epist. *Tuas libenter* ad archiep. Monaci 21 dec. a. 1853.

10) CODEX *Can.* 1324. — Cf. BILLOT *Op. cit. Th. XXIV ;* LEHMK. *Num.* 302-304; CHOUPIN *Valeurs des décisions doctrin. et discipl. du Saint-Siège.*

phoricum, diligenter instruendi sunt a confessario; pertinaces non absolvontur 11.

5.° Graviter peccant contra fidem, qui legant libros propter periculum contra fidem prohibitos; sive prohibiti fuerint per eorum insertionem in *Indicem*, sive tales esse comperiantur per Canones codicis.

6.° Graviter peccant, qui proprios filios magistris incredulis vel atheis erudiendos committant: item; qui committant scholis neutralibus, in quibus indifferentismus ac irreligiositas mentibus puerorum insinuabitur; nisi mediis certe efficacibus hæc pericula amoveantur 12.

21. **II.** *De vitanda communicatione cum infidelibus et hæreticis.* — Ex officio non negandi fidem, ne apparenter quidem, sequuntur et alia officia, quæ hodie graves pati possunt difficultates. Generatim tum jure naturali, tum jure positivo, prohibita est cum infidelibus aut hæreticis communicatio *religiosa*, seu in cæremoniis sacris aut quasi sacris; licita est, aut saltem toleranda, communicatio *civilis*. — Itaque:

1.° Non licet participare cœnæ liturgicæ hæreticorum, neque *regulariter* eorum Baptismis assistere. Neque licet eorum templa adire animo adsistendi functionibus religiosis, vel etiam si ingressus ipse aliquam inferat, vel inferre videatur, communicationem *in divinis*, aut habeatur tamquam protestatio ejusdem fidei, vel utcumque tamquam tessera unius communionis religiosæ 13.

2.° Non licet per se vel per procuratorem fungi munere patrini in Baptismis hæreticorum; vel patrinum hæreticum admittere in Baptismo infantis familiæ catholicæ. Nec licet umquam matrimonium inire coram ministro acatholico, prout est minister religiosus.

3.° Extra casum necessitatis, non licet petere aut accipere sacramentum a ministro hæretico aut schismatico.

4.° Qui infirmis adsistunt in nosocomiis, nominatim moniales, non possunt advocare ministrum acatholicum, quando hunc infirmus acatholicus exoptet ad religiosa solatia accipienda. In eo casu oportet eas se habere passive 14; h. e., ad summum permittere, et forte curare, ut aliqua ejusdem sectæ persona ministrum accersat.

5.° Non peccat contra fidem, qui visitat templa hæreticorum vel infidelium ex mera curiositate; item, qui interest convivio nuptiali aut funeri hæreticorum; quia hæc proprie ad fidem non pertinent, et communiter habentur ut conventus mere civiles.

6.° Catholicus non debet in functionibus acatholicorum cantare aut

11) S. Pœnit. 20 apr. 1890. Tamen attendantur normæ de monendo, vel non, pœnitente.

12) S. Congr. S. Off. Epist. ad Ordinarios 5 nov. 1920; apud *Acta Ap. Sedis* XII. 597.

13) Facilius et gravius habetur peccatum in regionibus catholicis, maxime vero Romæ. Cf. *Instructio* Card. U. Vicarii die 12 jul. a. 1878.

14) Cf. S. Inqu. 14 martii 1848, 31 jan. 1872, et declarationem Leonis XIII 26 dec. 1898. — Lehmk. *Casus Num. 426-431; Monitore eccles.* X. 265.

organa pulsare; e contra in functionibus catholicis licebit ad hæc officia admittere hæreticum, dummodo et causa gravis habeatur et scandalum amoveatur.

7.° Hodie, secluso perversionis periculo, tolerari potest quod catholicus famuletur in domo infidelis, hebræi aut hæretici; imo etiam quod ancilla catholica dominam hæreticam ad officia religiosa ratione famulatus comitetur; imo et quod ipsa infantem ulnis teneat, dum a ministro protestantico baptizatur; semper tamen cavere debet, ne actio sua ceu participatio religiosa habeatur.

23. **Regulae practicae.** — 1.ª Hodie non raro contingit ad confessionem accedere pœnitentes reos peccatorum contra fidem; quæ peccata quandoque accusantur, quandoque ex ipsa pœnitentis confessione apparent, quin ipse accuset. Si pœnitens videatur de aliqua veritate dubitare dubio ratiocinato, puta de exsistentia alterius vitæ, de æternitate pœnarum, etc., breviter, at recte, est instruendus, et, antequam absolvatur, exigenda fidei professio in eam veritatem.

2.ª Idem agendum cum pœnitentibus, et sunt plures, qui habent conceptus erroneos circa doctrinam aliquam; puta de justitia Dei, de divina providentia; quique non raro in expressiones vere hæreticas erumpunt in ipsa confessione.

3.ª Si accedant pœnitentes de aliqua veritate dubitantes, non dubio ratiocinato, sed ex auditis in officina, in caupona, in triviis, etc., hi confirmandi sunt in fide, potius argumentis indirectis, quam directa demostratione, cujus generatim sunt incapaces. Quod si agatur de dubiis indeliberatis, quibus quandoque ipsæ animæ piæ et maxime credentes anguntur, suadendum est, ut ea non curent; potius expresse profiteantur: « credo quod credit Ecclesia ».

4.ª Alii, et plurimi, ignorant ea, quæ scienda sunt saltem *necessitate præcepti;* hi, quantum fieri potest, instruendi sunt, et monendi de obligatione procurandi sibi cognitiones necessarias.

5.ª Plures non errant aut dubitant de aliqua veritate determinata; sed generatim infirmi sunt et debiles in fide. Hi paterna caritare confirmandi sunt, et adhortandi ut aspiciant in auctorem fidei et consummatorem Jesum, et promissum vere credentibus præmium. Maxime autem caveat confessarius, ne, hisce pœnitentibus absolutionem aut præter casum certæ indispositionis negando, aut præter casum evidentis utilitatis differendo, lignum fumigans exstinguat.

6.ª Ad habendam fidem non est satis quod quis veram fidem non neget: necesse est quod habitu vel actu veritati revelatæ positive assentiatur. Qui neget, est infidelis vel hæreticus; qui nec neget nec positive assentiatur, est *afidelis.* Cum res hodie hypothetica non sit, sacerdotes omnes enixe adlaborare debent, ut qui fideles dicuntur vera fide positive informentur et ex ea operentur et vivant.

DE VIRTUTE SPEI

23. Spes in genere est « desiderium cum exspectatione ». — Spes vero, virtus theologica, est « virtus supernaturalis, infusa, per quam desideramus et cum certa fiducia ex Dei promissione exspectamus futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam ». — Exercitium hujus virtutis est actus spei [1]: exerceri autem potest tum *formaliter*, tum *virtualiter;* actibus, nempe, quorum spes, aut causa sit, aut conditio: horum enim actuum positio jam est *implicite* et *exercite* actus spei.

Objectum *materiale* spei primarium est Deus ipse possidendus, cujus possessio est æterna beatitudo nostra [2]. Objectum vero secundarium sunt omnia media ad beatitudinem consequendam necessaria aut utilia, ut remissio peccatorum, auxilium gratiæ actualis, perseverantia finalis, etc.; imo et ipsa bona temporalia sub conditione quod conferant ad consecutionem vitæ æternæ, aut saltem ab ea non abducant.

Objectum *formale* spei est bonitas et omnipotentia Dei conjuncta cum ejusdem fidelitate in promissionibus suis adimplendis. Quare, sicut fides supponit factum revelationis, ita spes supponit factum divinarum promissionum, quas frequentes et expressas habemus in divina Scriptura, maxime vero in Novo Testamento [3].

Exspectatio bonorum promissorum, seu spes eorumdem, prout fundatur in promissionibus Dei ejusque infinita fidelitate, conjunctam habet certitudinem; hinc *spes non confundit*. Verum, quia Deus beatitudinem æternam nobis promisit, non absolute, sed dependenter a nostra cooperatione, ideo ex parte nostra spes conjunctum habet timorem. Ideo scriptum est: *Cum metu et tremore vestram valutem operamini;* et: *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* [4]. Qui timor, temerariam quidem securitatem excludere debet, at simul ad orationem et alacrem cooperationem excitare: certum est enim quod, si vere velimus, æternam beatitudinem consequemur.

24. **Principia. 1.** Actus spei, aut formaliter, aut virtualiter exercitæ, adultis peccatoribus necessarius est ad justificationem *necessitate medii*. Homo enim peccator tendere debet ad justificationem per actus suos cum gratia Dei consequendam: porro ad hos actus moveri non potest, nisi speret vitam æternam et gratiam divinam, cui cooperando consequi possit justificationem [5].

1) S. Thomas 2. 2. *Qu. 17-22;* S. Ligorius *II. 20, 21;* Billot *Op. cit. Thes. XXV, XXVI;* Mazz. *Op. cit. Disp. V;* Ball. II. *Tract. V.*
2) Quam abs re citetur Gen. *XV. 1,* vide Palmieri apud Gury *Num. 211.*
3) Matth. *V. 1-12, XIX. 17, 29*et *XX. 34, seqq.;* Luc. *XVIII. 28-30;* I. Cor. *I. 9;* Hebr. *VI; 13-20, X. 23;* Tit. *I. 2, III. 7;* etc.
4) Phil. *II. 12;* II. Petr. *I. 10.* — Cf. Conc. Trid. *Sess. VI. Cap. 9-13.*
5) Concilium Trident. *Sess. VI. Cap. 6.* — Cf. Noldin *Num. 44.*

II. Omnibus adultis, etiam justis, necessarius est aliquando in vita actus spei *necessitate præcepti;* scilicet, adest divinum præceptum, tum naturale, tum positivum, ut omnes aliquando eliciant actum spei [6]. Patet ex se, et confirmatur ex *Prop. 1* damnata ab Alexandro VII : « Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium ».

III. Virtuti spei directe duo peccata opponuntur : *a*) desperatio per defectum ; *b*) præsumptio per quemdam excessum [7] : utrumque est grave ex genere suo.

25. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quandonam obliget præceptum eliciendi actum spei ?

Resp. Obligat tum *per se,* tum *per accidens,* ad analogiam eorum, quæ dicta sunt de obligatione eliciendi actum fidei. — Insuper actus spei, tum pro necessitate medii, tum pro necessitate præcepti, elici potest *virtualiter* et *exercite;* ex. gr., cum quis sua peccata confitetur, vel Orationem dominicam recitat, vel aliquid petit a Deo : petendo enim ostendit se sperare consequi quæ petit.

26. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quot modis committatur peccatum desperationis ?

Resp. Generatim duobus modis, pro duobus elementis spei. — *a*) Modus primus in hoc est, quod quis æternam beatitudinem vel media ad eam consequendam non amplius habeat ut sibi possibilia, ideoque ea non exspectet, deponendo fiduciam consequendi. Hoc peccatum, consideratum objective, semper grave est ; subjective potest esse veniale propter imperfectionem actus, ut sæpe contingit ex tristitia vel impatientia ; at semper periculosum valde est [8]. — *b*) Alter in hoc est, quod quis æternam beatitudinem non reputet bonum desiderabile, et proinde de ea assequenda non curet : hoc peccato peccat etiam ille, qui unice aut nimis adhæreat bonis vitæ præsentis ; gravissime autem, qui paratus sit Deo cælum relinquere, si sibi terram aut vitam perpetuo daret in terra.

Qu. 2. Quænam remedia contra tentationes desperationis ?

Resp. 1.° Si agatur de priori modo desperationis, præcipua remedia sunt : Consideratio divinæ bonitatis et misericordiæ ; præsertim prout nobis repræsentatur in parabolis evangelicis ; specialis devotio erga B. Virginem, refugium peccatorum ; maxime vero fiducia in Jesum Christum cruci pro nobis affixum, ejusque perennem in cælis intercessionem pro nobis ad Patrem.

6) Ps. *IX. 6* : Luc. *XI. 1-4;* Rom. *VIII. 24;* Col. *I. 5;* I. Tim. *VI. 17.*
7) S. Thomas *Qu. 21, art. 3.* — Cf. Tanqu. *Num. 719-729.*
8) A desperatione distinguatur dejectio animi ex immoderato timore judiciorum Dei et propriæ infirmitatis. Lehmk. *Num. 311;* Noldin *49.*

2.° Si agatur de altero modo, remedium efficacissimum est consideratio, tum eorum, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum, tum vacuitatis bonorum vitæ præsentis 9.

Ceterum et removendæ sunt causæ desperationis, quarum duæ potissimæ et frequentiores sunt: infirmitas in fide, et luxuria.

Qu. 3. Quibus modis committatur peccatum præsumptionis?

Resp. Numerantur modi quinque: *a*) Si quis speret consequi beatitudinem æternam viribus propriis; et est præsumptio pelagiana. — *b*) Si quis speret supernaturalia ordine indebito; ex. gr., remissionem peccati sine pœnitentia, gloriam sine meritis, eximiam sanctitatem tepide operando; est *peccatum in Spiritum sanctum*, et præsumptio lutherana. — *c*) Si quis speret a Deo auxilia ad res illicitas; est ea, in quam incidunt calviniani et janseniani et quotquot Deum faciunt auctorem peccatorum. — *d*) Si quis speret supernaturalia præter ordinem divinæ providentiæ; ex. gr., se habiturum tantam gloriam in cælo, quantam habet B. Virgo. — *e*) Si quis, diu perseverans in peccatis, tam facile speret futuram veniam, ac si nihil peccasset 10.

De quo postremo duo casus distinguantur: Si quis speret veniam sine pœnitentia, hic præsumit: at, si quis speret veniam ob pœnitentiam in fine vitæ faciendam, hic non præsumit, nisi inde ansam sumat perseverandi in peccato 11. Item præsumit, qui peccata multiplicet, eo quod Deus peccata condonat, tum septies peccanti, tum peccanti septuagies septies: at non proprie præsumeret ille, qui pluries peccaret, eo quod eadem facilitate accusantur peccata plura ac pauca.

DE VIRTUTE CARITATIS

27. Notio communis *caritatis* hæc est, ut sit amor rei caræ seu pretiosæ. Caritas vero, ut est virtus theologica, est « virtus supernaturalis infusa, qua diligimus Deum tamquam summum bonum propter seipsum, et nosmetipsos ac proximum propter Deum » 1. Caritas est omnium virtutum præstantissima; quia Deum modo perfectissimo attingit, ipsumque homniem Deo jungit. Hinc Apostolus: *Nunc manent fides, spes, caritas: tria hæc; major autem horum est caritas.* Exercitium hujus virtutis est actus caritatis.

Objectum *materiale* caritatis (seu amandum) duplex est: primarium,

9) Cf. S. Ligorium *Consigli di confidenza;* Reuter *Neo-confessarius III. 198;* Salvatori *Istruzione per i conf. nov. I. 22.*

10) Suarez *De spe. Disput. II. Sect. III. Num. 2;* Noldin *51;* Gen. *208.*

11) Cf. S. Thomam *Qu. 21, art. 2 ad 3;* Ball. *Num. 52-60.*

1) S. Thomas *2. 2. Qu. 23-29;* Lessius *De summo bono;* S. Lig. *II. Num. 22-80;* Billot et Mazz. *Opp. citt.;* Ball. II. *Tract. V. Sect. III.*

Deus ipse; secundarium, nos ipsi et proximus. Objectum *formale* (ratio amandi) unicum est: bonitas divina, quæ in Deo essentialiter est, in nobis et in proximo per participationem.

Distinguitur amor *concupiscentiæ, benevolentiæ, amicitiæ*. Amor *concupiscentiæ* ille est, quo quis alterum amat, ut bonum suum. Amor *benevolentiæ* ille est, quo quis alterum amat propter ipsum, ipsi bonum volendo. Quod si inter duos hic amor benevolentiæ mutuus sit, habetur amor *amicitiæ*.

Amor actus est voluntatis, qui tamen fundamentum habet cognitionem intellectualem bonitatis objecti amati. Quapropter in amore habetur, tum, ut præsupposita, æstimatio vel *appretiatio* objecti in intellectu, tum aliquis motus voluntatis in objectum, ejusque motûs gradus *intensitatis* majoris vel minoris; qui gradus, quando intensior sit, plerumque etiam in sensum redundat. Nec necessario gradus major vel minor intensitatis in amando respondet majori vel minori appretiationi. Sic sponsa junior, inops et vidua, si forte ejus filiola recens edita moriatur, intensitate amoris materni luget; at simul eam mortem ceu beneficium divinum appretiat, ac de ea gaudet.

Caritas alia est *habitualis*, alia *actualis*. Prior est status permanens voluntatis, quæ sit bene affecta erga objectum amatum: posterior est actus, quo voluntas objectum diligit.

Spectato modo exercendi, proinde quoad actum, alia est *formalis*, alia *virtualis*. Prior consistit in actu, quo voluntas explicite vult alteri bonum: posterior consistit in quolibet actu, qui ponitur virtute caritatis, quamvis formaliter ad aliam virtutem pertineat; ejusmodi est contritio perfecta, condonatio injuriæ acceptæ, etc.

Spectato objecto materiali, caritas alia est *erga Deum*, alia *erga proximum*.

CAPUT I.

DE CARITATE ERGA DEUM

28. Caritas erga Deum, alia est *perfecta*, alia *imperfecta*. Caritas imperfecta est ea, qua Deum diligimus ut benefactorem, propter bona, quæ nobis ipse confert distincta a se ipso: hæc dici solet a quibusdem *amor concupiscentiæ*, et bona est in se, etiam ex eo, quod ad caritatem perfectam facile adducit [1]. Caritas perfecta est ea, qua Deum diligimus secundum omnem rationem bonitatis, quæ in ipso est; qua caritate bene volumus Deo, quia apprehendimus Deum esse bonitatem infinitam, et sibi et nobis. Constat ergo, tum amore *benevolentiæ*, quo Deo bonum volumus, ut omnes eum agnoscant, diligant, laudent et in præsenti vita et in altera; tum amore perfecto *concupiscentiæ*, quo, non bona distincta a Deo, sed Deum ipsum super omnia concupiscimus, ut finem nobis as-

1) Concilium Trid. *Sess. VI. 6*; S. Thomas *Qu. 17, art. 9*. Hic amor concupiscentiæ proprie amor sui est, et ad spem, ut sui causam, pertinet.

sequendum et nostræ beatitudinis objectum. Quapropter hic amor concupiscentiæ est essentialis caritati; adeo ut sine eo ipse amor benevolentiæ ac vera caritas et amicitia cum Deo haberi non possit. « Caritas est amor Dei, qua diligitur, ut beatitudinis objectum »: unde, « dato per impossibile quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi, seu volendi bonum Deo » 2.

Distinguitur *habitus* caritatis ab *actu*. — Habitus est status hominis, qui se in Deum ordinavit, vel per actum caritatis (quando eliciendus erat), vel per justificationem *ex opere operato;* a quo statu nondum excidit per peccatum mortale: est status amicitiæ cum Deo. — Actus est exercitium virtutis caritatis, quo homo Deum amat, Deum diligit.

29. **Principia. I.** Habitus caritatis necessarius est omnibus hominibus *necessitate medii*, et quidem *in re*, ad salutem æternam. Eadem *necessitate medii* necessarius est ad justificationem actus caritaits peccatori adulto, cui medium justificationis non suppetat *ex opere operato*.

1 Datur præceptum speciale eliciendi aliquando actum caritatis erga Deum. Constat ex lege naturali; insuper ex verbis Christi: *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo...; hoc est maximum et primum mandatum* 3. Ergo Deus, infinitum bonum in se et infinitum bonum nobis, vult a nobis amari.

III. Amor erga Deum, pro necessitate sive medii sive præcepti, debet esse summus *appretiative*, quo Deus omnibus bonis præferatur. Non necessario debet esse summus *intensive*, sive absolute, sive relative: non absolute; quia nullus actus cogitari potest ita intensus, ut cum Dei auxilio intensior elici non possit: non relative ad amorem aliorum bonorum; quia tunc pro varietate intensitatis amoris in hæc bona variare deberet intensitas amoris erga Deum. Nec essentia caritatis in gradibus consistit.

30. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quandonam urgeat præceptum eliciendi actum caritatis?

Resp. 1.° Obligat *per se*: *a*) Cum post adeptum usum rationis puero sufficienter proponitur bonitas Dei diligenda. — *b*) Aliquando in vita; at nulla circa hoc habetur determinatio, nisi quod urget saltem quolibet

2) S. THOMAS *1. 2. Qu. 65, art. 5 ad 1;* et *2. 2. Qu. 23, 4; 26, 13;* etc. Plura testimonia Doctoris Angelici, SS. Augustini, Bernardi, Bonaventuræ, Francisci Salesii, etc., apud FAURE *In Enchir. S. August. Num. 7, 8, 121, 122.* — Cf. et D'ANN. II. *11, 9.*

3) MATTH. *XXII. 37.* — Cf. et *Prop. 1* damnatam ab Alexandro VII, quam supra retulimus. Fuse TANQU. *Num. 750-753, 758-763.*

quinquennio ex *Propp.* 5 et 6 damnatis ab Innocentio XI: infra hunc terminum habentur variæ theologorum opiniones, e quibus ea placet S. Alphonso, quæ requirit actum caritatis semel in mense: ceterum sunt meræ opiniones; fideles vero, qui christiane vivant, hoc præceptum virtualiter et implicite adimplent, et proinde hac de causa numquam graviter peccant. — *c*) Quidam putant hoc præceptum urgere in articulo mortis; at mera opinio est, quam confessarius nemini imponere potest, multo minus autem homini in eo discrimine posito. Ceterum moribundi ad actus amoris Dei frequenter iterandos adhortandi sunt.

2.° Obligat *per accidens*: *a*) Quando quis, exsistens in peccato mortali, debeat quocumque motivo justificari, et simul non possit, aut non velit uti medio justificante *ex opere operato*: ita teneretur sacerdos ex perfecta caritate conteri, si, exsistens in peccato mortali, velit alios absolvere, ipse vero non possit, aut non velit, absolvi. — Item, *b*) quando quis premitur tentatione (puta, odii in Deum), quam nonnisi elicito actu caritatis vincere queat.

Qu. 2. An sit difficile actum caritatis perfectæ elicere?

Resp. Nego. — Sane in veteri Lege contritio ex caritate erat unicum medium ordinarium justificationis pro adultis: num difficilis erit caritas perfecta in Lege nova, quæ lex amoris est? Si facile est benefactores diligere, num difficile erit amare D. Jesum Christum Deum, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo? — Adverte quod caritas etiam perfecta exerceri potest *virtualiter;* puta de peccatis propriis dolendo propter displicentiam Deo illatam, vitando peccatum quia Deo displicet, gaudendo de glorificatione Dei, optando ut omnes Deum diligant, orando ut ejus nomen sanctificetur [4].

Qu. 3. An amor amicitiæ includens amorem concupiscentiæ sit amor perfectus?

Resp. Affirmative, tum ex doctrina SS. Thomæ, Bonaventuræ, Bernardi, Franc. Salesii, etc.; tum ex damnatione Quietismi Fenelonii. Utrum vero ipse amor concupiscentiæ, quo, non bona distincta a Deo, sed ipsum Deum super omnia concupiscimus, sufficiens per se sit ad justificationem, *controvertitur.* Alii *negant,* eo quod censent hunc esse amorem sui: alii *affirmant,* contendentes hunc esse amorem caritatis Dei, eo quod ejus motivum formale est bonitas Dei, quamvis relativa [5].

Qu. 4. Quænam sint peccata contra caritatem erga Deum?

Resp. Sunt sequentia: *a*) Omissio actus caritatis, quando eliciendus est ex obligatione. — *b*) Odium inimicitiæ vel malevolentiæ contra Deum; ex. gr., optando ut Deus non sit: quod peccatum omnium gravissimum est. — *c*) Odium abominationis, quo homo divina attributa detestetur, quatenus ea sibi infesta putat; ex. gr., omnipotentiam, a qua pu-

4) Cf. LEHMKUHL *Num. 323, Casus 55;* GEN. *211, Casus 42;* FRASSIN. I. *Nota 24;* BALL. II. *6;* D'ANN. *12;* NOLDIN *55.*

5) Affirmant Bolgeni, Pallavicini, Faure et alii apud HURTER *Theol. dogm.* III. *460*: negat MAZZELLA *De virtut. infusis Num. 2150*; dubitat LEHMK. *314.*

nitionem suorum peccatorum timet. — *d*) Quodlibet peccatum mortale indirecte contrarium est caritati, quatenus ejus habitum ab anima expellit; ratio est, quia qui graviter peccat, Deum ut summum bonum virtualiter et interpretative abjicit, ideoque ipsius amicitiam dissolvit. Non inde tamen cuilibet peccato malitia specialis contra virtutem caritatis accedit.

CAPUT II.

DE CARITATE ERGA PROXIMUM

Agendum nobis est primum de ipso præcepto caritatis, tum internæ, tum externæ; dein de peccatis oppositis caritati.

ART. I. — De ipso præcepto caritatis erga proximum

31. Dilectio proximi potest esse, tum motivo bonitatis naturalis in ipso exsistentis, tum motivo bonitatis divinæ in ipso participatæ. Si primum, habetur amor naturalis in se honestus [1]: si alterum, habetur amor ex virtute theologica caritatis. In hoc amore ex caritate ratio diligendi proximum in eo est, quod ipsam divinam bonitatem in eodem perspicimus ipsi a Deo communicatam [2].

Hæc autem communicatio duobus elementis constat: uno, quod omnes homines a Deo ad suam imaginem conditi sunt et ad ordinem supernaturalem elevati: altero, quod omnes vocati sunt ad unam divinam familiam constituendam et simul ipso Deo in ejus visione beatifica fruendum in altera vita. Quia utrumque elementum est nobis et ceteris hominibus commune, ideo omnes sunt nobis *proximi*, et hac ratione diligendi, etiam inimici, de quibus majores occurrere solent difficultates practicæ. *Inimici* dicuntur illi, qui aut nos odio prosequuntur, aut, nos lædendo, causam rationabilis offensionis (sive cum injuria, sive absque injuria) dederunt.

Caritas, præsertim prout ad proximum refertur, alia est *interna* seu *affectiva*, qua quis in corde suo vult proximo bonum; alia est *externa* seu *effectiva*, qua bonum proximo volitum de facto præstare vult.

§ I. — De caritate interna.

32. **Principia. 1.** Datur præceptum divinum, tum naturale, tum positivum, et *per se* grave, diligendi se et proximum vero et interno affectu caritatis. Constat ex eo, quod in omnibus hominibus habetur motivum formale caritatis; scilicet bonitas divi-

1) Nisi forte sit philanthropia, altruismus vel (facile) egoismus.
2) S. Thomas 2. 2. *Qu. 24-26;* Ball. *Num. 35;* D'Ann. II. *12;* Lehmk. *Num. 591.*

na participata ; hinc : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum* [3]. Speciatim quoad inimicos, habetur præceptum, quod Christus suum appellat : *Diligite inimicos vestros* [4]. Confirmatur ex *Prop. 10* damnata ab Innocentio XI : « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali ».

II. Ad satisfaciendum huic præcepto sufficit amor generalis, quo velimus bonum omnibus, neminem excludentes. Speciatim quoad inimicos, hoc præceptum non imponit obligationem habendi erga eos dilectionem specialem ; sed obligat ad dilectionem communem erga ipsos habendam, et communis dilectionis signa eis non deneganda, quæ ceteris ejusdem conditionis hominibus non denegantur.

III. Quia motivum dilectionis proximi est communis participatio divinæ bonitatis, et dilectio proprie est volitio boni, ideo in dilectione proximi ordo servari debet ; tum juxta majorem vel minorem unionem in ea communicatione, tum juxta majorem vel minorem in diversis hominibus divinæ bonitatis participationem, tum juxta diversos gradus bonitatis in ipsis bonis, quæ sunt sibi et proximo volenda.

IV. Datur præceptum negativum, a quocumque ordine præscindens, quod prohibet odium sui vel proximi ; ne quis, scilicet, sibi vel proximo malum quodcumque, ut est ipsius malum, velit, aut optet, aut de eo gaudeat.

33. **Resolutiones.** — *Ex Princ. III.* — 1.ª Satisfaciunt huic præcepto, qui, orantes pro vivis et pro defunctis, neminem excludunt : item, qui de prosperitate proximi, quicumque ille sit, lætantur ; qui de proximi infortunio tristantur, qui patienti commiserantur.

2.ª Qui ab alio læsionem juris, sive personalis, sive realis, passus fuerit, non tenetur ex præcepto caritatis erga ipsum læsionem condonare : quandoque teneri potest aliunde.

3.ª Qui ab alio contumeliam accepit, non prohibetur congruam exigere satisfactionem, etsi hæc sine aliquo illius damno haberi non possit : prohibetur hoc illius malum velle animo inimicitiæ, seu ut est malum illius.

4.ª Si quis amicum sibi fidem fregisse comperiat, non tenetur eidem fidere, vel specialem cum ipso conservare amicitiam ; tenetur illum diligere ea caritate, qua diligere tenetur Æthiopes : non tenetur eum obvium

3) MATTH. *XXII. 39.* — Cf. et LUC. *XII. 31* ; I. Jo. *IV. 7, 21.*
4) MATTH. *V. 44* ; LUC. *VI. 27* —Cf. A LAPIDE *In Mt. l. c.* Plura ad praxim collegit ZANIN. *Num. 681-684.*

salutare, nisi id postulet relatio personalis; puta inter sacerdotem et Episcopum; at salutantem resalutare tenetur.

5.ª Si inimicus veniam postulaverit ac satisfactionem congruam exhibuerit, generatim venia concedenda est, et concessæ veniæ danda est aliqua manifestatio: at, etiamsi antecedenter specialis cum eo intercesserit amicitia, non necessario eadem est restituenda.

6.ª Valde dubia est caritas eorum, qui offensorem diuturno tempore alloqui recusant, aut protestantur se numquam illi verbum dicturos: at maxime investigandum, num aliquod malum illi exoptent.

7.ª Advertant confessarii hoc præceptum diligendi inimicos durissimum esse: ideo consilia adhibeant; Christi promissiones et exempla proponant ejusque minas intiment: at non denegent absolutionem, nisi certo constet pœnitentem malum grave proximo imprecari, et in proposito graviter malo pertinacem esse.

34. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Quisque semper potest, et per se debet, prius seipsum diligere, quam proximum; cum ipse sibi magis proximus sit, quam alius quilibet. Hinc axioma: Caritas incipit a semetipso [5].

2.ª Circa finem ultimum et media ad eum consequendum necessaria, quisque certe debet seipsum ceteris præferre; in ceteris certe potest, si agatur de pari ordine bonorum.

3.ª Nemo potest peccare, imo nec exponere se periculo proximo peccandi, ut proximum a peccato aut peccandi periculo amoveat; nisi cum fundamento speret periculum sibi fieri remotum et cum divina gratia superandum. « Homo ex caritate debet magis diligere seipsum quam proximum: ideo non debet subire aliquod malum peccati, ut proximum liberet a peccato » [6].

4.ª Potest quis se privare bonis spiritualibus non necessariis, ut proximo bonum spirituale aut etiam temporale procuret [7]. Ita potest sacerdos meditationem aliqua die omittere, ut fidelium confessiones excipiat; potest fidelis Missam die feriali omittere, ut adsistat infirmo: imo cessare quandoque potest obligatio alicujus præcepti positivi ad bonum proximi, etiam temporale, procurandum.

5.ª Inter varias personas diligendas, *per se* præferendi sunt catholici infidelibus et hæreticis, justi peccatoribus, ferventiores tepidis, profitentes vitam perfectiorem christianis ordinariis: at unius peccatoris conversionem præferre licet profectui plurium justorum in gratia.

6.ª Item *per se* præferendi sunt parentes filiis, filii et conjux ceteris consanguineis; consanguinei affinibus in pari gradu, indigenæ extraneis; imo et amici inimicis.

7.ª Quisque, tum pro se, tum pro aliis, præferre debet bona spiritualia corporalibus, vitam integritati membrorum, bona vitæ bonis for-

5) De amore sui plura theoretica et practica habet Noldin *Num. 65-70.*
6) S. Thomas *2. 2. Qu. 26 art. 1.*
7) Cf. S. Ligorium *Lib. II. Num. 26;* Ball. *41-45;* Noldin *77;* Lehmk. *Casus 376.*

tunæ, etc. Diligere enim est velle bonum, et bonum impeditivum boni melioris communiter cessat esse bonum.

8.ª Probabilius in iis, quæ necessaria sunt vitæ, licet, ceteris paribus, proximum sibi præferre; imo, si id fiat propter amorem Dei, est actus heroicus caritatis.

35. *Ex Princ. V.* — 1.ª Si quis malum quodcumque, sive grave, sive leve, velit aut exoptet proximo suo, ut hic malum habeat (vel gaudeat de malo jam reali), iste peccat graviter vel leviter contra caritatem: hoc est proprie *odisse*, h. e., velle proximo malum. E contra non peccat, qui malum velit vel exoptet, vel de eo gaudeat, in quantum ipsi proximo causare potest bonum majus, ex. gr., emendationem.

2.ª Licite potest quis velle vel optare malum proximi in ordine physico, in quantum hoc ejus malum causare potest bonum (vel impedire malum) publicum, aut etiam privatum, sive sui, sive alterius; dummodo inter malum illud et hoc bonum proportio habeatur 8.

3.ª *Per se* nullum est peccatum detestari in proximo qualitatem, vel actionem, vel habitualem agendi rationem, quæ vere detestabilis sit, seu mala: nec peccatum est eam detestationem signis externis patefacere. Ita non peccant parentes, qui inobedientiam pervicacem filiorum detestentur, et inde se illis duriores exhibeant; neque peccat offensus, qui horrore recentis injuriæ aliquo tempore recuset alloqui familiariter offensorem. Idem dic de uxore erga maritum vel viceversa, de sorore erga fratrem, de superiore quocumque erga subditum.

4.ª Quamvis detestatio qualitatis malæ mala non sit, cavendum tamen est, ne animum vindictæ includat, vel paullatim ad odium personæ sese extendat: ita sub specie odii *abominationis* sæpe latet odium *inimicitiæ*, aut saltem grave ejusdem odii incentivum.

36. **Quaestiones.** — *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum læsus possit pœnam publicam exoptare inimico, imo et eam expetere?

Resp. Affirmative per se; dummodo id non fiat ex odio, scil., quærendo punitionem inimici, in quantum est malum illius: quare cavendum est a facili periculo hallucinationis. Insuper cavendum, ne propter damna familiæ aut aliorum ordo caritatis violetur.

Qu. 2. Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?

Resp. Qui alium offendit, debet prior, *per se*, media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis æquitas. — Si offensio sit mutua et æqualis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inæqualis, præbeat qui gravius offendit. Ceterum absolutæ regulæ assignari nequeunt; sed circumstantiæ spectandæ sunt: confessarii autem potius consilia et monita, quam præcepta, adhibeant.

Qu. 3. An offensor a læso veniam petere debeat?

Resp. Affirmative per se; nisi aliud medium vel modus reconcilia-

8) Defectu proportionis damnatæ fuerunt *Propp. 13, 14, 15* ab Innocentio XI, apud DENZIGER *Num. 1163, seqq.*

tionis magis conveniens suppetat, v. gr. beneficia præstando; aut nisi veniæ petitio inutilis prævideatur. Excipiunt etiam, si offensor offenso longe superior sit, aut si offensus prudenter censeatur id condonare.

37. *Circa Princ. IV.* — *Qu. 1.* An sit contra caritatem sibi mortem optare ob vitæ infortunia?

Resp. Nego, si fiat ex desiderio vitæ melioris, seu æternæ felicitatis: item, si fiat ex tædio vitæ, quando vita tam molesta ducitur, ut ipsa morte durior æstimetur. Eam vero optare ob infortunia ordinaria, vel ex levi causa, peccatum est, at forte non grave contra caritatem. In utroque casu haberi posset peccatum grave ob defectum pœnitentiæ et debitæ subjectionis erga Deum.

Qu. 2. An sit contra caritatem malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere, ob bonum finem?

Resp. Nego, si debitus ordo caritatis servetur; id est, si fiat ob majus bonum, vel ad minus malum. Hinc id licitum est: *a*) ob bonum spirituale proximi ipsius; *b*) ob bonum commune, vel spirituale vel temporale; *c*) ob bonum etiam plurium, multo majoris momenti; v. gr., Ecclesiæ, familiæ, communitatis, imo etiam tertiæ personæ particularis; *d*) ob bonum spirituale vel temporale personæ ipsius desiderantis vel gaudentis, dummodo proportio debita habeatur 9.

§ II. — De caritate externa.

38. Eo ipso, quod caritas in hoc consistit, ut proximo bonum velimus, ideo necessarium consequens est, ut bonum proximo faciamus, si ipse indigeat, et nos facere possimus.

Quoad primum, duplex vel triplex proximi necessitas distingui solet: *a*) *Extrema,* sive spiritualis, sive corporalis habetur, cum periculum æternæ damnationis, aut mortis alteriusve mali morti fere æqualis, ita proximo instat, ut hic, moraliter loquendo, absque nostro auxilio illud evadere non possit. — *b*) *Communis* necessitas dicitur illa, in qua quis sibi providere posset sine gravi difficultate, aut ipsa non adeo molesta habetur: hac laborant tum vulgares peccatores, tum pauperes mendicantes. — *c*) Media inter has a quibusdam ponitur necessitas *gravis* 10: hæc in spiritualibus habetur, quando ex circumstantiis salus æterna alicui difficilis est; in corporalibus, quando, etsi vita duci possit non mendicando, tamen propter delapsum e conditione superiori hæc valde molesta redditur. Patet hanc esse posse magis vel minus gravem, gravissimam, imo et quasi extremam.

Quoad alterum, ut quis necessitatibus proximi subvenire teneatur, necesse est, quod ipse possit possibilitate morali; h. e., absque incommodo relative gravi.

9) Cf. S. Ligorium *Num. 30;* Noldin I. *330;* Tanqu. *783;* Arregui *139.*

10) Ex S. Thoma *Quodlib 8, art. 12,* omnis necessitas proximi, quæ non sit extrema, est communis; apud Ball. ad Gury *Num. 277, Nota 3.*

3. Caritas, prout de proximi miseriis tristatur eisque ipsum levare studet, dicitur *misericordia*. Pro duplici necessitatum classe, opera misericordiæ, alia spiritualia sunt, alia corporalia; tum illa, tum hæc, numerantur septem. Nos de duobus tantum agimus; altero spirituali, quod est *correctio fraterna;* altero corporali, quod est *eleemosyna*. — Interim hæc principia utrique communia statuimus.

40. **Principia. I.** Si proximus versetur in extrema necessitate spirituali, succurrendum est ei cum incommodo gravi, etiam cum periculo vitæ; dummodo spes certa habeatur quod caritas nostra illi vitam æternam comparabit, nec inde timeatur damnum spirituale, et forte relative gravius, plurium aliorum. Si proximus versetur in necessitate extrema corporali, succurrendum est ei cum incommodo gravi; at non cum gravissimo.

II. Si proximus versetur in necessitate gravi aut communi, sive spirituali, sive corporali, succurrendum est ei cum incommodo aliquo, graviori pro necessitate spirituali quam pro corporali, pro gravi quam pro communi; at numquam adest ex caritate obligatio succurrendi cum incommodo absolute gravi. Hic valet axioma : *Caritas non obligat cum incommodo gravi.*

41. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Sacerdotes, non habentes curam animarum, proximo vita periclitanti tenentur etiam cum periculo vitæ propriæ ministrare, non modo Baptismum, sed etiam Pœnitentiam, quando hoc sacramentum censeatur proximo necessarium ad vitam æternam; item in eadem hypothesi Extremam Unctionem. Hinc, si infirmus moribundus cum fundamento existimetur esse in statu gratiæ, aut se ipsum posse per contritionem justificare, obligatio succurrendi cum tanto periculo non habetur [11].

2.ª Si infans non baptizatus in mediis flammis exsistat, omnes obligantur ex caritate periculo vitam propriam exponere, ut eum baptizent; at non tenetur, si tantum levissima spes habeatur perveniendi ad illum.

3.ª Sacerdos ad confessionem excipiendam alicujus infirmi non tenetur se periculo moriendi exponere, quando tempore epidemiæ unicus sit sacerdos in loco, et proinde, ipso forte obeunte, ceteri fideles adsistentia sacerdotali privarentur.

4.ª Ad salvandam vitam alterius nemo ex sola virtute caritatis tenetur exponere gravi periculo vitam propriam.

5.ª Ad curandum infirmum morbo certe lethali laborantem, nemo, etiam ditissimus, tenetur ingentem summam pecuniæ, puta quinquaginta millium francorum, largiri.

11) Cf. S. Ligorium *Lib. VI. Num. 624.*

42. *Ex Princ. II.* — 1.ª Confessarius (non parochus) non tenetur ex caritate confessiones fidelium etiam tempore paschali audire, si inde dolorem capitis aut aliud malum cum fundamento pertimescat.

2.ª Nemo tenetur uti vestibus suam conditionem minime decentibus, vel mendicare aut laborare, ut possit pauperibus mendicantibus subvenire.

PUNCTUM I. — *De correctione fraterna.*

43. *Fraterna correctio,* seu *correptio* (ut mavult S. Thomas), est admonitio, qua quis ex caritate alium a statu peccati revocare conatur.

Principia, I. Datur verum præceptum, et *per se* grave, fraternæ correctionis. Constat, tum ex lege naturalis caritatis, qua ad proximi mala submovenda obligamur; tum ex S. Scriptura: *Corripe proximum,.... ne forte iteret;* et: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum* [12].

II. Ut proximum corrigere tenearis in casu concreto, requiruntur duæ conditiones; Prima, quod ille correctione tua indigeat; altera, quod tu corrigere possis. Ex defectu prioris, non teneris, si scias aut confidas illum jam esse emendatum, vel ab alio efficaciter esse corrigendum. Ex defectu alterius, non teneris, si nonnisi cum gravi incommodo corrigere possis, vel si correctionem frustra evasuram esse timeas.

44. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Correctio fraterna, quia facienda est ex caritate, fieri debet cum caritate, etiam quoad modum: sit ergo paterna erga inferiores, reverentialis erga superiores, mitis erga æquales, benigna erga omnes.

2.ª Si aut corrigenti commodior, aut corrigendo utilior videatur esse correctionis dilatio, tunc caritas eam differri in casu primo permittit, in altero jubet; nisi ex dilatione gravius periculum immineat.

3.ª Si quis coram se habeat detrahentem de altero, caritas erga utrumque postulat, ut ille detrahentem compescat; dummodo id satis commode fieri possit, et fructus speretur.

45. *Ex Princ. II.* — 1.ª Privati inter se raro ad correctionem tenentur, saltem *sub gravi;* quia raro habentur conditiones requisitæ: rarius adhuc erga superiores, ex timore, tum ineptitudinis propriæ, tum alicujus detrimenti sibi forte obventuri.

2.ª Scrupulosi ordinarie ad hac obligatione excusantur; sunt enim

12) Eccl. *XIX.* 14; Matth. *XVIII. 15.* — Plura A Lapide *In Matth. l.* c.

inepti, et facile eorum correctio male cedere potest; adde et incommodum ipsis gravissimum.

3.ª Numquam quis tenetur corrigere æqualem, imo et inferiorem, quando cum gravi fundamento timeat correctionem, nedum inutilem, sed et damnosam fratri futuram; imo tunc caritas suggerit eam esse omittendam.

46. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* An *sub gravi* obliget præceptum fraternæ correctionis?

Resp. Affirmative, si adsint requisitæ conditiones, et agatur de materia gravi. Hinc peccare potest graviter, qui ex vano timore, ne proximus aliquatenus offendatur, vel ne ipse inde leve patiatur detrimentum, omittit correctionem in re gravi, ubi putat illam esse vere profuturam. — Leviter tamen peccat, qui ex pusillanimitate et verecundia se reputat minus idoneum ad corripiendum, [13] hinc peccatum hujusmodi sæpe leve erit subjective. Peccatum leve erit etiam objective, si agatur de materia levi non afferente proximum periculum peccati mortalis.

Qu. 2. An præceptum correctionis obliget erga eum, qui ex ignorantia peccaret?

Resp. Affirmative, si agatur de ignorantia vincibili; quia hæc non excusat ignorantem a peccato formali.

Si vero ignorantia sit invincibilis, agitur potius de commonitione, qua proximus de veritate doceatur; correctio enim est admonitio fratris *de emendatione delictorum*. Porro in casu caritas multipliciter impellere potest ad fratrem docendum; puta ob damnum ejusdem vel tertii, ob scandalum, ob honorem Dei vel religionis. Quod si nulla ex his rationibus extrinsecis habeatur, difficile datur obligatio docendi ex caritate facile datur ex officio, puta confessarii, qui doctor est pœnitentis. — Addunt generatim monitionem semper fieri debere ex ipsa caritate, quando agitur de necessariis necessitate medii, vel de iis, quæ publicum scandalum præbent.

47. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Qualis ordo servandus sit in correctione fraterna?

Resp.: Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiæ aliud suadeant. Hinc primo corripe secreto: dein coram testibus, si prior admonitio non sufficiat: demum rem deferas ad superiorem. — Aliquando ordo ille inverti potest et debet; scil.: *a*) si peccatum sit publicum, vel mox publicandum; *b*) si sit graviter alteri noxium; *c*) si secreta admonitio non judicetur profutura; *d*) si præstet rem statim superiori manifestare; *e*) si delinquens cessit juri suo, ut fit in variis Ordinibus religiosis; etc. [14].

48. **Scholion.** — *De correctione judiciali.* — Dum correctio fraterna est actus caritatis habens pro fine bonum fratris, *correctio judicialis*

13) S. Thomas *2. 2. Qu. 33, art. 2*; S. Ligorius *Num. 37.*
14) S. Ligorius *Num. 40*, et *IV. 443*; Ball. *173-189*; Tanqu. *813.*

est actus justitiæ vindicativæ, habens pro fine bonum publicum et delinquentis punitionem: media est correctio *paterna;* quæ est actus pietatis habens pro fine bonum filii vel inferioris delinquentis et simul bonum familiæ vel communitatis. — Itaque:

1.° Prælati, Episcopi, parochi, magistratus, tenentur etiam cum magno incommodo impedire peccata tum publica, tum occulta, subditorum suorum: non proprie ex caritate, sed ex justitia, qua ad procurandum tuendumque bonum commune sese obligarunt.

2.° Tenentur superiores invigilare in subditos, et inquirere eorum peccata; et etiam de certa persona investigare, quando ad hoc illos peculiaris ratio permoveat. Tamen non facile admittant spontaneos accusatores, et multo minus fidem statim illis præbeant; quia interdum isti sub specie boni communis seipsos quærunt.

3.° In communitatibus sub regula viventibus plerumque expedit ut correctio fiat per denuntiationem ad superiorem; nec generatim possunt absolvi convictores in ejusmodi denuntiationem non consentientes, ubi de gravi damno communitatis agitur [15]. Item denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes corruptores, qui scandalum fidelibus inferunt, vel illaturi prævidentur.

Punctum II. — *De eleemosyna.*

48. *Eleemosyna* est actus misericordiæ, quo necessitatibus proximi corporalibus subvenimus: ceterum ea ordinari quoque potest ad utilitatem ejusdem spiritualem.

Principia. 1. Datur verum præceptum dandi eleemosynam indigentibus. Constat ex ipso præcepto caritatis, quo obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad opem illi in necessitate ferendam. Confirmatur ex S. Scriptura: *Eleemosynam pauperis ne defraudes;* item: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.... Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum* [16].

11. Præceptum dandi eleemosynam intelligendum est « secundum quod recta ratio requirit; secundum quam aliquid considerandum est ex parte dantis, aliquid ex parte ejus cui est eleemosyna danda. Ex parte quidem dantis, considerandum est, ut id, quod est in eleemosynam erogandum, sit ei superfluum: ex parte autem

15) Cf. Genicot *Num. 221;* Berardi *De recid. 273;* Tanqu. *803.*
16) Eccl. *IV. 1;* Matth. *XXV. 42.*

recipientis, requiritur quod necessitatem habeat; alioquin non esset ratio, quare eleemosyna ei daretur » [17].

111. Proximo exsistenti in necessitate extrema subveniendum est ex bonis, superfluis quidem vitæ, at statui seu decentiæ conditionis propriæ necessariis; dummodo id fieri possit sine incommodo gravissimo.

1V. Proximo exsistenti in necessitate communi subveniendum est ex bonis superflui statui: subveniendum autem est pauperibus in genere; non autem omnibus et singulis in necessitate communi exsistentibus, ad quod superflua statui, imo ed superflua vitæ minime sufficerent.

49. **Quaestiones.** — *Circa Princ. I, II.* — *Qu. 1.* Utrum præceptum eleemosynæ obliget *sub gravi*?

Resp. Affirmative, tum in necessitate extrema, tum in necessitate adeo gravi, ut mox in extremam verti possit. Quoad necessitatem vero communem, hoc præceptum tamquam grave *per se* habent S. Alphonsus et alii: at alii, et quidem plures, tum veteres, tum recentes, hanc præcepti gravitatem non agnoscunt. Quod pauperibus in communi necessitate versantibus detur a divite eleemosyna, hoc non consilium est, sed præceptum; probabilius grave, quam leve [18]. Certe peccant divites, qui pauperes semper dure repellunt, omnia reservantes ad statum altiorem acquirendum.

Qu. 2. Quænam quantitas bonorum sit pauperibus eroganda?

Resp. In necessitate extrema, vel ita gravi ut extrema facile evadere possit, dandum est quantum sufficit hic et nunc ad eam levandam, nisi sint alii qui ipsi subveniant.

Quoad necessitatem communem, respondet S. Alphonsus: « Non adest obligatio præstandi totum superfluum: sed sufficit, si detur quinquagesima pars annuorum proventuum, qui supersunt, et, si reditus sint pinguiores, admittunt minus quinquagesima parte » [19]. Quæ sententia certe probabilis est.

Qu. 3. Utrum liceat umquam eleemosynam dare ex bonis alienis?

Resp. Generatim illi soli dare possunt, qui sunt domini et bonorum suorum administratores. Uxor tamen eleemosynas ordinarias et valde communes facere potest, juxta morem conditionis suæ, non autem extraordinarias, sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis, seu para-

17) S. THOMAS *2. 2. Qu. 32 art. 5.*

18) Cf. S. LIGORIUM *Num. 32;* BALL. *131;* D'ANN. II. *84, 8;* GEN. *225;* SEBAST. *134.* — Magis concionatorem quam theologum agit BERARDI *Num. 2810*: theologis certa est sententia, non esse imponendam obligationem, nisi de ea certo constet.

19) S. LIGORIUS *Homo apost. Tract. IV. 19.* — Cf. GENICOT *Num. 226,* et *Casus 47.*

phernalibus. Filii nihil dare possunt, nisi in rebus valde levibus; nisi bona habeant sua, tum quoad proprietatem, tum quoad usum. Famuli vero nihil dare possunt sine consensu expresso, vel tacito, aut prudenter præsumpto dominorum suorum.

Potest tamen eleemosyna fieri ex bonis alienis, quando proximus est in extrema vel quasi-extrema necessitate, et aliunde succurri non potest » 20, dummodo hæc bona sint superflua vitæ alterius, et non detur ea quantitas, ad quam nemo etiam in extrema alterius necessitate largiendam teneretur. Diximus: *si aliunde succurri non potest.* Si quis enim habet ex propriis unde subveniat, ex istis tenetur; quia ipse prius obligatur; quare, si dederit ex bonis alienis, tenetur domino restituere.

50. *Circa Princ. III, IV.* — *Qu. 1.* Cum quo incommodo subveniendum sit proximo laboranti necessitate gravi?

Resp. Juxta aliquos, proximo subveniendum est ex bonis aliquo modo *necessariis* statui, seu cum aliquali sui status detrimento; juxta alios, subveniendum est tantum ex bonis, quæ *statui* seu *decentiæ superflua* sunt. « E duabus sententiis difficile est definire, utra sit probabilior, utra communior; quippe multi, qui priorem tuentur, necessitatem gravem plerumque accipiunt eam, quæ extremæ prope, imo et proxime accedit: unusquisque abundet in sensu suo, nec confessarius inabsolutos dimittat sententiam mitiorem sequentes » 21.

In *necessitate communi*, nulla quidem est obligatio dandi huic vel illi pauperi particulari; tamen vera obligatio adest dandi pauperibus aliquibus indeterminate, ex iis bonis, quæ superflua sunt etiam statui. — Nulla eleemosyna danda est pauperibus laborare nolentibus.

Qu. 2. Quænam bona censeantur necessaria, seu non superflua, statui alicujus personæ divitis?

Resp. Illa, quæ requiruntur ad famulos sustentandos, ad hospites recipiendos, ad habenda convivia juxta conditionem familiæ; item quæ adhibeantur ad pompam convenientem, ad recreationes, ad itinera delectationis causa, etc.: imo, et quæ seponantur ad ascendendum moderate ad statum altiorem.

ART. II. — De peccatis oppositis caritati erga proximum

51. Peccatum, quod opponitur caritati, est *odium*. Hoc autem duplex est: aliud *inimicitiæ*, aliud *abominationis*. Primum est, quo quis vult alteri malum, ei malum desiderat, de ejus malo gaudet, de ejus bono tristatur: hoc est peccatum *per se* mortale contra caritatem 22. Alterum est aversatio mali, quod est in persona proximi et aversatio personæ propter malum, quod est in illa. Hoc alterum præ sua parte prima peccatum non est: præ altera, non est peccatum *per se*, sed inducit pericu-

20) S. Ligorius *Num. 33;* cui recentes omnes consentiunt.
21) D'Annibale *loc. cit.* Plura apud Ball. *112-116.* — Cf. etiam Gen. *224.*
22) Hinc: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.* I. Jo. *III. 15.*

lum odii inimicitiæ; ex. gr., efficiendo ut de ea persona detrahas, eam contemnas, ei malum velis, etc.; quare potest esse peccatum *per accidens*. Hoc odio abominationis *odio sunt Deo impius et impietas ejus* 23; at Deus simul ipsos peccatores diligit, et vult ut convertantur et vivant.

Simili modo ac caritas, odium proprie dictum, præterquam malevolum, potest esse efficax, seu causativum mali in proximo, ut proximus malum habeat: si malum causet lædendo jus, habetur peccatum, quod est contra caritatem et contra justitiam; secus, contra caritatem tantum. Ita contra utramque virtutem peccat detrahens, contemnens, percutiens; contra caritatem tantum, qui ex odio in proximum contra ipsius domum super fundum suum ac debia distantia murum altissimum exstruit.

Cum odium plurima et gravissima mala causare possit, ut sunt rixæ, contentiones, contumeliæ, discordiæ etc. 24, nos de duobus tantum agimus ad ordinem moralem pertinentibus; nempe de scandalo, et de cooperatione ad peccatum alterius.

Insuper peccatum quoque est omissio actus caritatis, quando obligatorius est; de qua re sufficiunt ea, quæ dicta sunt superius.

§ I. — De scandalo.

52. *Scandalum* est « dictum vel factum minus rectum, præbens alicui occasionem ruinæ spiritualis » 25. Est: *a) dictum* vel *factum*, quo nomine venit etiam omissio; *b) minus rectum*, idest aut malum, aut habens speciem mali, aut omissio actus boni sensu latissimo debiti; *c) præbens occasionem*, non proprie causam per se efficacem; *d) ruinæ spiritualis*, idest peccati aut gravis aut levis, vel damni aut detrimenti cujuscumque spiritualis.

Scandalum dicitur *directum*, si ruina alterius intenditur in se; *indirectum*, si ea volita est in causa ad alium finem posita. Directum dicitur *diabolicum*, si ruina spiritualis alterius intenditur finaliter; si intenditur ut medium ad propriæ voluntatis satisfactionem, dicitur simpliciter *directum*.

Ab hoc scandalo proprie dicto, seu *activo*, distinguitur scandalum *passivum*, quod est prioris effectus, seu ex eo consequens ruina proximi spiritualis. Hoc autem potest haberi etiam ex actione in se bona et nullam habente speciem mali. Tunc scandalum passivum tribuendum est, non alterius actioni, sed potius ignorantiæ, imaginationi, aut etiam malitiæ illius, qui scandalum patitur. Si ex infirmitate vel ignorantia suscipiatur, dicitur scandalum *pusillorum;* vocatur vero *pharisaicum*, si sit ex mera malitia 26.

23) Sap. *XIV. 9.*
24) De his cf. Marc *Num. 504;* Tanqu. *704, 836-839.*
25) S. Thomas *2. 2. Qu. 42, art. 1;* S. Ligorius *Lib. II. 43.*
26) Agimus hic de scandalo non præbendo: de scandalo non accipiendo, h. e., de cavendis occasionibus, agimus in tractatu *De peccatis Num. 260, seqq.*

53. **Principia. I.** Scandalum directum semper est peccatum, et quidem *per se* grave, contra caritatem. Ratio est, quia qui illud ponit, vult et intendit malum spirituale proximi; sive hoc velit propter se, sive propter aliud. Dicimus esse grave *per se;* quia dari potest in eo parvitas materiæ [27].

II. Scandalum indirectum tunc est peccatum contra caritatem, cum, juxta dicta de voluntario in causa, effectus ejusdem, seu scandalum proximi passivum, est imputabilis agenti, seu præbenti occasionem ruinæ alterius.

III. Scandalum pusillorum vitandum est, quoties fieri potest sine gravi incommodo, sive monitione, sive omissione operis indifferentis vel etiam operis boni non præcepti. Ratio est, quia ex caritate ruinam proximi ex actione nostra impedire tenemur, cum facile possumus. Verum in his peccatum potest esse veniale, etsi occasio sit, qua proximus peccet graviter.

IV. Scandalum pharisaicum, saltem ordinarie, nec omissione operis boni, vel omissione operis indifferentis nullam mali speciem habentis, est necessario vitandum. Ratio est, quia tale scandalum oritur ex sola malitia illius, qui scandalizatur: alioquin daretur locum iniquis impediendi bona opera, cum vellent.

54. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Rei sunt enormis peccati, qui dictis vel scriptis irreligiosis aut immoralibus intendunt alios, præsertim juniores, a fide et a vita christiana avocare. Hisce imprimis conveniunt Christi invectivæ adversus scandalosos.

2.ª Item graviter peccant, qui contumelias ac detractiones congerunt in cœtum clericalem, ut fideles arceant a clericis, et consequenter ab Ecclesia et a Christo: item, qui ad eumdem finem præcepta Ecclesiæ, consilia evangelica ac statum religiosum publice contemnunt.

3.ª Peccare potest leviter, qui studet aliquem a vita religiosa amplectenda removere; item, qui alium consulto avertit ab opere perfectiori, aut ab opere bono non præcepto.

55. *Ex Princ. II.* — 1.ª Feminæ, quæ ambitionis causâ inhoneste aut parum honeste incedunt, peccant plus minusve graviter, prout incessus ille plus vel minus ad libidinem provocat; quod pendere quoque potest a diversis moribus temporum et locorum [28].

27) Gravitas materiæ intelligitur ex parte scandali passivi. Si quis, racemum uvæ decerpens in agro alterius, occasio voluntaria est, qua plures idem faciendo grave damnum inferant, potest peccare graviter. S. Ligorius *III. Num. 573;* D'Ann. *90, 11.*

28) S. Ligorius *Num. 55;* Lehmk. *636;* Ball. *235-238.*

2.ª Peccant scriptores, editores, librarii, etc., qui emolumenti causâ componunt vel edunt aut vendunt libros fidei aut bonis moribus graviter adversantes. Idem dic de statuis ac picturis publice expositis.

3.ª Gravissime peccant assumptores theatrales, qui comœdias, choreas, vel quæcumque spectacula turpia oculis auribusque spectantium objiciunt; nec a gravissimo peccato scandali eximuntur eo quod in publicis manifestis præmoneant futurum spectaculum puellis honestis non convenire.

4.ª Eodem modo peccant, qui cinematographis exhibent spectacula irreligiosa; ex. gr., supplicium Bruni, figmenta Inquisitionis hispanicæ vel cædis sanbartholomææ; item, qui grammophonis confessionem sacramentalem aliosve ritus sacros irrisionibus exponunt.

5.ª Peccat sacerdos, non modo, si nimis familiariter cum feminis agat, sed etiam si absque gravi causa frequentet personas suspectas, si puellas nimis diu in sede confessionali detineat, etc.

6.ª E contra non peccant, saltem graviter, puellæ, quæ sponsum aliquem inquirentes, se studiosius exornant, fuco faciem illiniunt, capillos tingunt, aut non suos suo capiti imponunt; etc.; licet probabile sit juvenes aliquos vel viros valde infirmos inde scandalum passuros. Neque graviter peccant pueri inobedientiis levibus, etsi sciant patrem inde ansam sumere imprecandi et blasphemandi 29.

7.ª Graviter peccant, tum qui pecunia aut plausu spectacula turpia fovent, tum qui ea impedire tenentur et, cum possint, non impediunt.

8.ª Ratione efficaciæ, inter omnia scandala gravissimum est quod blasphemiis, sermonibus turpibus, violatione dierum festorum, etc., parentes præbent filiis ac filiabus, et generatim superiores inferioribus.

56. *Ex Princ. III.* — 1.ª Puella, quæ sciat se ab aliquo turpiter concupiscendam esse, non tenetur habitualiter aut pluries a Missa audienda abstinere, sive diebus festis, sive ferialibus; quia hoc ei nimis molestum esset; forte tenebitur semel vel iterum, si deinceps scandalum cessaturum sit; tenebitur aliâ viâ ad ecclesiam accedere, si facile possit.

2.ª Item puella speciosa ex iisdem motivis non tenetur ab omni ambulatione aut honesta recreatione, aut etiam ab ornatu suæ ætati et conditioni conveniente abstinere.

3.ª Uxor tenebitur a frequentia sacramentorum abstinere, si inde sciat maritum occasionem sumere blasphemandi, vel sacramentis et sacerdotibus imprecandi, etc. Regulariter tenebitur sacramenta accipere saltem in Paschate, quidquid maritum facturum prævideat.

57. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Nemo, etiam sacerdos, tenetur pecuniam solvere pauperi audacter postulanti, licet prævideat eumdem secus blasphemias et convicia in clerum et religionem prolaturum: ita nec rhedario aut operario pretium supra jus exigenti; etc.

2.ª Parochus aut superior religiosus, qui in testamento defuncti

29) Genicot *Num. 232;* Noldin *104;* Zanin. *719.*

salvâ justitiâ nominatus fuerit heres, non tenetur, et generatim non debet, hereditati renuntiare propter dicteria et blasphemias consanguineorum defuncti: item generatim neuter tenetur e suis juribus cedere ad cavendas obtrectationes malignantium.

58. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum in scandalo, præter generalem reatum contra caritatem, contrahatur etiam malitia specialis contra virtutem, ad quam violandam proximus inducitur?

Resp. Quoad scandalum directum, *affirmative*: quælibet enim virtus prohibet, non modo ne ipsa violetur, sed etiam ne quis intentione directa alium ad eam violandam inducat: insuper, juxta plures, intentio violationis virtutis facit, ut actio minus recta relate ad ruinam proximi intentam, ex occasione fiat vera causa. Hinc in confessione, præter reatum communem scandali aperienda est malitia specialis peccati, ad quod pœnitens proximum directe induxit. Quod si induxit ad peccatum contra justitiam perpetrandum, tenebitur etiam ad restitutionem erga damnificatum.

Quoad scandalum indirectum, quæstio difficilior est; circa quam duplex habetur sententia, utraque certe probabilis. Itaque confessarius, audito peccato et quidem gravi scandali, non urgebit pœnitentem, forte renitentem, ad aperiendam speciem peccati, cujus occasionem indirecte alteri præbuit.

Qu. 2. Utrum qui peccavit cum complice, puta fornicando aut furando, in confessione aperire debeat se primum auctorem fuisse?

Resp. Negative, saltem probabilius. Hoc autem, non eo quod ipse scandalum non dederit, sed eo quod scandalum uterque dedit alteri; quare inter primum auctorem et secundum non datur nisi circumstantia aggravans, quæ speciem peccati non mutat.

59. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum liceat suadere minus malum illi, qui jam statuit malum majus patrare?

Resp. Certe licet, si malum minus comprehendatur in malo majori; ut furtum francorum decem in furto francorum centum, percussio in homicidio: at cavendum ne propositio mali minoris habeatur ut approbatio ejusdem. Quod si non contineatur, ut ebrietas relate ad homicidium, quidam dubitant: at S. Alphonsus et alii plures etiam in isto casu concedunt licere 30. Quod vero volenti majus damnum uni inferre, suadeas minus damnum inferendum alteri, hoc generatim improbatur: at non desunt qui etiam pro casu isto id licere probabilius habeant 31.

Qu. 2. Utrum liceat occasionem peccandi non auferre, aut etiam positive eam apponere?

Resp. Affirmative ad utrumque; dummodo habeatur ratio propor-

30) S. Ligorius *Num. 57.* — De facto Lot, vide Sanchez *De Matrim. VII. Disp. XI. 14, 19;* A Lapide *In Gen. XIX. 8.* — Cf. Ball. *Num. 245, seqq.;* Sebast. *148.*

31) E recentibus ad negandum inclinant Lehmk. *Num. 1004;* Marc *980;* Berardi *1545;* D'Ann. *97, 14, etc.* Dubia movent Ball. *250;* Noldin *110, 114.*

tionate gravis ad peccatum alterius ex ea occasione permittendum. Ita non peccant parentes et domini, qui non impediunt filios aut famulos delinquere, ut possint illos corripere, hos aut corrigere aut etiam dimittere; ita licite sese occultant custodes vectigalium, agrorum, etc. Neque peccat ille, qui necessitate compulsus petit mutuum ab usurario; neque ille, qui, jus habens cognoscendi veritatem a Titio, ei vinum abundanter propinat, ut ab eo semiebrio veritatem eliciat; neque ille, qui latrones in ebrietatem sive materialem, sive formalem inducit, ut sua bona ab eorum unguibus præservet; etc. Hoc enim non est inducere ad peccatum, sed præbere occasionem peccandi, quod non est intrinsece malum [32].

60. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Utrum aliquando ad vitandum scandalum pusillorum sint omittenda præcepta?

Resp. a) Præcepta juris naturalis negativa numquam sunt omittenda; quia opera illis contraria sunt mala intrinsece. — *b*) Præcepta juris naturalis affirmativa cessant obligare, quando ex eorum impletione sequantur mala majora: ita omittenda est correctio fraterna, quando ex alterius infirmitate prævideatur nociva — *c*) Quoad præcepta humana positiva, plures tenent ea esse omittenda, quia præceptum vitandi scandalum est naturale et proinde præstat præcepto positivo [33]. Contradicunt alii; quia observatio præcepti positivi non dat alteri causam peccandi, sed meram occasionem; qua stante potest alter, si vult, non peccare, saltem formaliter. Conveniunt omnes ea esse paulisper differenda, si ex brevi dilatione speratur scandalum cessaturum. Confessarii itaque in hisce casibus non urgeant obligationes non certas; sed, juxta quod prudentia suggerit, consilia præbeant.

§ II. — De cooperatione ad peccatum alterius.

61. *Cooperatio* in genere est « dictum vel factum (vel omissio), quo quis ut causa partialis concurrit ad actionem alterius ». Prout vero adversari potest caritati, est « participatio ad peccatum alterius ».

Potissima cooperationis distinctio est in *materialem*, qua quis concurrit ad actionem malam alterius; et *formalem*, qua quis concurrit ad ipsam volitionem malam alterius [34].

Utraque cooperatio est *proxima*, vel *remota*: prout magis, vel minus certa est ejus connexio cum mala alterius actione aut volitione. Huic affinis est distinctio in *immediatam*, et *mediatam*; prout inter actionem cooperantis et actionem vel volitionem malam alterius nulla, vel quæpiam, intercedit causa media. Patet cooperationem remotam seu mediatam in hoc differre a scandalo, quod ea peccato alterius præbet *causam* remotam et incertæ efficaciæ, dum hoc præbet tantum *occasionem*: porro inter ejusmodi causam et occasionem pratice difficile est definire limites.

32) Cf. S. Ligorium *Num. 58;* Tanqu. *348;* Noldin *loc. cit.*
33) Cf. I. Cor. *VIII. 9-13;* de quo Tanqu. *Num. 845.* — Cf. Ferr. *320.*
34) S. Ligorius *Num. 63;* Sabetti *194, 195;* a quibus discedit Tanqu. *183.*

Cooperans cooperatur peccato alterius *directe*, si aut solam actionem malam, aut ipsam malam volitionem, intendit; si eam vult aut permittit in causa, cooperatur *indirecte*. Item cooperari potest per actionem *physicam*, puta tenendo scalam furi; vel per actionem *moralem*, consulendo, jubendo, consentiendo, etc.

62. Novem modis haberi potest cooperatio; quorum sex priores *positivi* sunt, tres alii *negativi*. — Indicantur versiculis sequentibus:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans; mutus, non obstans, non manifestans.

63. **Principia. I.** Numquam licita est cooperatio formalis et directa ad peccatum alterius. Ratio est, quia talis cooperatio est vera volitio volitionis malæ, seu peccati alterius.

II. Neque umquam licita est cooperatio materialis directa: cooperatio vero materialis indirecta licita est, dummodo actio ipsa cooperantis sit in se bona vel saltem indifferens, et ex ea præter peccatum alterius bonus aliquis effectus sequatur, qui sit proportionatus ad gravitatem pravi effectus inde secuturi.

III. Ad liceitatem cooperationis materialis indirectæ eo gravior requiritur ratio, quo ipsa cooperatio proximior est, quo probabilius est absque ea cooperatione alterum non peccaturum, quo ipsum alterius peccatum gravius est, et præsertim si hoc sit tertiæ personæ damnificum [35].

64. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ista cooperatio formalis et directa, præter peccatum contra caritatem, habet etiam malitiam specialem contra virtutem, quæ per cooperationem violatur. Ita dupliciter peccat, qui pravis consiliis aut doctrinis alium scienter inducit ad furtum, ad vindictam, ad homicidium, ad fornicationem; tripliciter, qui ad adulterium.

2.ª Non licet petere ea, quæ ab alio concedi non possunt sine peccato. Ita uxor petere non potest a marito ut abutatur conjugio, aut mater a filio ut mentiatur, aut reus a teste ut pejeret, aut hereditatis avidus a notario ut falsum testamentum conficiat.

65. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccat armifex, qui arma vendat Titio, sperans hunc eis usurum ad occidendum Sempronium; item, qui terga servat furi, sperans vel pactus prædæ participationem.

2.ª Si nulla gravi ratione moveatur, peccat uxor, quæ petit a viro usum conjugii, certe prævidens hunc esse conjugio abusurum; item sacerdos, qui sacramentum præbet indigno; vel fidelis, qui sacramentum petit ab indigno ministro [36]: hic petere poterit ad indulgentiam lucrandam, si minister dignus desit.

35) C. Tanquerey I. *Num. 186-188;* Noldin *118.*
36) S. Ligorius *Num. 77, 78;* Genn. *Quest. mor. Num. 235.*

3.ª Defectu cujuscumque proportionis, numquam licet cooperari actui qui ponatur in contemptum religionis; ex. gr. exstructioni templi protestantici in urbe Roma, populari demonstrationi (ut dici solet) adversus R. Pontificem vel in obsequium Jordani Bruni.

66. *Ex Princ. III.* — 1.ª Pro famulo sola ratio famulatus sufficit, ut possit domino disponere currum, licet certo sciat dominum ad domum concubinæ profecturum esse; ut eum eo ducat, gravior videtur causa requiri, at non gravissima.

2.ª Ut famulus litteras domini deferat meretrici, causa levior sufficit, quam ut eas pro domino scribat; gravior vero, si, ipso recusante, nemo litteras scriberet aut deferret; gravissima, ut domino ascendenti ad fornicandum scalam vel humeros subjiciat 37.

3.ª Gravius peccat, qui sponte sua cantat vel organa pulsat in functionibus religiosis protestanticis, quam qui cooperatur templo ædificando.

4.ª Licite venduntur carnes diebus abstinentiæ, licet probabile sit emptorem iis usurum esse sine dispensatione ac sine causa excusante.

5.ª Ex minori necessitate potest dominus suam domum locare feminæ ambiguæ, quam feminæ certe meretrici; hinc minori necessitate in urbe, quam in loco rurali; item operarius laborare pro templo protestantico exstruendo in Anglia, quam in Italia; et negotiator vendere res (ex. gr., libros, arma, venena, ornamenta muliebra), quæ forte ad malum usum petuntur, quam quæ ad bonum peti non possunt aut non solent.

6.ª Nonnisi ex timore gravissimi mali potest armifex arma vendere aut commodare viro ea petenti ad perpetrandum homicidium 38.

67. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II, III.* *Qu. 1.* Utrum liceat umquam cooperari impressioni librorum pravorum?

Resp. Generatim non videtur licitum esse cooperari immediate; ex. gr., typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere. Quamvis enim actiones istæ sint in se indifferentes, et finis agentis possit esse honestus, tamen difficile dabitur causa justa et proportionata ad malos effectus inde secuturos; præsertim, si agatur de libris prorsus pestilentibus et obscenis. — Licet autem gravi de causa cooperari *mediate* seu *remote;* v. gr., atramentum vel chartam præparare, aut libros impressos ordinare, etc.

Qu. 2. Utrum umquam liceat pravorum librorum venditio?

Resp. Generatim loquendo, non licet nisi vendantur viris doctis ac prudentibus, qui eos utiliter legere possunt; ex. gr., ad eos confutandos. At libri prorsus obsceni sunt omnino comburendi.

Qu. 3. Utrum libri commodati domino sint restituendi?

Resp. Si accepti fuerint gratuito ab amico, generatim eos restituere non licet, nisi timor gravis habeatur rixarum, odii, aliorumve ma-

37) S. Ligorius *Num. 66, 68.* — Durior ultra fas Frassinetti *Dissert. V. 10.*

38) Plures alii casus, apud Marc *Num. 521-527;* Noldin *122-129;* Lehmk. *Casus 419-435;* Arregui *165-177.*

lorum. Si accepti fuerint a bibliotheca circulante, omnino sunt restituendi; secus enim restituendum erit pretium, quo director bibliothecæ librum restitutum iterum emet.

Qu. 4. An liceat famulo ostium domus meretrici aperire?

Resp. Affirmative, saltem si, ipso non aperiente, aperiet alius. Ceterum sola ratio famulatus, cum timore non levis damni, ipsum satis, excusare videtur. — Plures contendunt numquam id licere, innixi *Prop. 51* ex ab Innocentio XI damnatæ: « Famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestram ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur ». — Sed verba « aperiendo januam » intelligi manifesto debent de aperienda per vim aliena domo. Præterea damnabilis est hæc propositio, quæ cooperationem levissima etiam de causa permittebat; ne famulus etiam torvis oculis aspiciatur.

Qu. 5. Utrum possint caupones et publicorum hospitiorum domini apponere hospitibus carnes diebus abstinentiæ?

Resp. Non possunt eas omnibus apponere antequam petantur; nisi timor damni gravis urgeat. Possunt vero communiter, quando carnes petuntur, nisi petitio fiat in contemptum religionis; difficile est enim hodie inquirere de rationibus cujuscumque petentis. Imo hospitiorum domini possunt mensas cibis licitis et illicitis struere; quia, cum constet plerosque carnes esse petituros, non videtur necessarium a singulis petere quid velint. Si hæc valebant temporibus anteactis, a fortiori hodie.

Qu. 6. Quomodo agendum cum cauponibus, qui, ut plures alliciant hospites, choreas mixtas in suis ædibus admittunt?

Resp. Ab hoc avertendi sunt, in quantum fieri potest; nam choreæ, præsertim, quæ in cauponis habeantur, plerumque minus honeste fiunt, et multis peccatis occasionem præbent. Attamen non semper iis neganda esset absolutio; sed spectandæ sunt circumstantiæ in singulis casibus.

Qu. 7. An liceat hospitiorum publicorum conductoribus quævis folia publice hospitibus legenda proponere?

Resp. Possunt admittere ea omnia, quæ facta politica narrant, ac de iis tractant, licet interdum aliquid minus rectum contineant; dummodo tamen ipsa de rebus politicis tractatio doctrinis catholicis et bonis moribus systematice non adversetur. « Hæc, quantum fieri potest, summa severitate urgeri debent, cum de gravi damno publico agatur. Si vero rerum conditio adeo desperata sit ut fructus nullatenus speretur, prudentiæ confessarii relinquitur, ut a severiore monitione interim abstinens, malum diminuat, quod penitus nequit auferre » 39.

Firmiter insistendum, ne catholici viri impressioni pravarum ephe-

39) Lehmkuhl *Num. 664;* Gury *256;* Scavini *832.*

meridum cooperentur, sive per scripta etiam de rebus indifferentibus vel bonis, sive per associationes.

Qu. 8. Utrum liceat sacerdotibus sacramenta ministrare petentibus indignis ?

Resp. 1.° Evidenter immunes sunt a peccato, si indignitatem petentis ignorent, vel cognoscant tantum ex secreto confessionis.

2.° Peccant, si sacramenta ministrent exigentibus ea in odium fidei aut religionis : nec a malitia hujus cooperationis excusat quodcumque incommodum, aut etiam periculum vitæ.

3.° Extra hos casus , hæc sacramentorum collatio est cooperatio materialis ad peccatum petentis sacramentum : ergo regitur normis superius datis, præsertim circa gravitatem incommodi secus obvenientis. Hoc impendere potest, tum sacerdoti (intentata mors aut percussio aut odium exsitiale), tum petenti sacramentum (occultæ indignitatis evulgatio), tum communitati (scandalum). Si incommodum vere grave sit, collatio sacramenti non videtur esse mala, cum sit ad peccatum alterius cooperatio mere materialis.

Specialis quæstio movetur a S. Alphonso circa Matrimonium, quod petatur a sponsis publice indignis. Et quidem ipse præfert opinionem quod hæc adsistentia numquam licita sit ; tum, quia, licet proprie parochus minister non sit, tamen ut parochus debet ex justitia incumbere saluti spirituali suarum ovium eas avertendo a peccatis ; tum, quia sponsi publice indigni jus ad ejus adsistentiam non habent 40. Verum utraque ratio infirma esse videtur 41 ; ac sententia admittens hanc adsistentiam licitam esse certe probabilis est.

Qu. 9. Utrum pharmacopola possit umquam potionem suppeditare puellæ ad procurandum abortum ?

Resp. Affirmative ; dummodo habeatur causa gravitate exceptionali gravissima. Ratio affirmationis est, quia cooperatio hæc, licet funestissima, materialis est. Ratio restrictionis est, quia gravitate exceptionali gravissima est injuria innocenti inferenda, et quidem irreparabilis, cui pharmacopola cooperatur. Hinc practice « vix umquam a gravi peccato excusabitur qui pharmacum ad procurandum abortum vendit » 42.

40) S. Ligorius *Lib. VI. Num. 54.*
41) Cf. D'Annibale III. *Num. 463* et Notas *6, 7, 8 ;* Zanin. *732.*
42) Genicot *Num. 238.* Censor operis nostri legerat « numquam ».

TRACTATUS SECUNDUS

DE VIRTUTIBUS MORALIBUS

68. A virtutibus theologicis, quæ superhumanæ sunt, juxta Doctorem Angelicum distinguuntur virtutes *humanæ;* quarum finis essentialis est hominem in suis facultatibus rationalibus perficere [1]. Quapropter hæ virtutes proprie distinguerentur in virtutes *intellectuales* et *morales,* juxta duplicem facultatem rationalem, quæ in homine perfectibilis est. Verum, quia ipsæ virtutes intellectuales, ut sint virtutes simpliciter, debent hominem perficere in ordine ad agendum bene moraliter, ideo omnes virtutes, quæ theologicæ non sint, dici possunt *morales.*

E. virtutibus moralibus, hæ quatuor veluti supremæ numerantur: *Prudentia, justitia, temperantia, fortitudo.* Usu theologorum communi istæ dicuntur *cardinales;* tum, quia dispositiones habituales his virtutibus expressæ requiruntur ad exercendas ceteras virtutes, etiam theologicas; tum, quia versantur in ea materia, ad quam ceteræ omnes virtutes morales per quamdam analogiam reducuntur.

In qualibet virtute cardinali triplex genus partium distingui solet. Dicuntur partes *subjectivæ* illæ species virtutum, de quibus respondens virtus cardinalis prædicatur. Dicuntur partes *integrantes* illæ conditiones vel dispositiones vel actus, quibus opus respondentis virtutis cardinalis perficitur. Demum dicuntur partes *potentiales,* seu *virtutes adnexæ,* quædam virtutes minus principales, quæ recedunt quidem a perfecta ratione propriæ virtutis cardinalis, sed ad eam possunt reduci per quamdam connexionem aut similitudinem.

Omnes virtutes morales stant *in medio,* seu habent medium objecti. Nam earum officium est partem appetitivam perficere secundum mensuram seu regulam rationis: porro a regula potest aliquid discordare *per excessum,* et *per defectum;* dum virtus in adæquatione consistit.

DE VIRTUTE PRUDENTIÆ

69. *Prudentia* apud S. Thomam definitur « recta ratio agibilium »; quæ definitio opportuniori forma ab aliis proponitur, ut ea sit « virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus

1) Synopsim damus eorum, quæ fuse pertractant S. Thomas *2. 2. Qu. 47-170;* Lessius *De justitia et jure.*

2) Sap. *VIII. 7.* — Agunt S. Ambrosius *De offic. ministr. Lib. II. 24;* S. Bernardus *De div. Serm. 82, Num. 8.*

quid honestum sit, quid turpe » [3]. Dicitur esse virtus intellectus, tum quia est in intellectu, tum quia ipsum immediate perficit; at, quia perficit in ordine ad operandum bene moraliter, ideo prudentia virtus est intellectualis et simul moralis.

Ut prudentia sit vera virtus christiana, necesse est quod fundetur in fide, ut ex ea haurire possit principia, ex quibus discernat quid honestum sit, quid turpe : secus est virtus philosophica, naturalis.

Prudentia speciali ratione stat in medio, quod est rectitudo rationis. Ipsa scilicet, prout est virtus intellectualis a recta ratione regulatur; at insuper ipsa indicare debet quænam sit recta ratio aliarum virtutum, seu quodnam sit medium earumdem.

§ I. — De partibus subiectivis prudentiae.

70. Duplex prudentia distinguitur: Alia *monastica* seu *personalis*, qua unusquisque seipsum suosque actus regit in ordine ad ultimum finem; alia *polyarchica*, qua quis alios eorumque actus dirigit: hæc autem subdividitur pro triplici materia regiminis, ut alia sit *œconomica* seu domestica, alia militaris, alia politica; quæ postrema pro triplici ejusdem subjecto potest esse *monarchica*, *aristocratica*, *democratica*. — Hinc prudentia omnibus necessaria est, maxime vero prælatis.

§ II. — De partibus integralibus prudentiae.

71. Partes integrales, seu functiones auxiliares, quibus actus vere prudens constituitur, numerantur octo: *a*) *Memoria*, seu recordatio rerum præteritarum. — *b*) *Intellectio*, seu diligens consideratio rerum agendarum, ex qua intime cognoscamus indolem actus, quem ponere vel omittere intendimus. — *c*) *Docilitas*; seu docibilitas; quæ est dispositio et promptitudo ad discendum ab aliis. — *d*) *Sclertia*, quæ est sagacitas aut sanum criterium ad dignoscenda quænam media possint esse ad finem nostrum necessaria aut utilia. — *e*) *Ratio*, seu recta ratiocinatio, qua ex antecedenter cognitis dignoscamus ea, quæ adhuc sunt ignota, ut hæc ad agendum disponamus [4]. — Hæc spectant ab partem cognoscitivam et deliberativam prudentiæ: sequentia ad partem imperativam et exsecutivam. — *f*) *Providentia* est perpensio futurorum eventuum, ad cavendum ne postea de factis vel non factis nos pœniteat. — *g*) *Cir-*

3) Priorem habet S. THOMAS *Qu. 47, art. 2;* alteram LESSIUS *Lib. I. Cap. I, Num. I,* et ex eo recentes fere omnes. — Cf. MARC *Num. 391;* NOLDIN I, *263.*

4) « Si prudens fuerit animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præterita cogita; præsentia ordina, futura prævide ». SENECA *De beneficiis.* I.

cumspectio est consideratio mediorum ad agendum ne quid desit ex necessariis ad opus. — *h*) *Cautio* est cura, ut impedimenta et incommoda forte obventura, aut amoveantur, aut superentur. — Actus, qui fuerit hisce omnibus functionibus auxiliaribus prædispositus, hic prudens erit.

§ III. — De virtutibus adnexis prudentiae.

72. Partes potentiales, seu virtutes minus principales adnexæ prudentiæ, ponuntur tres: *Eubulia, Synesis, Gnome.* — Etenim, *a*) ad hoc ut prudentia recte ordinet agibilia in casibus particularibus, requiritur recta consultatio, et rectum de rebus consultis judicium. Virtus, ad quam pertinet *consultatio* circa media et circumstantias, ut actio fiat secundum regulam honestatis, est *eubulia.* — *b*) Virtus, ad quam pertinet ex consultatione *judicare* circa media et circumstantias, alia et alia est: quæ judicat et concludit ex regulis communibus, est *synesis;* quæ judicat et concludit secundum principia generalia, est *gnome.* Ita, si quis gladium alienum teneat, *synesis,* appellans ad regulam communem, docebit: « res aliena domino reddenda est ». At, si dominus gladium repetat ad regem occidendum, *gnome* appellabit ad principium generale: « inimico regis non est suus gladius restituendus ». — *c*) Post consultationem et judicium, spectabit ad prudentiam dare *imperium.* Quare eubulia, synesis et gnome non videntur esse tres habitus distincti; sed potius partes potentiales habitus prudentiæ, seu esse ipsam virtutem prudentiæ pro diversis ejus muneribus inadæquate consideratam.

§ IV. — De peccatis contra prudentiam.

73. Contra tria officia prudentiæ, quæ sunt *consultatio, judicium* et *imperium,* opponuntur quatuor peccata per defectum. *a*) Ex defectu consultationis habetur *præcipitatio* seu temeritas; quæ, proposito fine, opus aggreditur, quin antea rem bene consulat. *b*) Ex defectu judicii habetur *inconsideratio;* eo quod quis judicat, quin bene ponderet circumstantias, ac proinde ejus judicium non est bonum; *c*) habetur vero *inconstantia,* si quis postquam rem bene consideravit et judicavit, sine causa sufficienti mutat sententiam, ac proinde ejus judicium non est firmum. Demum *d*) contra officium imperandi opponitur *negligentia;* qua quis, re bene consulta et deliberata, non curat eam exsequi præscribendo usum mediorum. Ex his peccatis exsurgit peccatum *imprudentiæ,* cujus illa sunt veluti partes potentiales.

74. Insuper, habentur alia quatuor peccata, quasi per excessum, vel quæ habent similitudinem cum prudentia. *a*) *Prudentia carnis* est ea, quæ consultat, deliberat et præscribit media apta ad vivendum secundum instictum naturæ corruptæ 5. *b*) *Astutia* seu calliditas peccat in

5) Cf. Rom. *VIII. 6, 7;* Gal. *V. 19-22.*

excogitandis mediis, quatenus ad finem, sive bonum, sive malum, cogitat uti viis non veris, sed simulatis: eorum vero exsecutio, si verbis aut factis consistat, dicitur *dolus;* si verbis tantum, *fraus. c) Sollicitudo temporalium* est horum cura inordinata; quæ inordinatio habetur, sive quis ea quærat ut finem, sive ea quærat studio superfluo, sive timeat ne sibi facienti quod est in se necessaria desint. *d) Sollicitudo futurorum* peccatum est, cum est inordinata; ut, si quis sollicitus sit de iis, quæ sibi post annos plures eventura sunt, cum Christus dixerit: *Nolite solliciti esse in crastinum* [6].

DE VIRTUTE JUSTITIÆ

75. *Justitia* aliquando sensu latiori accipitur pro statu gratiæ, aut pro complexu omnium virtutum. Sensu magis proprio, est virtus specialis, quæ tendit ad conservandam vel reponendam æqualitatem inter id, quod alter debet habere, et id, quod habet; eo sensu, ait S. Thomas, quo ea, quæ adæquantur, voce vulgari dicuntur *justari* [1].

Justitia definiri solet: « Perpetua et constans voluntas jus suum unicuique tribuendi » [2]. Itaque, objectum justitiæ est *jus,* sive prout dicit exigentiam moralem, quæ est in alio, ut ei tribuatur; sive prout dicit id, quod alteri propter hanc exigentiam tribuendum est, ut habeatur æqualitas inter id quod ei tribui debet, et id quod tribuitur. Jus utroque sensu acceptum est *medium* hujus virtutis; altero sensu est *objectum* tribuendum; sensu priori est *titulus,* propter quem tribui debet.

§ I. — De partibus subjectivis justitiae.

76. Partes subjectivæ justitiæ, seu species illius, tres ponuntur: Justitia *commutativa, distributiva* et *legalis.* Cum munus justitiæ sit intendere æqualitatem, habentur diversæ species justitiæ secundum diversitatem relationis, quæ potest esse inter eum qui debet æqualitatem curare, et eum in quo ponenda est æqualitas. Hæc autem relatio triplex potest esse: *a)* Partis ad partem; ut unaquæque pars det alteri id, quod ab altera exigitur: *b)* totius ad suas partes; ut totum tribuat singulis par-

6) Matth. *VI. 37;* at simul cf. Prov. *VI. 6-7.* — Lessius *Num. 28-31;* Noldin *264.*

1) S. Thomas *Qu. 59, art. 1.* — Cf. Ballerini III. *VIII. 2, seqq.*

2) S. Thomas *Qu. 58, art. 1.* — De hac virtute fuse agemus in tractatu sequenti.

tibus, quod eis convenit: *c*) partis ad suum totum; ut unaquæque pars det toti seu communitati id, quod ipsi convenit. Primum facit justitia *commutativa;* alterum justitia *distributiva;* tertium justitia *legalis.*

77. Justitia *commutativa* ad hoc tendit, ut conservet, aut ponat, aut restituat æqualitatem inter personas privatas; quod maxime locum habet circa commutationes et varios contractus; hæc est justitia in sensu maxime proprio definitionis. Ad hanc revocari quoque potest justitia *internationalis;* quæ tendit ad dandum aliis nationibus id, quod ipsis debetur.

Justitia *distributiva* ea dicitur, quæ societatem, vel ejus præsides, inclinat ad bona communia et munera distribuenda inter membra societatis, juxta singulorum dotes, facultates ac merita. Hæc non est justitia in sensu proprio; tum, quia inter eum, qui debet, et eum, cui ille debet, non habetur perfecta distinctio seu alteritas; tum, quia ea distributio fieri non potest ad æqualitatem, sed juxta proportionem 3. Huic affinis est justitia *vindicativa,* quæ societatem vel præsides ejusdem inclinat ad debitas et convenientes poenas reis subditis inferendas.

Justitia *legalis* seu *generalis* est ea, quæ inclinat singula membra societatis ad tribuendum ipsi societati id, quod ipsi necessarium aut conveniens est ad bonum commune procurandum. Legalis dicitur, eo quod ea, quæ societati tribuenda sunt, legibus statuuntur; generalis dicitur, eo quod ad bonum commune ordinatur. Patet et hanc a perfecta ratione justitiæ deficere. Apud recentes utraque simul dicitur etiam *justitia socialis* 4.

§ II. — De partibus integralibus justitiae.

78. Functiones, quibus perfecte exercetur actus justitiæ, duæ ponuntur: *Operatio boni,* et *vitatio mali.* Scilicet, bonum heic consideratur, non quod est moraliter bonestum, sed quod habet rationem debiti; eo quod ab altero moraliter exigitur: item malum heic accipitur, quod alteri malum infert, seu quod est alteri nocivum. Quare sub hisce duabus functionibus accipitur veluti duplex justitiæ præceptum; unum affirmativum, quod jubet faciendum esse id, quod alteri debetur; alterum negativum, quod prohibet ne quid fiat alteri nocivum.

§ III. — De virtutibus adnexis justitiae.

79. Hujusmodi virtutes a S. Thoma recensentur novem. Ex his, quatuor priores respiciunt exigentiam in altero, cui aliquid debetur; quæ tanta est, ut non possit ei satisfieri ad æqualitatem, et ex hoc capite a perfecta ratione justitiæ deficiunt, ac dicuntur fundamentum habe-

3) Cf. BALLERINI *Num. 34-41.* Aliter, tum de justitia *distributiva,* tum de *legali,* censet VERM. *Quæst. de justitia Num. 21, seqq.*

4) De justitia sociali agit POTTIER *De jure et just. Diss. III.*

re *debitum legale*. Hæ sunt: *Religio, pietas, observantia* cum *dulia, obedientia*. Quinque posteriores vix ullam et impropriam respiciunt in altero exigentiam; respiciunt potius *debitum morale* ex parte debentis, qui quamdam turpitudinem contraheret, nisi exigentiæ illi, licet levi et impropriæ, satisfaceret. Sunt autem: *Gratitudo, vindicatio, veritas, amicitia, liberalitas*. — Eo quod istæ posteriores fundamentum non habent debitum legale, a vera justitia longe magis recedunt, quam priores.

80. *Religio* definitur « virtus moralis, quæ volutatem inclinat ad tribuendum Deo cultum ipsi debitum propter ipsius excellentiam infinitam ». Quare objectum materiale religionis est cultus ille summus et specialis, qui nonnisi Deo tribuendus est, quique *latria* appellatur. Objectum formale, seu motivum cultus hujus exhibendi, est excellentia Dei, quæ infinita est, tum absolute in se, tum relative ratione causalitatis omnium rerum. Hinc est quod religio, præter honestatem sibi propriam continet etiam eminenter honestatem aliarum virtutum, quarum officiis tenemur erga Deum; nempe pietatis, qua Deum respicere et honorare debemus ut principium ortus nostri; gratitudinis, qua Deo gratias agere debemus propter beneficia accepta; observantiæ, qua Deum revereri debemus propter excellentiam actualis gubernationis.

Patet etiam quod religio fundamentum habet exigentiam cultus ex parte Dei, ac proinde debitum legale.

81. *Pietas*, sensu proprio accepta, est « virtus moralis, quæ hominis voluntatem inclinat ad officia, quæ habet erga principium ortus sui ». Unde primario et principaliter pietas debetur parentibus; prout enim debetur Deo, ejus officia eminenter continentur in religione 6. Ex quadam analogia, pietas debetur etiam patriæ 7, per quam parentes nobis dare potuerunt ortum convenientem; imo etiam consanguineis omnibus, cum quibus conjunctionem sanguinis et ortus communis habemus 8. Pietatis officia, in quantum ad parentes et patriam refertur, sunt *amor, reverentia, obedientia;* in quantum ad ceteros consanguineos, sunt *amor* et *reverentia*.

82. *Observantia* est « virtus moralis, quæ hominem inclinat ad officia debita illis, in quibus sit excellentia actualis gubernationis aut aptitudinis ad gubernandum ». Quare hæc virtus dirigit inferiores erga superiores, non in quantum præcipiunt, sed in quantum gaudent excellentia gubernationis, sive actualis, sive aptitudinalis. Quia hæc excellentia unius præ alio potest esse ordinis diversi, ita et observantia alia est religiosa, alia politica: illa vero potest esse aut naturalis, aut supernatu-

5) Hisce, juxta quosdam, addenda *Pœnitentia*. — Cf. PALMIERI in Tract. dogm. *De Pœnit. Thes. V.* pag. 28, seqq.

6) Proinde parentibus debetur post Deum. S. THOMAS *Qu. 101, art. 3, 4.*

7) Hæc pietas non videtur distingui a justitia legali. LESSIUS *Lib. II. Cap. 4.*

8) Affines omittuntur, tum a S. THOMA *loc. cit.*, tum a DE LUGO *De pœnit. Disp. XVI 303 seqq.* — Cf. BALL. ad Gury II. *Num. 305, 30.*

ralis, et insuper diversa, prout exhibenda est B. Virgini aut Sanctis in cælo, vel prælatis ecclesiasticis in terra.

33. Ab hac virtute, juxta S. Thomam, nonnihil differt *dulia*, qua famuli vel servi venerantur dominum suum 9. Cum vero dominium competat, tum Deo præ hominibus, tum hominibus quibusdam præ aliis, nomen *dulia* hoc alterum respicit, dum prius pertinet ad latriam.

84. *Obedientia* a S. Thoma definitur « virtus, quæ hominis voluntatem promptam reddit ad implendam voluntatem præcipientis » 10. Ejus objectum materiale est res præcepta; ejus motivum est ipsa auctoritas præcipientis, cui bonum est suam voluntatem subjicere. Quæ auctoritas præcipientis ex triplici radice oriri potest: *a*) Ex ratione causæ et effectus; quo titulo obedientia debetur Deo et parentibus; *b*) ex ratione totius et partis; quo titulo fideles eam debent Ecclesiæ, cives reipublicæ; c) ex raione spontaneæ subjectionis, quo titulo clericus eam debet Episcopo, religiosus prælato, uxor marito, servus domino, etc. Hæc posterior obedientia, alia est *voluntaria* simpliciter; alia vero *religiosa*, quæ nempe præstatur ex voto: de hac potissimum ait S. Gregorius: « Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur » 11.

Ad satisfaciendum præcepto præcipientis, satis est actu humano facere id, quod est præceptum; nec necesse est id facere, quia est præceptum: in casu priori obedientia dicitur *materialis*, in alio *formalis;* tamen hæc sola actui propriam bonitatem tribuit.

85. Obedientia est virtus specialis; cum ex ea specialem honestatem accipiat res præcepta: ita labor filii ex obedientia accipit specialem honestatem ex eo, quod filius laborat subjiciendo suam voluntatem auctoritati paternæ. Quælibet vero obedientia, etiam quæ radicem habeat spontaneam subjectionem, fundamentum suum habet voluntatem Dei, ex qua fit, ut vel absolute, vel sub hypothesi spontaneæ subjectionis, præcipiens habeat auctoritatem præcipiendi; *non est enim potestas, nisi a Deo* 12. Hinc præ ceteris virtutibus « laudabilior est obedientiæ virtus, quæ *propter Deum* contemnit propriam voluntatem »; adeo laudabilis, ut vel ipsa « caritas sine obedientia esse non possit,.... quia amicitia facit idem velle et nolle » 13.

86. Contra virtutem obedientiæ non datur peccatum per excessum. Quod enim quis obediat, quando tenetur non obedire, h. e., quando novit rem præceptam malam esse, hoc non est peccatum contra obedientiam, sed contra eam virtutem, cui res præcepta adversatur. Datur e

9) S. Thomas *Qu. 130, art. 3.*

10) S. Thomas *Qu. 104, art. 2 ad 3.*

11) S. Gregorius M. *Moralium. Lib. ult. Cap. 12;* alludit ad I. Reg. *XV. 22.*

12) Rom. *XIII. 1.* — A pluribus vera et perfectissima obedientia dicitur etiam ea, quæ præceptum præveniat: quod ab aliis negatur. Cf. Lessium *Lib. II. 27;* Suarez *De relig. X. Cap. 14, 15;* Lehmk. I. *Num. 779.*

13) S. Thomas *Qu. 107, art. 3.*

contra peccatum per defectum, *inobedientia*. Hæc autem duplex est: Alia est *materialis*, licet voluntaria; et in hoc est, quod quis suam voluntatem auctoritati legitimæ præcipientis non subjiciat: hæc habetur in quolibet peccato; cum quodcumque peccatum sit transgressio voluntatis Dei. Alia est *formalis;* et in hoc est, quod quis præceptum violet, quia non vult se superiori subjicere, ejusque auctoritatem contemnit: in hoc altero casu haberi poterit peccatum mortale, etiam in transgressione præcepti levis.

87. *Gratitudo* est prima e virtutibus, quæ dicuntur habere debitum morale: definitur autem « virtus, quæ inclinat voluntatem hominis beneficiati ad officia tribuenda benefactori ». Sane bonum et honestum est, quod, qui beneficium accepit, aliquo modo in benefactorem sese convertat. Ea proprie fundatur in accepto beneficio; porro homo beneficia accepit a Deo, a parentibus, a superioribus; at potuit etiam accipere a ceteris hominibus. In tribus casibus prioribus gratitudo non distinguitur a religione, a pietate, ab observantia: in casu postremo est proprie gratitudo, seu gratia.

88. Officia gratitudinis ponuntur tria per gradus: *a*) Quod beneficiatus beneficium acceptum recognoscat et memoria teneat; *b*) quod benefactorem laudet, eique gratias habeat; *c*) quod eidem secundum varias circumstantias et pro sua facultate retribuat. — Prædictis gradibus tres gradus ingratitudinis, et quidem ordine inverso, opponuntur; scilicet: *a*) Benefactori non retribuere; *b*) beneficium dissimulare; *c*) illud non recognoscere. Dum hi gradus sunt in omittendo, dantur et alii tres graviores in committendo: *a*) Retribuere mala pro bonis; *b*) vituperare beneficium; *c*) reputare beneficium pro maleficio. — Inde colliges quot et quales sint gradus malitiæ in ingratitudine contra Deum [14].

89. *Vindicatio* est « virtus, quæ inclinat hominis voluntatem ad reddendum malefactori malum pro malo accepto ». Si quis malum pro malo alteri reddere velit, ut hic malum habeat, habetur peccatum odii; si ut hic emendetur, habetur actus virtutis caritatis; si ut per ejus punitionem rectus ordo servetur aut restituatur, habetur actus justitiæ vindicativæ: si ut injuriæ acceptæ reparatio fiat, ac ei qui malum accepit satisfactio detur, habetur actus vindicationis, quæ est virtus adnexa justitiæ. Ut vero vindicatio, seu vindicta, sit actus virtuosus, præter intentionem rectam, requiritur ut non habeatur excessus in quantitate mali quod infertur, vel satisfactionis quæ exigitur, nec in modo vindicandi rectus ordo violetur. Porro publicis legibus statuitur, ut vindicta non fiat privata auctoritate, si de malo graviori agatur; quod minime statuitur, si agatur de malo leviori vel levissimo.

90. Quamvis ejusmodi vindicatio virtus sit, tamen ipsa melior est condonatio injuriæ acceptæ; maxime, si fiat propter amorem Dei, propter

14) Lessius *Lib. II. Cap. 47 Num. 19, 20.* — Cf. S. Thomam *Qu. 107, a. 2.*

monita et exempla et promissiones Christi. Quare contra hanc virtutem datur tantum peccatum per excessum; aut in malo illato, et est *crudelitas;* aut in modo inferendi, et est *vindicta privata.* — Peccatum per defectum haberi posset *per accidens;* nempe, si vindicatio requiratur ad bonum Ecclesiæ, vel communitatis aut familiæ, vel si nimia remissio audaciorem faciat malefactorem.

91. *Veritas* seu *veracitas est* « virtus, quæ procurat conformitatem signorum cum mente ». Patet veritatem esse proprie virtutem, cum honestum sit quod homo colat in dictis aliisque signis veritatem; et esse virtutem adnexam justitiæ, eo quod veritas aliis debetur. Ceterum exigentia ut aliis veritas significetur potius est ex parte loquentis, quam ex parte audientium; qui enim falsum dicat, turpis evaderet et dignus cui alii in posterum non credant, et proinde fieret ad vitam civilem parum idoneus; hinc veritas respicit debitum morale.

92. Inter cetera officia veritatis, illud etiam ponitur, quod promissis facta respondeant; hoc in casu veritas proprie dicitur *fidelitas;* qua quis ex promissione obligatur ad aliquid, non ex jure quod in altero sit ex mera promissione liberali, sed ex debito quod est in promittente servandi fidelitatem in promissis [15]. Fidelitas a pluribus habetur ut virtus distincta a veritate: utraque *per se* obligat sub levi; ac proinde peccata iisdem opposita, *mendacium* et *infidelitas* (eo sensu, quo hic accipitur), sunt peccata venialia; nisi, præter obligationem harum virtutum propriam [16], violetur etiam obligatio ex virtute justitiæ.

93. *Amicitia* a S. Thoma accipitur, non prout est benevolentia mutua, sed prout respicit externam conversationem, eo quod homo naturaliter socialis est, et proinde præstare debet ea, quæ ad socialem convictum requiruntur. Est ergo « virtus, quæ normam conversationis determinat, ut ea, spectata personarum conditione, grata sit et decens ». Prout hæc norma spectatur in verbis, amicitia dicitur etiam *affabilitas;* prout spectatur in actionibus et officiis, *comitas;* quod si spectatur in jocis, dicitur *eutrapeleia.* Patet amicitiam hoc sensu acceptam esse vere virtutem adnexam justitiæ, ac fundamentum habere debitum morale.

94. Contra virtutem amicitiæ habentur duo peccata per excessum: *adulatio* et *blanditia.* Utraque in eo est, quod quis nimis se aliis accommodet, omnia probet; si id faciat causâ utilitatis, habetur *adulatio;* si causâ placendi, *blanditia.* Utrumque peccatum *per se* est veniale; at prius fieri posset mortale *per accidens*: *a*) ratione materiæ, si quis alium laudet propter mortale; *b*) ratione finis, si ut ad malum grave pertrahat; *c*) ratione effectus, si adulatio prævideatur alteri graviter nocitura, puta mentem corrumpendo.

Peccatum per defectum est *morositas,* vel ex S. Thoma, *litigium*:

15) Ex S. Thoma *Qu. 109;* Lessius *Lib. II. Cap. 18 Num. 53;* De Lugo *De jure Disp. XXIII. 14.*

16) Ex S. Thoma *Qu. 110, art. 1* quod audiens decipiatur, non pertinet ad essentiam mendacii, sed ad ejus perfectionem tantum.

in hoc vero consistit, quod quis se difficilem, asperum, insociabilem præbeat, et proinde facilem ad contradicendum et litigandum: hoc quoque peccatum *per se* est veniale.

95. *Liberalitas* est « virtus, quæ, amorem pecuniæ moderando, facit hominem proclivem et promptum ad eam elargiendam, prout ratio dictat ». Moderatio amoris pecuniæ est conditio præsupposita, ex qua sequitur promptitudo ad elargiendum. Si quis pecuniam alteri det, quia hic indiget, est misericordia; si propter acceptum beneficium, est gratitudo; si ut pretium operis vel rei acceptæ, est justitia commutativa: si propter animum ab amore pecuniæ alienum, est proprie liberalitas, seu *largitas*.

96. Contra hanc virtutem opponitur per defectum *avaritia*, quæ est ex aviditate pecuniæ. *Per se* est veniale; at valde periculosum est, et facile pertrahit ad mortalia; quare ponitur inter vitia capitalia. Septem ejus filiæ numerantur a S. Gregorio: *Proditio, fraus, fallacia perjurium, inquietudo, violentia* et *obduratio cordis* [17].

Per excessum opponitur *prodigalitas*, in eo consistens, quod quis largiatur, at non prout ratio dictat. Hoc quoque peccatum est veniale et opposito levius; tum, quia saltem utile est aliis; tum, quia facilioris est emendationis. Fieri posset mortale *per accidens;* puta, si prodigus filios in egestatem conjiciat, vel se imparem debitis solvendis reddat, vel si pecuniam ad malum finem profundat, etc.

97. S. Thomas quæstionem hic inserit de *epikeia*. Hæc, juxta ipsum, est « virtus inclinans ad recedendum a verbis legis, quando id poscit ratio justitiæ legalis et communis utilitatis ». Exempla affert de furioso qui suum gladium reposcat, ac de reposcente depositum suum ad patriam impugnandam. Cum enim leges sint ad bonum commune, ipsum bonum commune, seu finis legis, exigit, ut quandoque a verbis legis recedamus, ejusdem intentionem interpretantes. Hinc epikeia est pars subjectiva justitiæ, et proprie correspondet justitiæ legali.

DE VIRTUTE FORTITUDINIS

98. *Fortitudo* sensu lato est firmitas animi in quolibet bono honesto; quo sensu non est virtus specialis, sed conditio cujuscumque virtutis perfectæ. Sensu proprio, fortitudo est « virtus cardinalis inclinans hominem ad ea mala sustinenda et repellenda, in quibus valde difficile est animum regere et statum rationis retinere ». Cum enim bonum sit quod homo non permittat se frangi periculis, sed inter ea suum animum regat ac statum rationis con-

17) S. Gregorius *Moralium Lib. XXXI. 41*, apud S. Thomam *Qu. 118. art. 8.*

servet, ideo fortitudo virtus specialis est; ejusque officium est, non intellectum vel voluntatem regere, sed amovere pericula, quæ ex parte irascibili possent rationem et voluntatem a bono retrahere.

Inter omnia pericula, quæ possent hominem retrahere a bono, maxime terrificum est mors; ac ideo circa hoc periculum proprie fortitudo ponitur; dum circa pericula minora ponuntur virtutes adnexæ fortitudini.

99. Inter omnes actus fortitudinis præstat *martyrium;* cui proinde duplex inest honestas: una propria virtutis, pro qua quis martyrium patitur, ex. gr., fidei vel castitatis; altera propria virtutis fortitudinis. Ut vero quis vere martyr dicatur, requiruntur tria: *a*) Quod mors ei irrogetur in odium Christi, vel fidei alteriusve virtutis christianæ; *b*) quod ipse mortem acceptet, nullatenus tyranno resistens; *c*) quod sit in gratia vel saltem legitime ad gratiam dispositus per attritionem de peccatis commissis. Martyrium gloria speciali in cœlo remunerandum est, quæ dicitur *laureola* [1].

§ I. — De partibus integralibus fortitudinis.[2]

100. Ad actum perfectum fortitudinis duo concurrunt: *a*) Quod homo aggrediatur ea, quæ sunt valde periculosa; *b*) quod eadem jam præsentia sustineat. Primum præstant *fiducia* vel *fidentia* in audendo, et *magnificentia* in exsequendo. Alterum præstant *patientia,* ne animus asperitate malorum frangatur; et *perseverantia,* ne eorumdem diuturnitate fatigetur. Si fortitudo in propria materia versetur, h. e., in periculis mortis, ad illius actum perfectum quatuor illæ functiones requiruntur, quæ proinde sunt partes integrantes fortitudinis.

§ II. — De virtutibus adnexis fortitudini.

101. Prædictæ partes integrantes fortitudinis sunt simul ejusdem partes potentiales, seu virtutes eidem adnexæ, si versentur circa pericula minora præ periculis mortis. Tantummodo loco fiduciæ, ponitur a S. Thoma *magnanimitas.*

102. *Magnanimitas* est « magnitudo animi, in eo consistens, quod quis magna cogitet, ad magna aspiret, magna moliatur » hoc vero, non ratione honestatis, quæ in rebus illis sit, sed ratione magnitudinis earumdem. — Huic virtuti opponuntur per excessum *præsumptio, ambitio* et *inanis gloria;* per defectum *pusillanimitas.*

103. *Magnificentia* est « virtus, quæ ad res magnas efficiendas inclinat: ad quas sumptus ingentes et labores extraordinarii requiruntur ».

1) De martyrio satis fuse et clare agit NOLDIN I. *Num. 279-282.*

2) Advertit S. THOMAS *Qu. 128* non posse fortitudini competere partes subjectivas.

Est ergo affinis virtuti liberalitatis; a qua in hoc differt, quod hæc propter moderatum amorem pecuniæ inclinat ad eam largiendam, ea vero ad ingentes expensas pro magnis operibus insumendas. — Huic virtuti per excessum opponitur peccatum, quod apud S. Thomam nomen non habet; et in hoc est, quod quis expensas insumat ultra quam recta ratio dictat; per defectum opponitur *parvifacientia;* utrumque *per se* est veniale.

104. *Patientia* est « virtus, quæ animum firmat in tolerandis malis minoribus, quam sint dolores mortis »; puta in morbis, in contumeliis, in damnis, in morte parentum, etc. Prout hæc virtus inclinat ad diu tolerandam rei expectatæ dilationem, dicitur *longanimitas.* — Huic virtuti per excessum opponitur *insensibilitas* vel *apathia;* per defectum *impatientia*: utrumque *per se* est veniale; secundum facile fieri potest mortale *per accidens.*

105. *Perseverantia* est « virtus inclinans ad continuandum in proposito alicujus operis boni », non ex motivo honestatis operis illius in se, sed ex affectu ipsius continuationis in opere illo; bonum enim est quod homo in eo opere perseveret usque in finem, vincens tædium et molestiam ex operis diuturnitate provenientem. Hoc sensu perseverantia parum vel nihil differt a *constantia.* — Perseverantiæ, opponitur per excessum *pertinacia,* qua quis plus æquo suæ sententiæ adhæret, nec ab ea recedit etiam tunc, cum prudentis est mutare consilium. Per defectum eidem opponitur *inconstantia,* qua quis facile propositum mutat tædio diuturnitatis vel similis incommodi.

§ III. — De peccatis oppositis fortitudini.

106. Huic virtuti unum peccatum opponitur per defectum, *timiditas;* quæ est vitium excedens in timendo et deficiens in audendo; sub hoc altero sensu proprie dicitur *ignavia.* Eidem duo peccata opponuntur per excessum: *Intimiditas,* quæ est defectus justi timoris; hic provenire potest ex parvipensione suæ vitæ, ex superbia, ex animi stoliditate: *audacia,* seu *temeritas,* quæ est excessus in audendo, vel in aggrediendo; plus minus ex iisdem causis provenit; at provenire quoque potest ex vanagloria, quo in casu est vitium adnexum jactantiæ.

DE VIRTUTE TEMPERANTIÆ

107. *Temperantia,* sensu stricto accepta, est « virtus, quæ moderatur appetitum circa delectabilia tactus ». Sicut fortitudinis est superare maximas difficultates, ita temperantiæ est frenare maximas delectationes, quæ adversari possent rectæ rationi: ejusmodi vero sunt delectationes sensuales, præsertim quæ propriæ sunt tac-

tus; ad quas pertinent delectationes cibi et potus et delectationes venereorum [1].

108. Objectum materiale hujus virtutis duplex est. Primarium sunt ipsæ delectationes tactus in cibis, potibus et venereis: secundarium sunt delectationes aliorum sensuum, præsertim prout ad objectum primarium indirecte referuntur; simili modo, ac canis de olfactu leporis delectatur, non propter olfactum, sed proter gustum prædæ, cujus sensum percepit per olfactum. Objectum formale est specialis honestas consistens in hoc, quod homo hisce delectationibus utatur ea moderatione, quæ decet naturam rationalem, nec sinat sensum rationi prædominari.

Itaque norma rationis in delectationibus cibi et potus hæc est, ut homo tantum sumat, quantum opus est ad bonam corporis valetudinem et idoneam mentis ad suas functiones dispositionem. In delectationibus venereorum, norma hæc est, ut homo extra legitimum matrimonium iisdem non utatur, nec uti velit; ac in ipso matrimonio eatenus utatur, quatenus recta ratio dictat conveniens esse ad finem matrimonii.

§ I. — De partibus integralibus temperantiae.

109. Partes integrales hujus virtutis duæ ponuntur: *Verecundia;* quamvis proprie passio est, tamen facit ut fugiamus probrum, et proinde etiam ea, quæ probrum inducunt: porro delectationes, quæ sunt objectum temperantiæ natura sua probrum quoddam inducunt, eo quod eas communes habemus cum brutis. *Honestas,* prout hic accipitur, significat quamdam pulchritudinem moralem, et proprie est amor conservandæ dignitatis et excellentiæ naturæ humanæ per exclusionem aut moderationem earum delectationum, quæ humanam dedecent, aut minus decent, dignitatem. Patet tum verecundiam, tum honestatem, maxime conducere ad opus perfectum temperantiæ.

§ II. — De partibus subjectivis temperantiae.

110. Quatuor ponuntur a S. Thoma: *Abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia.* « Oportet diversificari species virtutum secundum diversitatem materiæ et objecti. Est autem temperantia circa delectationes tactus, quæ dividuntur in duo genera. Nam quædam ordinantur ad nutri-

1) Has, et has tantum, communes habemus cum brutis. S. Thomas *Qu. 141, art. 4 ad 3;* Lessius *Lib. IV. Cap. I. Num. 4.*

mentum; et in his, quantum ad cibum est *abstinentia*, quantum ad potum proprie est *sobrietas*. Quædam vero ordinantur ad vim generativam; et in his, quantum ad delectationem principalem ipsius coitus est *castitas*, quantum ad delectationes circumstantes, puta, quæ sunt in osculis, tactibus et amplexibus, attenditur *pudicitia* » 2.

111. *Abstinentia*, prout a S. Thoma accipitur, est « virtus, quæ cupiditates ciborum inordinatas refrenat, et in ipso usu moderationem constituit ». Quare duo sunt officia hujus virtutis. Quoad primum: cupiditates ciborum possunt esse inordinatæ, sive quoad quantitatem, sive quoad qualitatem, sive quoad ipsam cupiditatis intensitatem, quæ non sinat hominem cogitare nisi de cibis et de ventre. Quoad alterum: tunc usus cibi est ordinatus, cum homo tantum sumit, quantum necessitas, aut utilitas, aut saltem convenientia requirit; maxime vero ab ea quantitate abstineat, qua vel valetudo detrimentum subiret, vel mens ad suas functiones obeundas incapax fieri posset. — Inde patet abstinentiam esse specialem virtutem, ac proprium habere objectum formale. Si homo a cibis abstinet, ut eos det famelicis, facit actum misericordiæ; si, ut eorum pretium seponat, prudentiæ vel avaritiæ; si, ut debita solvere possit, justitiæ; si abstineat, ne cibis a bono rationis amoveatur, facit actum abstinentiæ.

112. Abstinentiæ, præter peccatum per excessum, quod esset *stupor* vel *insensibilitas*, opponitur aliud peccatum per defectum, quod est *gula*. Hoc peccatum consistit in appetitione et usu cibi excedente præscriptum rationis: hic autem excessus ex quinque capitibus haberi potest, quæ hoc versiculo indicatur:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Gula inter vitia capitalia recensetur; ejusque, prout ad cibum et ad potum simul refertur, quinque filiæ numerantur a S. Gregorio. In intellectu *hebetudo mentis*, in appetitu *inepta lætitia*, in ore *stultiloquium* et *scurrilitas*, in corpore *immunditia* 3.

113. *Sobrietas* est « virtus, quæ moderatur tum appetitum, tum usum potus inebriare valentis ». Ejus materia proprie est potus valens inebriare, h. e., usum rationis auferre aut saltem impedire: quæ moderatur appetitum et usum cujuscumque alterius potus, puta aquæ saccaro dulcificatæ, est abstinentia. Sobrietatis officia duo sunt: *a*) moderari cupiditatem hujus potus, sive quoad qualitatem potus, sive quoad quantitatem, sive quoad sui ipsius intensitatem; *b*) moderari usum, adeo ut ebrietas ejusque periculum vitetur.

114. Sobrietati per excessum opponitur *stupor* vel *insensibilitas;* per defectum *ebrietas*, quæ a S. Thoma definitur « excessus in potu ex sola voluptate vini usque ad privationem usus rationis » 4.

2) S. Thomas *Qu. 143, art. un.*
3) S. Gregorius *Moralium XXXI. 17*, apud S. Thomam *Qu. 148, art. 6.*
4) S. Thomas *1. 2. Qu. 88, art. 5 ad 1.*

115. *Castitas* est « virtus, quæ moderatur affectum et usum venereorum »; ut homo non plus, nec alio tempore, vel loco, vel modo illas appetat, vel illis utatur, quam rectæ rationi congruit 5.

Objectum hujus virtutis materiale sunt delectationes venereæ quoad ipsum actum principalem, nempe coitum vel copulam. Objectum formale est specialis honestas, quæ est in moderatione harum delectationum; quæ moderatio in seipsa quamdam moralem pulchritudinem et puritatem præsefert.

Castitas alia est *perfecta*, alia *imperfecta*. Perfecta est ea, quæ abstinet ab omnibus voluptatibus carnis, tam illicitis, quam licitis, et simul proponit ab iisdem abstinere perpetuo: hæc dicitur *virginalis*. Imperfecta est ea, quæ proponit a quibuscumque abstinere (et revera abstinet) ad tempus; at simul statuit suo tempore abstinere ab illicitis, licitis vero uti moderate, sive quoad finem, sive quoad modum, tempus et alias circumstantias: hæc præ prima parte dicitur *antematrimonialis*, præ altera *conjugalis*. De castitate virginali præceptum non habetur, sed consilium evangelicum: de altera habetur verum præceptum juris naturalis et divini positivi.

116. Castitas virginalis sic dicitur a virginitate. *Virginitas* vero dupliciter accipitur: *a*) Pro carnis integritate, quæ nullo umquam fuerit contagio libidinoso violata; et sic non est virtus, sed conditio naturalis, in qua homo quilibet nascitur, et quam amittere potest etiam invitus. — *b*) Pro voluntate et proposito servandæ illius integritatis, sive ad tempus, et dici potest virginitas antematrimonialis: sive in perpetuum, et est proprie virginitas: ad hanc requiritur, tum integritas carnis, tum propositum eam servandi perpetuo. Hinc proprie virginitas est « castitas perfecta integritati carnis conjuncta ». Quantum ejusmodi virginitas præstet matrimonio, quibusque præmiis specialibus sit a Deo remuneranda in cælis (*laureola*), pluribus edicunt patres, teologi et scriptores ascetici.

117. Virginitas, prout est carnis integritas, amitti potest involuntarie: a viro per involuntariam seminis effusionem: a femina per violationem signaculi virginalis, sive infirmitate naturæ, sive casu fortuito, sive violenta alterius oppressione. Eadem amitti potest voluntarie, si prædicta admittantur per actus voluntarios, aut in se, aut in causa; et quidem, sive peccando, sive etiam non peccando.

Virginitas, prout est virtus, per violationem carnis involuntariam nullatenus amittitur, sive quoad perfectionem sui, sive quoad privilegia, tum pro vita præsenti, tum pro futura. E contra amittitur per violationem voluntariam, licet non peccaminosam; imo amitti quoque potest salva integritate corporali, tum per alios actus libidinosos, tum per turpia desideria, tum per ipsum innocens desiderium contrahendi matrimonium cum intentione utendi suo tempore juribus matrimonialibus.

5) Palmieri apud Ball. II. *De 6 præc. Num. 311-144;* Vermeersch *De castitate et vitiis oppositis* (Ed. alt. 1921); Arato *Il celibato* (Torino 1923).

118. Castitati perfectæ accedit ea, quæ dici potest *antematrimonialis*. Ejus officium est abstinere nunc absolute ab usu venereorum, itemque a desiderio iisdem utendi tempore præsenti; permittit vero desiderium iisdem utendi post contractum matrimonium.

Castitas *conjugalis* moderatur appetitum et usum venereorum in statu matrimoniali; ut homo ea tantum appetat iisque utatur juxta rectam rationem: tum, et maxime, quoad finem principalem eorumdem, qui est susceptio et educatio prolis; tum etiam quoad circumstantias modi, temporis, etc.

Castitas *vidualis* habet analogiam ad castitatem antematrimonialem. Jubet ergo abstinere nunc ab illicitis et a licitis, sive quoad usum, sive quoad appetitum: at non prohibet *per se* gaudium de licitis habitis in matrimonio; quod tamen valde est periculosum.

119. Castitati in genere duo peccata opponuntur: per excessum *insensibilitas* seu *stupor;* per defectum *luxuria,* de qua agimus tractantes de sexto præcepto Decalogi.

Ad castitatem servandam opus est uti mediis necessariis. Ex his præcipua sunt: *a*) Casta jam a primis annis educatio, qua et cognitio et amor hujus virtutis menti et cordi puerorum inseratur. — *b*) Fuga occasionum; cujusmodi sunt in primis otiositas, turpes lectiones, pravorum sociorum ac theatrorum frequentia. — *c*) Carnis mortificatio, ac sensuum, præsertim oculorum mortificatio. — *d*) Oratio ac frequens sacramentorum Pœnitentiæ ac SS. Eucharistiæ susceptio 6.

120. *Pudicitia* est « virtus adnexa temperantiæ, quæ moderatur delectiones circumstantes ad copulam, quantum ad actus prævios ejusdem ». Objectum materiale pudicitiæ sunt actus distincti a copula; nempe aspectus, oscula, tactus, amplexus, etc.: objectum ejus formale est honestas *pudoris,* qui in illis actibus esse solet. Si hujusmodi actus considerentur ut libidinosi seu conducentes ad luxuriam, eorum moderatio spectat ad castitatem; si considerentur ut contrarii pudori, spectat ad pudicitiam. Pudicitia habet suam honestatem distinctam ab honestate castitatis: tamen, quia actus illi naturaliter ad delectationem veneream disponunt, ideo pudicitia ordinatur ad castitatem, sicut exprimens castitatis circumstantiam quamdam, qua homo verecundatur circa venereorum signa, sicut sunt aspectus impudici, oscula et tactus 7.

121. Pudicitiæ opponi videtur per excessum nimia meticulositas, qua quis fugiat etiam ab iis, quæ non obstant pudicitiæ. Certe per defectum eidem opponitur *impudicitia*: hoc peccatum, quamvis in se mortale sit, admittit materiæ parvitatem; imo, si actus impudici ex necessitate aut gravi causa fiant, peccato carere possunt, nisi fiant impudenter. Quod si actus impudici considerentur prout ad luxuriam provocant, si luxuria sit

6) De mediis colendi castitatem, TANQUEREY I. Suppl. *De castit. Num. 61-70.*

7) S. THOMAS *Qu. 151, art. 4.*

eorum finis, sunt semper peccata mortalia; si sint effectus, poterunt esse mortalia aut venialia, aut ne venialia quidem, juxta dicta de voluntario in causa.

§ III. — De virtutibus adnexis temperantiae.

122. Partes potentiales vel virtutes adnexæ temperantiæ, recensentur communiter sex: *Continentia, mansuetudo, clementia, humilitas, studiositas, modestia* tum morum, tum cultûs; licet S. Thomas aliquam inter quasdam earum ponat subordinationem.

123. *Continentia* apud veteres et S. Thomam est « firmum animi propositum, quo quis se continet in bono rationis contra motus concupiscentiæ ». Usu tamen communi hodie continentia accipitur pro castitate; vitium ei oppositum, *incontinentia*, pro luxuria.

124. *Mansuetudo* est « virtus, quæ iram moderatur secundum rectam rationem ». Ejus officium est iram reprimere totaliter, ubi non est ratio irascendi, eamque ab excessu retrahere, ubi ratio justa adest irascendi. — Huic virtuti opponitur per excessum *iracundia;* per defectum peccatum, quod nomen proprium non habet; in hoc vero consistit, quod homo in se iram non excitet, quando ea a proprio officio exigitur, puta ad corripiendum delinquentem [8].

125. *Clementia* est « virtus inclinans animum superioris ad imponendas subdito delinquenti pœnas minores, quam jure delictum exigeret ». — Ei per excessum opponitur *crudelitas;* per defectum *nimia lenitas.*

126. *Humilitas* est « virtus, quæ, cohibendo inordinatum propriæ excellentiæ appetitum, inclinat hominem ad propriam vilitatem agnoscendam et amandam, ac signis externis profitendam ». Fundamentum humilitatis est in intellectu, qui suam vilitatem agnoscere debet; quidquid enim homo, sive in naturalibus, sive in supernaturalibus habet, Deo sunt attribuenda, a quo et accepit; quin et ipsa opera bona Deo in primis tribuenda sunt, a quo præter esse et facultates homo habet et divinum gratiæ auxilium: nihil sui habet homo, nisi defectus et peccata. Quapropter judicium intellectus conforme debet esse veritati, ac ille tantum excellentiæ appetitus est ab humilitate cohibendus, qui sit inordinatus. Nihilominus humilitas proprie est in voluntate, quæ ex suæ vilitatis cognitione sibi ipsi vilescit, suamque vilitatem amat, nec laudari cupit, sed potius propter ipsam vilitatem nesciri et pro nihilo reputari. Inde patet humilitatem esse veri nominis virtutem, cum bonum et honestum sit hominem hanc suam vilitatem amare et coram Deo et hominibus profiteri: insuper eam esse inter ceteras virtutes morales præstantissimam; etiam ex eo, quod maximam habet efficaciam ad divina auxilia impetranda et ceteras virtutes morales ac theologicas acquirendas, con-

8) S. Thomas 2. 2. *Qu. 157 art. 2.* Cf. Ball. I. *Tract. IV. Num* 401.

servandas, augendas. Hinc S. Augustinus: « Hoc in te fode fundamentum humilitatis, et pervenies ad fastigium caritatis 9. Hoc sensu humilitas est prima et maxime necessaria omnium virtutum. De ea Christus: « *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* » 10 ac S. Augustinus: « Prima virtus est humilitas: secunda humilitas, tertia humilitas; et quoties interrogares, hoc dicerem » 11.

127. Humilitati per excessum opponitur *nimia sui abjectio*, quæ non habet fundamentum veritatem, aut quæ redundat in injuriam status vel officii proprii, vel in damnum aliorum; in primo casu est peccatum veniale; in altero posset fieri *per se* mortale.

Multo gravius humilitati peccatum opponitur per defectum, *superbia;* quæ est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Hæc inordinatio tres gradus habere potest: primum, quo quis vult excellere super alios æquales; secundum, quo quis æquales aut inferiores despicit; tertium, quo quis despicit ipsos superiores, adeo ut ex hoc depectu legibus ac præceptis eorum subjici recuset: in hoc gradu superbia est peccatum mortale ex toto genere suo.

Insuper superbia est vitium capitale: imo « habet rationem primi peccati, et est principium omnium peccatorum » 13; juxta illud: *Initium omnis peccati est superbia* 14. Ejus filiæ tres ponuntur: *Præsumptio,* quæ est ausus aggrediendi aliquid ultra vires; *ambitio,* quæ est inordinatus appetitus dignitatis et honoris; *vana gloria,* quæ est inordinatus appetitus manifestationis propriæ excellentiæ; hæc autem manifestatio, si fit per verba, est *jactantia;* si per virtutes simulatas, est *hypocrisis;* si per pompam, est *ostentatio.*

128. *Studiositas* est « virtus, quæ juxta normam rectæ rationis moderatur affectum et conatum cognoscendi ». Duplex est ejus officium: ex una parte impellit ad desiderium cognoscendi et ad media in hunc finem necessaria; ex altera parte compescit desiderium inordinatum cognoscendi nimis, et immoderatum usum mediorum ad cognitionem sibi acquirendam.

129. Hinc duplex studiositati opponitur peccatum. Per excessum *curiositas;* quæ est inordinatum desiderium ac studium acquirendi cognitiones, sive per sensus, sive per intellectum; inordinatio vero in hoc est, quod cognitiones appetantur ut finis, dum ordinarie sunt media; quod appetantur cognitiones periculosæ, aut inutiles; quod per conatum cognoscendi aliquis abstrahatur ab operibus magis necessariis; quod aliquis aliorum secreta sine causa investiget, etc. Hoc peccatum leve est *per se*: at evadere potest mortale propter pericula. Eidem virtuti opponitur per

9) S. Augustinus *Sermo 69, Num. 2,* apud Migne *Patr. lat.* XXXVIII. 441. Cf. etiam S. Thomam *Qu. 261, art. 5.*
10) Matth. *XVIII. 3.* — Ratio apud Jacob. *IV. 6;* Eccli. *XXXV. 21.*
11) S. Augustinus *Ad Dioscorum.* — Cf. Thomam *Qu. 162, art. 5 ad 2.*
13) S. Thomas *Qu. 162, art. 7.* — Cf. quæ diximus *Lib. I. Num. 265.*
14) Eccli. *X. 15.*

defectum *negligentia*, qua quis voluntarie non curat ea discere, quæ discere et scire tenetur: hoc peccato laborarent clerici et sacerdotes sacrorum studiorum incurii; item juvenes ad studia universitaria a parentibus destinati, qui dies in otio, ludis aliisve vanis distractionibus insumerent, etc. Etiam hoc peccatum *per se* est leve; sed facile grave esse potest ex periculo violandi alias virtutes.

130. *Modestia* duplex distinguitur: alia morum, alia cultûs [15]. — *Modestia morum* est « virtus, quæ juxta normam rectæ rationis moderatur motus externos corporis »; nempe gestus, incessum, locutionem, vocem, etc. Hi autem motus tunc sunt ordinati, cum indoli et conditioni personæ et circumstantiis temporum, locorum, negotiorum conveniunt. Quare ad hanc virtutem pertinet etiam moderari ludos et jocos; quo in casu speciali nomine a S. Thoma dicitur *eutrapeleia* [16]. — Contra hanc virtutem peccari potest per excessum, et esset *petulantia;* item per defectum, et esset *rusticitas*, seu convenientis decoris externi neglectus.

131. *Modestia cultûs est* « virtus, quæ juxta rectam rationem moderatur externum ornatum corporis »; ita ut hic ornatus in vestibus ac earum nitore, decentia et elegantia in utensilibus domus, in conviviis, etc., congruat personæ juxta sexum, ætatem, locum, tempus et alias circumstantias. Quare, quod hujusmodi ornatus moderate quæretur et procureter, virtus est; contra quam peccari posset, nedum per excessum, et esset *ambitio;* sed etiam per defectum, licet huic peccato difficile sit nomen assignare.

132. *Quærunt*, utrum liceat feminis se ornare ad placendum viris.

Respondet S. Thomas: 1.° « Si hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam, mortaliter peccant; si autem ex quadam levitate, vel etiam ex vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale » [17]. — 2.° « Si mulieres portent ornamenta decentia secundum statum et dignitatem suam,... erit actus virtutis modestiæ, et poterit esse meritorius, si sit cum gratia: similiter, si id faciat mulier ut placeat decenter viro suo, quem habet vel accipere debet, et ut ab aliis mulieribus retrahatur » [18].

15) S. Thomas *Qu. 168, 169;* Lehmk. I. *Num. 227;* Marc *410.*

16) Virtus hæc potest esse et in ludo choreali, si debitæ circumstantiæ observentur: non sit persona indecens, ut clericus; sit tempore lætitiæ, ut in nuptiis; fiat cum honestis personis, cum honesto cantu: gestus non sint nimis lascivi; etc. S. Thomas *In Isaiam Cap. III.* circa finem.
Tanqu. *Num. 719-729.*

17) S. Thomas *Qu. 169, art. 2;* Lessius *Op. cit. Lib. IV. Dubit. 14.*

18) S. Thomas *In Cap. III. Isaiæ.* — Cf. Ballerini ad Gury I. *Num. 32.*

TRACTATUS TERTIUS

DE VIRTUTE JUSTITIAE

133. Generatim nomen *justitia* æqualitatem significat. Si æqualitas universim spectetur inter id, quod faciendum est, et id, quod fit, justitia significat observantiam habitualem totius legis, de qua Christus dixit: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* 1. Ab hoc sensu non valde distat alter, quo justitia significat statum gratiæ, qua justi apud Deum constituimur; hoc sensu S. Augustinus dixit: « Caritas inchoata, inchoata justitia est; caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est » 2.

134. Sensu magis proprio *justitia* est virtus specialis, quæ est ad alterum, et tendit ad ponendam æqualitatem: hæc est notio virtutis illius, de qua nunc tractamus. Ex quo jam patet quanti momenti sit præsens tractatio, et quot quantisque difficultatibus sit obnoxia. Agimus de materia, cujus usus quotidianus est inter homines propter necessitates vitæ individualis et socialis, quæque sæpissime ad tribunal Pœnitentiæ defertur, quandoque sub forma accusationis, sæpe sub forma quæstionis a confessario solvendæ. Ex altera parte, quamquam principia suprema hujus tractatus clarissima sint et certa, eorum deductiones sæpe sunt inter ipsos doctores controversæ, ceterisque non profundis doctoribus obscurissimæ; quin et sæpe complicatissimi sunt casus, quibus non semper patet quænam, et qua ratione, sint applicanda principia.

135. *Justitia* hoc sensu accepta definiri solet ex Ulpiano « perpetua et constans voluntas jus suum cuique tribuendi » 3. Verum recentibus theologis opportunior videtur alia hujus definitionis forma: « virtus moralis inclinans hominis voluntatem ad jus suum alteri tribuendum ad æqualitatem ». Dicitur: *a) virtus moralis,* ut distinguatur, non modo a virtutibus theologicis, sed etiam ab intellectualibus; residet enim in voluntate, eamque perficit, eam inclinando ad tribuendum alteri quod ipsi debetur. — Dicitur *b) ad tribuendum alteri;* cum nemo erga seipsum possit proprie justus esse, vel injustus; quare hæc virtus proprie exigit alteritatem, seu diversitatem inter debentem, et eum cui debet 4. — Dicitur *c) ad tribuendum jus suum;* nempe id, quod alteri debetur; et quidem, non propter debitum morale in debente, sed propter exigen-

1) Matth. *V. 20.* — Cf. et Matth. *I. 19, V. 6, VI. 1;* Luc. *I. 6.*
2) S. Augustinus *De natura et gratia Cap. ult.*
3) Apud S. Thomam *2. 2. Qu. 58, art. 1;* Ball. III. *Tract. VIII. Num. 2.*
4) Hinc inter patrem et filium, inter virum et uxorem, inter dominum et famulum, *qua tales,* non datur justitia proprie dicta. — Cf. Ballerini *Num. 6-10;* Zanin. *1029;* Marc *398;* ex S. Thoma *2. 2. Qu. 57.*

tiam moralem, quæ est in altero. — Dicitur: *d) ad æqualitatem;* hic enim est finis justitiæ, ut ponat, vel conservet, vel reponat æqualitatem.

A recentibus ita dividitur justitia, ut alia sit *particularis* (commutativa), alia *socialis* (legalis, distributiva, vindicativa); alia *internationalis* 5. Distinctio communior data fuit superius.

136. Objectum *materiale* justitiæ est id, quod alteri debetur, ut æqualitas fiat inter ejus exigentiam moralem, et id quod ipsi tribuitur; objectum *formale* est specialis honestas, quæ in ea æqualitate elucet, dum patet inæqualitatem esse quid anormale et inhonestum. Tum id quod alteri debetur, tum ratio propter quam debetur, seu exigentia moralis ex parte alterius, dicuntur voce latina *jus;* illud quidem *passivum* vel *objectivum;* hoc vero *activum* vel *subjectivum*. Utrumque jus est *medium* virtutis justitiæ; at jus illud, quod tribuit specialem huic virtuti honestatem, quodque ipsi dat objectum formale, est *jus activum,* quod proprie *jus est,* et italice « *diritto* » nuncupatur.

137. Ex dictis patet quænam sit naturalis distributio hujus tractatus. Primum agendum est de *ipso jure activo,* quod est norma, juxta quam est procuranda, conservanda, restauranda æqualitas: secundo de læsione hujus juris, seu de *injuria,* per quam æqualitas tollitur: tertio de hujus læsionis reparatione, seu de *restitutione,* per quam sublata æqualitas restauratur 6.

SECTIO PRIMA

DE IPSO JURE

138. Nomen *Jus* multipliciter accipitur. Sæpe ipsam legem significat, quo sensu dicimus: *Jus naturale, Jus divinum, Jus ecclesiasticum* vel *civile,* etc. Quandoque ipsa horum jurium scientia *jus* nuncupatur; aliquando sententia judicis, aut locus in quo sententia profertur. Sensu ad rem nostram magis accedente, *jus* dicitur etiam id, quod est justum, seu quod alicui debetur, sive ex justitia, sive ex religione, ex pietate, etc. Sensu vero maxime proprio *jus* intelligitur facultas aliquid faciendi, habendi, exigendi, etc.; quo sensu est materia propria tractationis præsentis.

139. Difficile datur propria definitio *juris,* cum ejus notio in se simplex sit, et forte clarior quacumque ipsius definitione. Itaque jus activum consistit in quadam prælatione morali, qua quis præ omnibus aliis gaudet in usu alicujus rei; hoc autem propter connexionem specialem, quam res habet cum eo 1: ita hac prælatione, ex. gr., gaudet ille, qui

5) Erudite de hisce TANQUEREY *Num. 10-15;* SABETTI *346.*

6) Agunt S. LIGORIUS *Lib. III. Tract. V.;* BALL. *Tract. VIII;* alii theologi suo loco; VERMEERSCH *Quæstiones de justitia;* POTTIER *De jure et justitia.*

1) Cf. DE LUGO *De justitia Disp. I. 5,* apud BALL. *Num. 21.*

propriis manibus et ex materia propria et propriis instrumentis aliquam statuam vel picturam confecit. Hinc *jus* definiri solet « potestas moralis et inviolabilis ad aliquid faciendum, habendum aut exigendum ». — Dicitur: *a) potestas moralis;* nempe conformis regulæ morum; adeo ut non physice tantum, sed legitime et licite exerceri valeat. — Dicitur *b) inviolabilis;* quam nempe ceteris violare seu impedire non liceat; quare hæc potestas moralis in uno infert aliis obligationem moralem recognoscendi eam potestatem, tum theoretice, tum practice. — Dicitur *c) ad aliquid faciendum, habendum,* aut *exigendum,* ut indicetur triplex hujus potestatis materia possibilis; nempe: bona ipsa personalia, tum corporis, tum animæ; bona externa; aliorum hominum ac alienarum rerum servitutes.

140. Præcipua juris divisio illa est, qua aliud dicitur esse *jus in re,* aliud *jus ad rem.* — *a)* Habetur *jus in re,* cum quis habet cum aliqua re talem connexionem, ut res ipsa sit ei devincta ut sua, ac ipse super rem illam habet actionem realem, seu potestatem eam apprehendendi ubicumque sit. Ad hoc autem requiruntur duæ conditiones: Prima, quod res exsistat ac sit determinata; altera, quod habenti jus ligata sit titulo legitimo, ut ille dicere possit: « hæc res (vel usus hujus rei, etc.) mea est » [2]. — *b)* Habetur *jus ad rem,* cum quis habet potestatem moralem, ut res aliqua fiat sua; quousque sua non est, habet actionem moralem in personam, qua exigere potest ut ea res sibi detur. Ad hoc vero requiritur et sufficit titulus legitimus, vi cujus exigi possit, ut res illa fiat sua. Ita *jus in re* acquiritur vi donationis; *jus ad rem* vi promissionis.

141. Jus ceteris præminens est illud, quod communi usu *dominium* appellatur, ac definiri solet « jus in re, vi cujus potest quis de ea re disponere in quoslibet usus ». Dicitur: *jus in re,* tamquam genus, ut excludantur quælibet jura ad rem. Additur: *vi cujus,* etc., ut indicetur quod dominus, et ipse solus, potest eam rem sibi tenere, eam alienare, destruere, etc.; quin aliquis ei objicere possit jus suum super ipsam violari. — Quidam datæ definitioni addunt clausulam: « *nisi aliunde prohibeatur* »; quibus verbis indicare volunt fieri quandoque posse, ut aliquis usus rei suæ aliqua lege prohibeatur, et proinde fiat illicitus *per accidens,* manente vero dominio: ita minores et pupilli suas res alienare non possunt, id in eorumdem bonum prohibente lege positiva: neque quis posset suam domum incendere cum periculo quod et domus aliena suæ adnexa pereat [4]; obstaret lex naturalis.

142. Hoc est dominium, quod *plenum* vel *perfectum* dicitur; a quo differt dominium *semiplenum* vel *imperfectum.* Hoc iterum duplex: *a)* Si refertur ad solam rei proprietatem, excluso jure super usum et fructus ejusdem, dicitur dominium *directum* vel *proprietatis.* — *b)* Si, exclusa

2) Quinam addunt *traditionem;* at sæpe hæc suppletur a legibus.

3) Potest haberi *jus in re,* sine vero dominio; ita jus habitandi in domo conducta, jus transeundi per agrum alienum, jus hauriendi aquam ex fonte alieno, etc.

4) Casus plures limitationum habentur apud POTTIER *Num. 60-63.*

rei proprietate, refertur ad usum, vel ad fructus rei illius, dicitur *dominium utile;* et proprie *usus* in casu primo, *ususfructus* in altero. Tum usus, tum usufructus dicitur *legalis,* si per leges positivas statuitur ac determinatur; *conventionalis,* si per liberam privatorum voluntatem: ita legalis est usufructus, quem pater habet super bona filiorum, et habitatio viduæ per annum ex hereditate mariti; exempla usus et usufructus conventionalis plana sunt.

Hæc jura utendi aut fruendi dicuntur etiam *servitutes personales,* eo quod tribuunt alicui jus in re aliena, ut hæc ei serviat: dantur et *servitutes reales,* quæ alicui tribuunt jus, ut res aliena, rei suæ serviendo, personæ ipsius serviat mediate. — Habentur et *servitutes personales* sensu passivo; quæ, nempe, alicui jus tribuunt, ut alius sibi sua servitia personalia præstet, sive ad tempus, sive in perpetuum.

A quolibet ex his juribus differt *jus* vel *dominium altum;* quod propriæ dominium non est, sed potestas competens auctoritati publicæ disponendi de bonis subditorum, prout bonum publicum exigat.

CAPUT I.

DE OBJECTO JURIS

143. Juxta dicta superius, triplex est materia, circa quam possibile est homini jus aliquod possidere; nempe: bona ipsa personalia, bona externa, aliorum hominum ac alienarum rerum servitutes. Quærendum modo est, utrum et qua extensione possit homo circa hujusmodi bona jus aliquod habere in concreto [1].

Eo ipso quod jus fundatur in peculiari connexione, quam res habet cum habente jus super eam, ideo, prout magis vel minus necessaria ac intima est hæc connexio, magis vel minus strictum, minus vel magis limitabile, erit jus ipsum. Sub hoc respectu homo jus habet maxime strictum super *bona personalia;* jus habere potest minus strictum et magis limitabile super *bona externa.*

ART. I. — DE JURE CIRCA BONA PERSONALIA

144. Veniunt hoc nomine bona, quæ ipsi homini insunt: anima ejusque facultates, corpus ejusque membra et actiones; item honor et fama.

Principia. 1. Homo circa bona sibi personalia non habet jus proprietatis relate ad Deum, seu absolutum. Ratio est, quia Deus, qui, utpote creator, absolutus et supremus est rerum dominus, dominium directum horum bonorum sibi reservavit, juxta il-

1) Agimus unice de juribus, quæ competere possint hominibus.

lud : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem* [2]. Jus tamen veræ proprietatis quoad hæc bona homo habet relate ad alias creaturas rationales.

II. Homo habet dominium utile facultatum animæ suæ et membrorum sui corporis : hoc enim a Deo habuit, ut utrisque uteretur ad vitam temporalem conservandam et ad æternam consequendam.

III. Homo habet dominium perfectum famæ et honoris proprii.

145. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Homo non potest de sua vita disponere, nec in alium transferre jus disponendi de ipsa ; imo debet ipsam positive conservare ad arbitrium Dei.

2.ª Ad vitam propriam conservandam homo tenetur uti mediis ordinariis necessariis ; poterit etiam, at raro tenebitur, se aliquo membro privare, si id necesse sit ad vitam conservandam.

3.ª Excepto casu conflictus jurium aut cessionis voluntariæ, qui alium hominem occidat aut percutiat, illi veram infert injuriam.

146. *Ex Princ. II.* — 1.ª Homo uti potest, tum facultatibus animæ, tum membris sui corporis in propriam vel alienam utilitatem, quin per ipsum usum *in se* faciat alicui injuriam.

2.ª Opera, quæ homo facit facultatibus, sive animæ, sive corporis, in quantum ab eo facta sunt, sua sunt ; neque ipse ulli facit injuriam, si illa in propriam utilitatem convertat, aut de illis pro suo arbitrio disponat. — Hinc :

3.ª Opera virtuosa facta ab homine sunt in ejus proprietate ; ac propter ea homo dignus est, qui laudem et remunerationem mereatur coram hominibus et Deo.

4.ª Opera, quæ sint fetus ingenii alicujus hominis, ipsius sunt, ipsique fructificant ; ita scripta, inventa, picturæ et alia opera artistica [3].

5.ª Opera manualia sunt in dominio operantis ; qui potest ea alteri tribuere, vel ipsum suarum facultatum exercitium in aliorum utilitatem convertere, sive ad tempus, sive in perpetuum.

147. *Ex Princ. III.* — 1.ª Potest homo suo bono nomine in proprium commodum uti ; potest eidem renuntiare propter bonum superius ; ac, si absque causa renuntiet, *per se* nemini facit injuriam, licet peccare possit contra caritatem aut prudentiam.

2.ª Non potest homo se ipsum infamare, quando hæc infamatio redundaret in damnum familiæ aut communitatis, quando bonum nomen necessarium sit ad præstandum proximo bonum debitum ex caritate, et multo

2) Sap. *XVI, 13.* — Lessius *Lib. II. Cap. 3, 57, sequ.* evolvit hanc rationem, quod homo non potest capax esse dominii, antequam ipsam vitam accipiat.

3) Hæc jura, *per se* indeterminata, sæpe determinanda sunt per leges positivas.

magis si agatur de bono debito ex officio, puta Episcopi, parochi vel confessarii.

3.ª Calumnia et contumelia opponuntur virtuti justitiæ.

ART. II. — De jure circa bona externa

148. Dicuntur *bona externa*, seu etiam *bona fortunæ*, res illæ, quæ extra hominem exsistunt, et ad usum ipsius inservire possunt. Præcipua divisio eorum est in bona *mobilia*, quæ, salva eorum substantia, e loco in locum transferri possunt; et *immobilia*, quæ sine eorum læsione transferri nequeunt, ut sunt agri, domus. Utraque possunt esse *in commercio* et *extra commercium* posita. — Agimus semper de jure relate ad creaturas.

Principia. I. Homo, etiam individualiter spectatus, ex ipso jure naturæ capax est habendi dominium perfectum in bona externa, sive mobilia, sive immobilia. Ratio est, quia homo jus et officium habet servandi vitam propriam; hoc vero importat jus habendi ut propria quædam bona externa. Insuper hoc jus ut legitimum sæpe agnoscit S. Scriptura, tum veteris, tum novi Testamenti. Confirmatur ex doctrina Leonis XIII: « Possidere res privatim, ut suas, jus est homini a natura datum » [4].

II. Ad hoc, ut homo individualiter spectatus de facto dominium habeat bonorum externorum, duæ conditiones requiruntur: *a*) Quod agatur de bonis, quæ possunt esse in dominio personæ privatæ; *b*) quod ipse titulo legitimo ea habeat.

III. Dominium, quod quis habeat in bona externa, exclusivum est; nempe, ita illi proprium, ut ceteros omnes ab identico eorum dominio excludet. Patet ex ipsa notione dominii et juris.

IV. Dominium, etiam perfectum, alicujus hominis in quædam bona externa, non est absolutum et illimitatum; subordinatur enim, tum aliorum hominum necessitati ad vivendum; tum juri quod publicæ auctoritati competit in dominia privata propter bonum commune. Hæc sunt enim jura ordinis superioris, quibus dominium privatum præjudicare nullatenus potest.

149. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Quid sit socialismus?

Resp. Impossibile est *socialismum* definire: generatim dici potest

4) Leo XII in Encycl. *Rerum novarum* 15 maji 1891. — Cf. S. Thomam *2. 2. Qu. 66, art. 2.* Demonstratio apud Tanqu. II. *Num. 74-98;* Verm. *195-210;* Pottier *7-59.*

« complexus systematum, quæ eo tendunt, ut præsentem societatis ordinem subvertant, eique substituant alium ordinem, in quo jus dominii ab ipso statu seu civitate præcipue, si non exclusive, exerceatur ». Ita recens theologus; qui et addit: « Tres sunt socialismi formæ: *a*) *Communismus*, qui vult omnia bona, etiam ad consumptionem destinata (vestes, cibos, potus) communia esse: *b*) *collectivismus*, qui duo bonorum genera distinguit: alia, quæ ad novas res producendas reservantur (v. gr. fundi, instrumenta laboris, etc.) a statu vel civitate retinenda sunt; alia, quæ ad consumptionem destinantur, sub privatorum dominio manent; *c*) *socialismus status*, qui dum privatum dominium quoad multa etiam productionis media retinet, status interventum universalem ac continuum in omnibus negotiis advocat, nimisque privatorum activitatem ac jura restringit ». Et inferius: « Notandum est plerosque communistas ac collectivistas theismo et positivismo favere, et omnem cultum ut superstitionem rejicere, præter cultum humanitatis. Familiæ fundamenta pariter evertunt, liberum amorem ac matrimonia ad nutum dissolubilia advocantes, et puerorum educationem statui exclusive committentes » 5.

150. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Quænam sunt bona, quæ possunt esse in dominio personæ privatæ?

Resp. Omnia, quæ possunt esse materia commercii. Hinc excluduntur, quæ natura sua communia sunt, ut lux solis, mare; item, quæ a commercio excluduntur per jura positiva; ut sunt ecclesiæ, oratoria publica, viæ publicæ, mœnia urbium, et similia ». — De titulis legitimis ad habendum dominium dicemus inferius.

151. *Circa Princ. III — Qu. 1.* Nonne hæc aliorum hominum ab usu quorundam bonorum exclusio obstat fini a Deo intento, qui terram creavit ut omnium ea esset ac omnibus fructificaret?

Resp. Negative; dummodo dominium privatum titulo legitimo sit acquisitum, nec dicatur absolutum et illimitatum. Itaque: Deus terram creavit ut omnium ea esset in communi, eo modo, quo omnium est lux solis, seu quatenus nullo titulo possibili posset aliqua terræ particula in dominium alicujus hominis privati venire, ac ejus expensis ac laboribus exculta eidem exclusive fructificare, *nego;* quatenus quilibet homo posset aliquam ejus particulam suam facere, et ex ea suis sumptibus et laboribus fructus percipere, *concedo.*

Qu. 2. Nonne et Patres Ecclesiæ habent ceu fures et injuriæ reos illos divites, qui sua bona pauperibus non elargiuntur?

Resp. Sensu lato et improprio, *conc.* vel *transeat;* sensu proprio, quasi negent divitibus veram proprietatem suorum bonorum, *nego.* Scilicet, recognoscunt quidem jus privatæ proprietatis; at simul divitibus inculcant, et quidem efficacioribus formis, ut de suis bonis facile tribuant indigentibus, et sic quoad usum res suas considerent ut non suas. Durior præ ceteris locus s. Basilii: « Cur, inquit (dives), injuriam facio, dum

5) Tanquerey *Num. 66-71;* Verm. *173-193.*

retineo mea ? Quæ, dic mihi, tua sunt ?.... Qui, scilicet, quæ dispensanda recepisti, ea tibi propria facias ? Furne vocabitur, qui veste indutum denudavit ; qui vero nudum non induerit, id si agere potest alia quadam appellatione dignus est ? Esurientis est panis, quem tu detines : nudi est pallium, quod tu in arca servas : discalceati calceus, qui apud te putrescit : indigentis argentum, quod defossum habes. Quare quot hominibus dare potes, tot infers injuriam ». Tamen idem s. Basilius eodem loco legitimitatem proprietatis privatæ recognoscit : « Num injustus Deus, qui nobis inæqualiter vitæ necessaria distribuit ? Cur, divite te, ille pauper est ? An non utique, ut et tu benignitatis ac fidelis dispensationis mercedem accipias, et ille magnis patientiæ præmiis donetur ? » 6. — Ergo præcedentes illæ invectivæ benigna interpretatione accipiendæ sunt ; qua cum doctrina heic expressa, quæ doctrina est SS. Patrum et Ecclesiæ communis, componi possint.

152. *Circa Princ. IV.* — *Qu. un.* In quo consistit subordinatio dominii privati præ juribus necessitatis alienæ et publici boni ?

Resp. 1.° Relate ad jura necessitatis alienæ : *a*) Qui est in necessitate extrema, habet jus strictum sumendi sibi ea, quæ necessaria sunt ad vitam conservandam ; et quidem etiam ex illis bonis, quæ sunt in dominio privato alicujus ; neque iste potest id vetare vel impedire. — *b*) Qui non habet bona ex quibus vivat, at potest laborare, jus habet sibi justis mediis quærendi licitum laborem eumque exercendi, ac simul exigendi ne ab aliis in hoc jure exercendo impediatur. Minime vero jus strictum habet, ut proprietarius ipsi laborem præbeat, ut volunt socialistæ : ejusmodi enim obligatio proprietarii ex justitia obstaret juri proprietatis. Quod si ingens operariorum otiantium numerus bonum publicum in discrimen adducat, publicæ auctoritatis erit eisdem modum laborandi providere, forte etiam ipsos proprietarios obligando : tunc hi tenebuntur ex justitia legali, at non ex commutativa. — *c*) Qui laborare non potest, nec in extrema necessitate versatur, nullum quidem habet jus strictum ; tamen divites tenentur ei subvenire ex bonis, quæ sunt sibi non necessaria ; quod si non faciant, peccant contra virtutem caritatis et contra præceptum Christi : *Quod superest, date pauperibus* 7.

2.° Relate ad jura boni publici : *a*) Civilis auctoritas super bona propria subditorum habet *dominium altum ;* vi cujus ab iisdem exigere poest, ut de suis bonis conferant, quæ ob necessitates ripublicæ aut civitatis requiruntur. — *b*) Eadem ad publicam tranquillitatem et securitatem potest bona privatorum attingere indirecte, statuendo conditiones, quæ ad dominium eorumdem bonorum acquirendum, vel conservandum, vel transferendum requirantur ex parte personarum, formalitatum, ipso-

6) S. Basilius *In illud Lucæ « Destruam » Num. 7 ;* qui hæc dixit populos gravissima premente penuria. De doctrina SS. Patrum ac eorum difficilioribus locis agit fuse Tanqu. *Num. 82, 83 ;* fusius Verm. *210.*

7) Leo XIII Encycl. *Rerum novarum ;* item Verm. *Num. 232, seqq. ;* Pottier *25, 28.*

rumque contractuum. Quæ conditiones, dummodo intra limites justitiæ socialis contineantur, vim habent obligandi, vel deobligandi, in ipso foro conscientiæ.

ART. III. — De jure circa servitutes

153. **Principia I.** Nemo potest quovis titulo acquirere dominium proprietatis in personam alterius hominis [8]. Ratio est, quia hoc dominium proprietatis soli Deo competit.

II. Potest homo acquirere et proinde possidere jus in operas alterius hominis, saltem ad tempus; nempe jus, ut hic illi servitia sua præstet tempore determinato: imo nec est intrinsece et per se mala *servitus* proprie dicta, qua quis jus acquirat ad servitia ei ab altero præstanda in perpetuum. Ratio utriusque est, quia, cum homini sit dominium utile suarum facultatum, idem est in alios homines transferibile.

III. A fortiori potest homo habere jus servitutis, tum personalis, tum realis super res alienas; ut hæ sibi, aut immediate, aut mediate, serviant.

154. **Resolutiones.** — *E Princ. I.* — 1.ª Intrinsece mala est, utpote Deo injuriosa, servitus, qua unus homo fiat personæ alterius dominus dominio directo.

2.ª Si civilis aucoritas potestatem habet inferendi homini delinquenti pœnam mortis aut mutilationis, id est ex potestate eidem a Deo ad bonum publicum concessa; non ex dominio proprietatis, quod civili auctoritati competat in personam civis delinquentis.

3.ª Nemo, ne civilis quidem auctoritas, dominium habere potest in facultates aliorum hominum internas: tantum habere potest jus restringendi facultatum exercitium, ne hoc bono publico aut aliis hominibus noceat.

155. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quibus titulis possit homo fieri alterius hominis servus in perpetuum?

Resp. a) Ex contractu, qui libere fiat inter unum et alterum. — *b)* Ex jure belli. Dato enim quod jus belli det victori potestatem occidendi captivos, a fortiori dat ei potestatem adstringendi eosdem ad sibi vel aliis omnes suas operas præstandas in perpetuum: verum utraque potestas a jure hodierno internationali rejicitur. — *c)* Ex delicto, propter quod quis posset ipsa vita privari.

Verum hæc servitus, quocumque titulo in se legitimari possit, tamen humanæ dignitati incongrua est, et gravibus periculis obnoxia.

8) S. Thomas *Qu. 57, art. 3 ad 2;* Lessius *Lib. II. Cap. IV. 13, 17.*

Hinc opportunissime, adnitente in primis Ecclesia, in omnibus regionibus catholicis abrogata fuit. — Ea vero servitus violenta, qua Nigritæ sua libertate injuste privantur et, a suis regionibus in alias per vim transvecti, ad instar pecorum venduntur et emuntur, intrinsece mala est, Deo ipsisque Nigritis gravissime injuriosa, et sæpissime a Romanis Pontificibus damnata 9.

CAPUT II.

DE SUBJECTO JURIS

156. Ad hoc ut quis possit esse subjectum juris, et præsertim dominii, requiritur capacitas perfecta; hæc vero constat conditionibus requisitis ex ipsa rei natura, et conditionibus requisitis per leges positivas. Sane, tum Ecclesia, tum auctoritas civilis, ad bonum commune habent a Deo potestatem apponendi in materia sibi subjecta conditiones ad capacitatem perfectam, quæ juri superiori non obsint.

157. Sola natura intellectualis capax est juris; proinde (in terris) solus homo. Fundamentum enim juris hoc est, quod habeatur, saltem in *actu primo*, potestas moralis disponendi in quoslibet usus; hæc autem potestas non habetur, nisi per intellectum et voluntatem. Insuper, ille tantum potest habere jus, quem possibile est velle suum jus conservare, aliosque obligare ne illud violent; porro hujus volitionis imponendi hujusmodi obligationem non potest esse capax natura irrationalis.

Tamen ad hanc capacitatem habendi jus non requiritur usus rationis. Sane ab ipsa natura, et absque ullo actu voluntatis, procedit quod jus transferatur in subjectum præditum intellectu et voluntate; actus voluntatis requiritur ad usum juris, non ad ejus acquisitionem. Ita, si ovis mea, quam ignoro esse prægnantem, hac nocte agniculum fuderit, agniculus meus est. Inde sequitur quod, tum dominii, tum cujuscumque juris, capaces sunt infantes et amentes.

158. Relate ad capacitatem ex legibus positivis provenientem, agendum nobis est de singulis subjectis, pro quibus normæ speciales habentur: nominatim agendum de filiisfamilias, de uxoribus, de clericis, de auctoribus; demum de personis moralibus.

Hic, et in sequentibus, supponimus ea, quæ alibi demostravimus; nempe ipsas leges civiles regni Italici, quæ spectant ad determinationem proprietatum, habere quoad Italos valorem in ipso foro conscientiæ; dummodo non obsint juri superiori, nempe naturali, divino, aut ecclesiastico. Dispositiones vero juris Italici dabimus per summa capita tantum, relinquentes juristis minora et exceptiones.

9) Leo XIII, Encycl. *In plurimis* 3, maji 1888. — Cf. Marc *Num. 854.*

ART. I. — De dominio filiorum familias

159. Ex *Jure Romano*, tres distinguuntur bonorum classes quoad filios: Sunt bona *castrensia* vel *quasi-castrensia*, quæ filius *acquirit aliunde*, quam ex bonis paternis; *adventitia*, quæ filio *obveniunt aliunde*, quam intuitu aut occasione patris; *profectitia*, quæ filius acquirit *ex bonis paternis*, vel quæ filio obveniunt *intuitu* vel *occasione patris*. — De quibus bonis hæc *Jus Romanum* statuebat:

Bona *castrensia* et *quasi-castrensia* pertinent ad filium, tum quoad proprietatem, tum quoad usumfructum; at eorum administratio pertinet ad patrem, saltem quousque filius pubertatem attingat. *Adventitia* spectant ad filium quoad proprietatem, ad patrem quoad usumfructum, nonnullis casibus exceptis. *Profectitia* sunt in pleno dominio patris. — Verum hæc modo historica sunt.

160. Ad dignoscendum quid in *Jure Italico* de bonis filiorum decernatur præmittenda est notio filii. — *Filius* est ille, qui ex legitimo matrimonio natus (vel legitimatus), paternæ adhuc subjacet potestati. Hinc: *a*) Ut quis sit filius in sensu legis, requiritur quod natus sit ex matrimonio legitimo. Certe legitimum est Matrimonium, quod contractum fuerit coram Ecclesia et coram auctoritate civili: at in sensu legis, si defuit conditio prima, adhuc matrimonium legitimum habetur; e contra, legitimum non habetur, quod caruerit altera 1. — *b*) Requiritur quod ille subjaceat patriæ potestati. Hanc potestatem, durante matrimonio, habet pater, et, eo impedito, mater; soluto matrimonio, eam habet conjux superstes; in defectu utriusque, datur locus tutelæ 2. — *c*) Huic potestati filius subjacet quousque minor est, h. e., usque ad completum annum ætatis vigesimumprimum. At emancipari potest antecedenter: et quidem emancipatur ipso jure per matrimonium; emancipari potest per actum patris ipsum emancipantis, at non ante expletum annum decimumoctavum.

161. **Principia 1.** Filius habet dominium perfectum eorum bonorum: *a*) quæ ei relicta aut donata fuerunt sub conditione quod ei cedat etiam usufructus, exceptis iis, quæ ipsi reserventur titulo legitimæ; *b*) quæ ei relicta vel donata fuerunt ad capessendum munus, artem, vel professionem; *c*) quæ ei provenerunt ex hereditate, legato vel donatione in ejus utilitatem accepta contra consensum patris: *d*) quæ ipse acquisivit occasione aut exercitio militiæ, officii, muneris, artis aut suo labore suaque industria separata.

1) Lex est evidenter iniqua, neque ullum habet valorem in conscientia; quid sit in hisce casibus agendum, Gennari *Cons. mor. XXIII, CX.*

2) C. c. *art. 220, 241.* — De patria potestate plura Zanin. *Num. 1062, seqq.*

II. Filius habet dominium directum bonorum, quæ ipsi obveniant ex successione, donatione aut quolibet alio titulo lucrativo. Usumfructum eorumdem bonorum habet pater, iis exceptis, quæ principio præcedenti recensentur; idem vero tenetur implere onera illi usuifructui inhærentia.

III. Pater habet administrationem omnium bonorum filii minoris non emancipati [3].

162. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Quale dominium habeant filii super pecuniam, vel alia bona mobilia quæ ipsis dentur a parentibus vel a cognatis?

Resp. Res pendet ab intentione expressa vel rationabiliter præsumpta personæ dantis. Si qui dant sunt consanguinei, aut affines, vel patrini spirituales, intendunt ea bona donare; ergo filius acquirit eorum bonorum dominium perfectum. Si sunt parentes, et dant res primo usu consumptibiles, ut sunt vestes, libri, etc.; aut etiam, si dent pecuniam, ejusdem usum determinantes, puta ad emendos libros, ad solvendas pensiones vel taxas scholasticas, etc.; si hæc bona in alios usus adhibeant, peccant contra justitiam, et ad restitutionem tenentur, nisi condonationem a patre fieri jure præsumant. Hæc autem condonatio facilius præsumi potest *post factum*, præsertim si res confessario post longum tempus proponatur.

Qu. 2. Quid de lucris, quæ filius faciat laborando in opificio, vel utcumque extra domum paternam?

Resp. Cum administratio horum bonorum spectet ad patrem, filius, per se loquendo, debet omnia ea lucra patri indicare ac tradere. At quoad proprietatem, ea lucra sunt filii; qui tamen ex eis debet patri concedere, non solum quantum respondet victui, vestitui, aliisque emolumentis, quæ ipse habet a patre, sed aliquid etiam titulo educationis jampridem habitæ; insuper, si parentes indigeant, debet ex pietate eisdem subvenire. Quapropter confessarius, ab hujusmodi filiis interrogatus, inculcare debet, ut omnia lucra patri indicent ac tradant; ad patrem vero spectabit partem eorum lucrorum in bonum familiæ devolvere, partem ipsis filiis permittere [4]. Quod si filius certo sciat patrem bona ei data dissipaturum esse, ac sibi parum vel nihil daturum, poterit aliquam partem celare ac sibi retinere: at cavendum a facili periculo hallucinationis.

Idem dicendum de filio, qui ex bonis paternis sibi a patre permissis vel clam sibi sublatis negotietur nomine suo, suscipiens in se periculum et restituens accepta vel ablata a patre: lucra hujus negotiationis spectant ad filium; sunt enim adventitia; tamen ex jure positivo subsunt administrationi patris.

3) C. c. *art. 224-229.* — Cf. D'Annibale I. *Num. 54, 48.*
4) Genicot *Num. 471,* et *Casus 269, 129;* Lehmk. *Num. 889.*

Qu. 3. Utrum filius quandoque possit sibi retinere lucra, quæ acquirit laborando in domo paterna ?

Resp. Si laborat industria separata, ex. gr., oris subcæsivis, aut quando ex conditione familiæ laborare non tenetur, tunc ea lucra sua facit, eadem ratione, ac filius laborans extra domum paternam. Si laborat in officina patris, vel in negotio patris negotiatur, etc., quæstio difficilior est et controversa : generatim negandum est, si laboret labore, qui pro ejus ætate, sexu et valetudine sit ordinarius, etsi laborem aliorum fratrum et sororum non parum excedat ; at, si laboret labore extraordinario et laborem fratrum et sororum notabiliter excedente, ac proinde sibi non obligatorio, generatim theologi recentes volunt ei esse aliquantisper indulgendum, ne filius sit in conditione minus favorabili, quam famulus aut operarius conductus. Simul tamen conveniunt non esse in hac re facile credendum filio pro se loquenti ; cum nimis facile sit ipsum sibi nimis favere 5.

Practice : « Quoniam rationes graves sunt, cur filio non ita indulgeatur ; ex altera parte plures ac graves rationes sunt, quæ frequenter filium excusent a gravi justitiæ læsione ; *ante factum* generatim potius in severiorem, *post factum* in mitiorem partem inclinandum est, explorando causam, quæ a restitutione filium excuset » 6. — Casus communiter proponuntur occasione dividendi axem hereditarium ; cum filius vel filia, quærit utrum sibi possit aliqua bona clam subducere (*ante factum*), aut confitetur se ea jam subduxisse (*post factum*), et quærit num ea debeat in massam dividendam restituere.

ART. II. — De dominio uxorum

163. Tum in Jure romano, tum in italico, bona uxorum 7 in tres classes distinguuntur : Sunt bona *dotalia* ea, quæ uxor, aut alius pro ea, affert expresse marito ad sustinenda onera matrimonii. Sunt bona *paraphernalia* vel *extradotalia* omnia bona uxoris, quæ non fuerint in dotem constituta. Sunt bona *communia*, tum quæ communi utriusque conjugis labore acquiruntur, tum quæ conjugibus in societatem conferuntur, ex fructibus bonorum mobilium aut immobilium, sive præsentium, sive futurorum.

164. **Principia. 1.** Bonorum dotalium uxor habet dominium directum, maritus usumfructum et administrationem. Si dos

5) Cf. S. Ligorium *Num. 488, 544;* D'Ann *575;* Genn. *Cons. mor. XVIII;* Noldin *374.*

6) Lehmkuhl *Num. 890.* — Cf. Noldin *375;* Gen. *471* et *Casus 424, 428.*

7) Uxor est femina, quæ viro conjuncta sit matrimonio legitimo, h. e., coram Ecclesia contracto : quare ipsi debentur ea, quæ in contractu matrimoniali expresse aut tacite conventa fuerint ; imo et plura, quæ uxori tribuuntur jure positivo civili.

in pecunia consistat, vel æstimata sit in bonis mobilibus, maritus acquirit eorum dominium, sed tenetur de valore consignato.

II. Bonorum paraphernalium uxor retinet tum dominium directum, tum administrationem, tum usumfructum : tamen jure statui potest ne contractus graviores super iisdem inire valeat absque auctorizatione mariti.

III. Administratio bonorum communium spectat ad maritum, certis tamen conditionibus subjecta ; eorum fructus sunt communes et divisibiles.

165. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si maritus male administret bona dotalia, multo magis si extradotalia, peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem.

2.ª Uxor ex fructibus bonorum communium et dotalium jus habet ad sustentationem convenientem : hinc non peccat contra justitiam, si, marito reluctante aut mussitante, sibi usque ad hunc limitem clam provideat.

3.ª Neque peccat, si ex iisdem fructibus eleemosynas conditioni familiæ convenientes distribuat, piis associationibus annuas contributiones persolvat, etc.

4.ª Si uxor dotem non attulerit, censetur maritus juri proprio cessisse : hinc jus adhuc manet uxori ad convenientem sustentationem ex bonis aut ex labore mariti.

5.ª Si maritus moriatur, hæc bona non transeunt ad filios, sed redeunt ad uxorem : si uxor moriatur intestata, ea bona sunt filiorum, et, in eorum defectu, parentum.

166. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccat contra justitiam maritus, qui aut clam, aut per vim, metum vel fraudem aliquid extorqueat ab uxore de bonis paraphernalibus.

2.ª Uxor potest sibi retinere lucra, quæ ipsa faciat acu pingendo, scientiam vel artem grammaticam docendo, etc. ; dummodo suis erga maritum et filios officiis non desit : hæc enim bona fiunt paraphernalia ; quorum tamen administratio pertinet ordinarie ad maritum.

3.ª Lucrorum ex laboribus proprie femineis, ut essent pullos gallinaceos educare et similia, uxor habet et dominium et administrationem : ita ex consuetudine.

167. *Ex Princ. III.* — 1.ª Quæ uxor lucretur adjuvando maritum in negotio vel opificio, non sibi lucratur, sed communioni ; omnia ergo tradere debet marito, qui est bonorum communium adminostrator.

2.ª Generatim uxor non debet ex bonis communibus expendere quidquam absque licentia expressa, aut tacita vel rationabiliter præsumpta mariti. Verum potest ex iisdem expendere, quæ ad bonum familiæ procurandum, vel ad ejus damnum præcavendum, necessaria sunt, si in his negligensit aut incapax maritus.

3.ª Si uxor teneatur ex pietate parentibus, aut filiis ex alio matrimonio, (fortasse etiam fratribus et sororibus) subvenire, ac sibi desint bona paraphernalia, licite id facere potest ex fructibus bonorum communium et dotalium, imo et ex bonis mariti 8; dummodo summa ad id necessaria non valde excedat limites eleemosynarum communium: si ea summa intra hos limites contineatur, non tenetur uti paraphernalibus, etsi habeat; tenetur ab aliis eleemosynis abstinere.

4.ª Uxor jus habet vivendi ex bonis mariti, etiam post mortem ejusdem. Quare, si prole careat, et maritum brevi moriturum prævideat ejusque substantiam fere totam ad ejus consangineos esse devolvendam, non videtur peccare contra justitiam, aliquid sibi seponens in futurum: at valde cavendum a periculo hallucinationis.

5.ª Maritus, qui male administret bona communia, certe peccat contra pietatem debitam uxori et filiis: juxta plures, peccat etiam contra justitiam erga uxorem, cui damnum infert in bonis ipsius. In eo casu uxor poterit petere suorum bonorum separationem: at, si hanc petitionem sibi difficiliorem esse videat, ideoque sibi et filiis aliqua ratione prospiciat, durum est eamdem obligare ad restitutionem. Idem dicatur, si maritus uxori non det ea, quæ sibi et filiis necessaria sunt pro victu, medicinis, vestibus, etc. 9.

ART. III. — De dominio clericorum

168. Ex bonis clericorum sunt: *a) Patrimonialia,* quæ clericus habet ut civis; ex. gr. ex hereditate, donatione, munere docendi etc. — *b) Quasi-patrimonialia,* dicta etiam *casualia* vel *incerta stolæ,* sunt quæ habet ex exercitio munerum clericalium; ut sunt distributiones chorales, stipendium Missæ, honorarium concionis, emolumentum funeris, etc. — *Ecclesiastica* sunt, quæ ipsi proveniunt ex reditibus beneficii. — *Parcimonialia,* sunt ea, quæ ipse ex reditibus ecclesiasticis seponit, parcius vivendo, quam súa conditio honesta requireret.

169. **Principia. I.** Clericus habet dominium perfectum, non modo bonorum patrimonialium, sed etiam quasi-patrimonialium seu casualium. Ratio est, quia hæc ipse accipit ut stipendium vel oblationem a fidelibus, qui spiritualia a clerico recipientes, intendunt ei retribuere temporalia.

II. Clericus beneficiatus acquirit dominium perfectum eorum redituum beneficii, qui necessarii sunt ad honestam sui sustentationem; ac proinde eorum etiam redituum, quos ipse seponat vivendo

8) Cf. S. Ligorium *Homo apost. Tract. X. Num. 33;* Lehmk. *896;* Sabetti *359.*

9) S. Ligorium *Num. 441;* Gury *556;* ibique Ball. *Nota 11.*

parcius, quam honesta sustentatio requireret [10]. Ratio est, quia Ecclesia ad hunc finem beneficia instituit, ut clericus ex eorum reditibus vivat honeste et convenienter.

111. Clericus beneficiarius tenetur ex lege Ecclesiæ impendere pro pauperibus aut piis causis fructus beneficiales, qui ad ejus honestam sustentationem superflui sunt [11].

170. **Quaestiones.** — *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quænam dicendæ sint causæ piæ ?

Resp. In sensu quæstionis præsentis sunt omnes illæ institutiones, quæ aut natura sua, aut fidelium intentione, directe aut indirecte inserviunt fini supernaturali, atque ab ecclesiastica auctoritate dependent. Hinc ejusmodi sunt eleemosynæ, quæ pro amore Dei erogentur in pauperes, obolus S. Petri, oblationes pro fidei propagatione aut pro monialibus indigentibus vel pro educatione clericorum; item subsidia operibus, quæ *catholica* dicuntur, ut sunt scholæ catholicæ, diffusio ephemeridum religiosarum, defensio rei catholicæ contra massones et socialistas, etc. E contra non sunt causæ piæ asyla, hospitalia aliaque opera publica; quæ, cum subsint arbitrio status aut municipii aut cujuscumque cœtus, a quocumque finis supernaturalis influxu aliena habentur saltem negative, ac motivo et spiritu mere philanthropico, aut instituta fuerunt, aut hodie reguntur.

Beneficiatus non tenetur statim bona superflua erogare; sed ea reservare potest pro pia fundatione in posterum erigenda aut fovenda. Cavendum tamen est a periculo quod ea bona, a clerico usque ad mortem reservata, dein in usus profanos et ejus intentionibus adversos convertantur. Quare, si hanc obligationem ad mortem usque distulerit, curet de his bonis in causas pias disponere per testamentum [12].

Qu. 2. Utrum clerici beneficiati teneantur reditus beneficii superfluos in opera pia erogare ex justitia, ac si sua non sint ?

Resp. Certe eos erogare tenentur, et quidem *per se* sub gravi, saltem ex religione et ex obedientia, quam debent Ecclesiæ. Quod vero teneantur ex justitia, hoc tenuerunt plures canonistæ, innixi canonibus, qui bona ecclesiastica appellant *patrimonium Christi, patrimonium pauperum*. Verum theologi plures, præsertim recentes, hoc negant [13]; eo præsertim argumento quod Concilium Tridentinum clericis non residentibus imponit, ut pœnam, quod non faciant fructus suos: ergo omnes

10) Hinc eis libere frui potest, etsi bona non beneficialia habeat. CODEX *Can. 1473.*

11) CODEX *Can. 1473.* — Cf. BENED. XIV *De synodo dioec. Lb. VII. Cap. II. i2.*

12) Cf. GENN. *Cons. mor. CXXV;* NOLDIN II. *785.*

13) In hanc sententiam inclinare videtur S. THOMAS *Quodl. VI. art. 12.* et *2. 2. Qu. 184, art. 7.* — Nec rem dirimit Jus novissimum.

fructus clericorum residentium sunt in proprietate eorum, cum obligatione imposita ab Ecclesia erogandi illos in opera pia. Hæc sententia certe probabilis est 14. Hinc: *a*) Clericus beneficiatus, qui, habens reditus superfluos, hos, et quidem omnes, in pia opera non eroget, peccat graviter in materia gravi, leviter in materia levi. — *b*) Clericus, qui hos reditus superfluos jam dissipaverit aut suis consanguineis donaverit, peccavit quidem, at ad restitutionem non tenetur: obligatio enim restituendi est mere probabilis. Ceterum dare poterat et consanguineis, si pauperes erant. — *c*) Illis, qui hæc bona a clerico beneficiato, sive donatione, sive hereditate acceperint, consulendum quidem est, ut ea Ecclesiæ restituant, etiam ea ratione quod familiis prosperitatem afferre non solent: præceptum vero imponi non potest, nec renuentibus potest negari absolutio. Ratio est, quia obligatio erogandi in opera pia erat clerico personalis, at probabiliter non realis.

Qu. 3. Quinam sint reditus clerico non superflui?

Resp. Qui requiruntur, ut ipse decenter et honeste vivere possit, secundum suam dignitatem; puta Episcopi, aut canonici, aut parochi. Ad hanc decentiam pertinet quod domum habeat convenientem et satis ornatam, quod quandoque convivia amicorum teneat, quod recreationis aut devotionis gratia aliquando Romam vel alio peregrinetur, etc. Neque ad hæc tenetur uti bonis suis patrimonialibus aut casualibus; jus enim habet vivendi decenter ex fructibus beneficii.

Qu. 4. Quænam sit materia gravis in hoc præcepto?

Resp. Clerici beneficiati tenentur omnes fructus superfluos in pia opera erogare; non partem, ut communiter divites. Materia autem gravis censetur vigesima fructuum superfluorum, dummodo hæc multum excedat materiam absolute gravem in furto 15. Patet haud esse hodie frequentem casum, quo certe constet clericum ex hoc capite peccare mortaliter.

ART. IV. — De dominio auctorum

171. *Auctores* hic intelliguntur, non modo qui opera litteraria aut scientifica ediderint, sed et omnes qui quacumque ratione et in quacumque materia aliquid invenerint aut excogitaverint, quod in aliorum hominum utilitatem cedere potest. Æquum enim est, ut hujusmodi fructus ingenii primum et potissimum in utilitatem cedant ipsius auctoris; cui proinde ipsæ legislationes publicæ consulunt, sive attribuendo jus litterarium, sive quoad confectionem et venditionem privilegia (*brevetto, privativa, etc.*). — Principia damus de scriptoribus.

172. **Principia. 1.** Unusquisque auctor jus habet in fru-

14) Cf. S. Ligorium *Retract. Qu. X.*; Gury *Num. 560;* Ball. *80-83;* Noldin II. *481-783;* Tanqu. II. *174-177;* D'Ann. III. *86;* Gennari *Cons. mor. LXXXVI.*

15) S. Ligorius *Num. 491. IV.* — Cf. Ball. ad Gury *560, 14;* Gen. *476.*

ctus sui ingenii, juxta illud : « Res fructificat domino ». Ita ex jure naturali, cui jus positivum cohæret.

II. Quilibet auctor, saltem per aliquod tempus, habet jus exclusivum edendi, repræsentandi ac vendendi opera, quæ sunt fructus ingenii sui : item permittendi aut vetandi versionem suorum operum in alias linguas ; hoc tempus vero legibus positivis determinatur, ut sit per annos decem ab eorumdem operum editione [16].

III. Jus litterarium initium habet a prima operis editione, ac perseverat usque ad mortem auctoris ; deinceps transit ad heredes, vel utcumque jus habentes, per annos quadraginta.

173. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si quis secretum alicujus medicinæ, liquoris, vel artis, etc., ab alio inventum clam surripiat et evulget, aut in suum lucrum convertat, peccat contra justitiam, ac tenetur de injuria personali et de damnis.

2.ª Item contra justitiam peccat, saltem ex jure determinante jus naturale, qui prælectiones a professore ore traditas aut per folia autographica solis discipulis communicatas, typis edat et evulget ; non peccat, qui eas in usum privatum describat.

3.ª Peccat contra legem naturalem, qui alienum manuscriptum, ut suum opus, vel etiam ut anonymum, edat ; item, et qui sub nomine auctoris edat, ipso inscio vel invito.

174. *Ex Princ. II.* — 1.ª Quando opus aliquod editum fuerit, auctor jus habet ne quis illud licet nonnihil mutatum aut in aliam linguam translatum, iterum edat ; quod jus vim habet etiam in foro conscientiæ, aut ex ipso jure naturali, aut saltem ex jure positivo [17]. Idem valet etiam de editione in alio regno facienda.

2.ª Non est illicitum in proprium commodum uti doctrinis in libro edito contentis, aut eas in usum privatum transcribere, sive pro se, sive pro alio,

ART. V. — De dominio personarum moralium

175. *Persona* moralis dicitur aggregatio plurium personarum, quæ unum corpus morale constituit præditum jure perpetuo existendi ac tendendi in propositum sibi finem [18].

Pro diverso fine, personæ morales, aliæ sunt *civiles*, ut status, mu-

16) Juxta conventionem inetrnationalem die 9 sept. a. 1886, hæc jura scriptorum italicorum sarta tecta servantur in fere omnibus regionibus Europæ.

17) Negat ad hunc casum extendi jus naturale Vermeersch *Num. 246, seqq.* : affirmat D'Ann. II. *Num. 272.* — Cf. Ball. III. *Tract. VIII. 115.*

18) Quamvis proprie aliud sit *persona moralis*, aliud *ens morale*, pro re nostra sunt unum et idem.

nicipium, etc.; aliæ sunt *ecclesiasticæ*, ut Ecclesia universalis, Apostolica Sedes, diœceses, paroeciæ, monasteria, seminaria, etc. Omissis personis civilibus, quibus nemo negat jus possidendi, breviter nobis agendum da personis ecclesiasticis, ac de ipsa Ecclesia universali; cui primum Arnaldus, brixiensis, waldenses aliique hæretici medii ævi, nunc statolatræ ac politici hoc jus negant, præsertim quoad bona immobilia; aut, si quando permittunt, obnoxium illud esse volunt placitis auctoritatis civilis.

176. **Principia. I.** « Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum jus habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia (etiam immobilia) ad fines sibi proprios consequendos.

II. Etiam Ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus, quæ ab ecclesiastica auctoritate in juridicam personam erectæ sint, jus est, ad normam sacrorum Canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi » [19].

III. Dominium bonorum ad eam pertinet moralem personam, quæ eadem bona legitime acquisiverit: hoc autem sub suprema auctoritate Sedis Apostolicæ [20], quæ dominium illud potest alienare, vel de una in aliam personam transferre, vel super iisdem bonis transigere, etc., prout ad publicum bonum expedire censeat.

177. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I, II.* — 1.ª Leges, quæ dicuntur *suppressionis, amortizationis, conversionis*, etc., prout ad entia ecclesiastica referuntur, nisi consensus accedat Sedis Apostolicæ, injustæ sunt ac per se nullæ [21]; neque cives iisdem in favorem proprium uti possunt.

2.ª Dispositiones testamentariæ in favorem entium ecclesiasticorum, quorum exsistentiam civilis auctoritas negat, validæ sunt in conscientia; sive factæ sint per interpositam personam, sive expresse sub nomine alicujus entis ecclesiastici civiliter suppressi aut non erecti.

3.ª Peccant contra justitiam consanguinei testatoris, qui, legibus civilibus freti, impugnent validitatem testamenti conditi in favorem entis ecclesiastici civiliter non exsistentis; item heredes, qui similia legata solvere recusant, quousque juridica eorum petitio fiat; item, qui eadem entia ad transactionem cogant.

4.ª Peccant contra justitiam, qui bona istorum entium a gubernio

19) Codex *Can. 1495 § 1, 2.* — Respondet damnatio *Prop. 26* in Syllabo Pii IX, de qua Stazzuglia *Vindiciæ Syllabi Pii IX.* pag. 298-308.

20) Codex *Can. 1449 § 2, 1518.* — De Canonistarum quæstionibus confer Marc *Num. 875;* Tanqu. *202, seqq.*

21) Ita et iniqui sunt Codicis civ. *art.* 433, 434.

usurpata quocumque titulo, sive emptionis, sive permutationis, sive hereditatis accipiant; qui neque possunt absolvi, quousque aut ea bona suis legitimis dominis restituerint, aut rem cum ecclesiastica auctoritate composuerint juxta facultates ex benignitate Sedis Apostolicæ concessas.

5.ª Contra justitiam peccat parochus, qui bona immobilia sui beneficii deteriora faciat aut fieri sinat; puta, servitutem agris vel domibus imponendo, arbores ultra jus cædendo, etc.

6.ª Contra jus naturale et positivum idem peccat, si absque debita licentia ea bona ex toto vel ex parte alienet citra normas Juris novissimi [22]: item, si alienet supellectiles suæ ecclesiæ: pretiosa ex antiquitate paramenta, calices, lampades, picturas, etc.

7.ª Multo magis contra utrumque jus peccat, si absque licentia Sedis Apostolicæ vendat, vel commutet, vel utcumque alienet donaria votiva alicui altari vel imagini vel reliquiæ oblata; etsi emolumentum in bonum suæ ecclesiæ impendat [23].

8.ª Quæ dicuntur de parocho, applicanda sunt rectori ecclesiæ, et omnibus quibus commissa sit administratio vel custodia bonorum monasterii, seminarii aut cujuscumque operis ab auctoritate ecclesiastica immediate dependentis.

CAPUT III.

DE ACQUISITIONE DOMINII

178. Quinque communiter recensentur modi, seu tituli, acquirendi dominium. Primus (originarius) *occupatio;* ceteri (derivati) *inventio, accessio, præscriptio, contractus.* Quidam quatuor tantum ponunt, reducentes inventionem ad occupationem. — De modo postremo agemus in tractatu sequenti.

ART. I. — De occupatione

179. *Occupatio* in genere est « apprehensio rei cum animo faciendi eam suam ». Apprehensio fieri potest, aut per se, aut per alium, aut per instrumentum; qua apprehensione tunc dicitur res occupari, cum hæc apprehenditur. ut sua fiat; minime vero, si ad eam rem videndam, ad eam domino tradendam, aut ad eam iter impedientem removendam. Dicitur: *animo faciendi eam suam;* quo in casu proprietas ejusdem intenditur; at intendi quoque potest solus usus, ut cum quis scamno insidet in ecclesia. — Quæ dicimus de occupatione, prout ad dominium vel proprietatem refertur, valent etiam de occupatione, quæ ordinetur ad usum.

22) Codex *Can. 1532, 2317.*
23) S. Congr. Conc. 12 jul. a. 1919, 14 jan. a. 1922.

Res, quarum dominium acquiri posset per occupationem, sunt potissimum: *a*) *Animalia fera*, seu quæ sua utuntur libertate, sive nativa, sive definitive recuperata; *b*) *bona derelicta*, quæ nempe dominus a se abjecerit animo non habendi ea ut sua; *c*) demum sunt *bona vacantia*, nempe, quorum dominus obierit, nec reliquerit heredes, sive legitimos, sive testamentarios. His addi possunt coralla, margaritæ, lapilli aurei in alvo fluminis, etc.

180. **Principia. I.** Occupatio alicujus rei tribuit verum illius dominium primo occupanti, si tres hæ conditiones exsistant: *a*) Res illa nullius sit; *b*) adsit vera et realis ejusdem apprehensio, cum intentione faciendi eam suam; *c*) res illa sit capax dominii privati, nec ejus dominium lege humana cuipiam alteri addicatur.

II. Animalia fera fiunt primi occupantis, etiam si ab aliquo occupata suam libertatem recuperaverint, adeo ut isti admodum difficile sit ea rursus occupare. Quæ vero hominis industria suam feritatem plus minus exuerunt et facta sunt alicujus, si forte custodiam evaserint ac redeundi habitudinem amiserint, ex jure positivo determinante jus naturale fiunt primi occupantis, si dominus intra virginti dies ea non reclamaverit.

III. Bona derelicta, si mobilia sunt, fiunt primi occupantis; si immobilia, sunt fisci. Bona vacantia omnia addicuntur fisco.

181. **Explicatio.** *Principii I.* — *a*) Si res apprehensa jam sit in dominio alicujus, illius apprehensio *per se* erit aut furtum vel rapina, aut usurpatio. Hinc remanent legitime occupabiles illæ tantum, quæ non habent dominum, etsi forte olim habuerint. — *b*) Ad habendum alicujus rei dominium requiritur, tum potestas physica (saltem in *actu primo*), tum potestas moralis disponendi de illa in quoslibet usus. Prior acquiritur per apprehensionem, altera per intentionem, dummodo ipsa apprehensio nemini sit injuriosa; nec ulli est injuriosa, quando nemo in illa jus habet. — *c*) Res, quæ non sunt capaces dominii privati seu commercii, nullo titulo acquiri possunt; ejusmodi sunt ecclesiæ, viæ publicæ, etc. At quoad ipsas res, quæ sint dominii privati capaces, quandoque lex publica vi justitiæ socialis vel alti dominii potest earum dominium alicui addicere; ita fisco applicat dominium bonorum vacantium, domino fundi medietatem thesauri in eo inventi, etc.

Si tres conditiones verificentur, occupans acquirit rei occupatæ dominium. Sane: ipse capax est habendi dominium; res occupata capax est habendi dominum; occupatio dat occupanti potestatem, tum moralem (titulum), tum physicam, de ea re disponendi; ipse actus occupandi nullam alicui infert injuriam. Ergo hic titulus acquirendi dominii legitimus est, juxta axioma: « Res nullius fit primi occupantis ». Imo valde

verisimile est hoc modo factam fuisse primævam bonorum etiam immobilium divisionem.

182. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis venetur sine licentia, aut tempore vel loco per leges prohibito, feras captas suas facit, nec alteri licet eas laqueis vel retibus eximere ad faciendas suas.

2.ª Si quis industria sua, at laqueo Titii, vel in prædio Caji expresse et rationaliter inviti, feram capiat, hanc suam facit; verum erga utrumque tenetur de injuria, ac uterque posset feram dimittere ac proinde dimissam vel dimittendam occupare.

3.ª Si cui publica auctoritate jus exclusivum datum est venandi in aliqua silva, vel piscandi in aliquo flumine, non inde ei applicatum est dominium earum ferarum aut piscium. Hinc, qui in ea silva venatur, vel in eo flumine piscatur, prædam suam facit; quia illa animalia nullius sunt. At, si domino vel detentori fundi damnum injuste illatum fuerit, hoc est compensandum: nec venator jus habet ingrediendi agrum alienum.

4.ª Si quis venetur in fundo alterius omnino clauso, e quo feræ semel ingressæ non possunt exire, ac ideo facile capi possunt, feras non facit suas; vi enim clausuræ occupata fuerunt a domino fundi. At aves manent nullius.

5.ª Qui feram vulneraverit, adeo ut facile possit eam apprehendere, jam suam fecit; nemo ergo eam claudicantem perimere ac sibi attribuere potest. Idem dicatur de fera illaqueata [1].

183. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si quis, instante incendio, e fenestra supellectilem projiciat, ejus dominium a se non abdicat; nemini ergo licet eam sibi occupare.

2.ª Spicæ, quæ remaneant in agro post messem, uvæ post vendemmiam, etc., habendæ sunt ut vere derelictæ a domino: si quis, invito licet domino, agrum ingrediatur et ingressus eas colligat, suas facit. Excipe casum, quo dominus jus eas colligendi antea alteri tradiderit, aut sibi reservaverit.

ART. II. — De inventione

184. *Inventio* est « detectio rei tectæ, vel reperitio rei incompertæ ». In primo casu, ille est inventor, qui rem tectam per se vel per alium ad id conductum detegit, h. e., visibilem reddit et videt; in altero, ille, qui primus rem incompertam videt. Hinc ad notionem inventionis non pertinet apprehensio rei [2]: tamen qui rem invenit, jus eo ipso acquirit apprehendendi rem inventam, et acquirendi ea jura, quæ sunt legitimæ apprehensioni adnexa.

Objecta, quorum dominium acquiri potest inventione, sunt: *thesaurus*, et *res mobiles amissæ*, sive olim, sive recenter.

1) Plures hypotheses habentur apud Ballerini *Num. 201-208.*
2) Cf. D'Annibale II. *Num. 130, 19;* Genn. *Cons. mor. XCIII;* Marc *883.*

§ I. De thesauro.

185. *Thesaurus* in jure nostro definitur « objectum mobile pretiosum, quod sit absconditum vel humatum, cujusque nemo ostendere possit se dominum esse ». — Dicitur: *a) Objectum mobile*, h. e., de loco in locum sine detrimento transferibile; hinc solo inhærens opus musivum non est thesaurus. — Dicitur: *b) pretiosum;* nempe habens valorem insignem, sive ex materia [3]; sive ex arte, sive ex antiquitate. — Dicitur: *c) absconditum vel humatum;* nempe, quod ex adjunctis appareat fuisse hominis manu absconditum vel sub terra depositum [4], ideoque latens: potest autem latere etiam in re mobili, puta in armario vel scrinio. — Dicitur: *d) cujus nemo ostendere possit se esse dominum;* si enim dominus ejus vel domini successor cognoscatur, objectum illud illius est, ac illi reddendum: dominus potest esse persona, sive physica, sive moralis. — Thesaurus ex jure naturali nullius est, ac proinde cederet primo occupanti; at aliter statuunt jura positiva [5].

Principia 1. Thesaurus spectat ad dominum fundi, in quo invenitur [4].

II. Si thesaurus in fundo alieno inveniatur fortuito, dimidia ejus pars spectat ad dominum fundi, alia ad inventorem. Si, inscio domino fundi, arte a quopiam inveniatur, totus domino fundi tribuendus est, at non ante sententiam judicis: hæc enim dispositio communiter habetur ut pœnalis [5].

187. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si thesaurus inveniatur in fundo dotali, proprietas ejus est uxoris, usufructus mariti: si in fundo filii, proprietas filii, usufructus patris; si in fundo beneficii, proprietas est ecclesiæ, usufructus beneficiati. Ex jure positivo in fundo emphyteutico cedit emphyteutæ; in fundo patrimoniali status cedit fisco. At, si quis, etiam arte, thesaurum invenerit in loco publicis usibus destinato, potest totum sibi retinere [6].

2.ª Si quis, suspicans, aut certo sciens, in agro alicujus latere thesaurum, agrum pretio agri emat, dein effodiendo thesaurum inveniat, legitime tum agrum, tum thesaurum acquirit [7].

3.ª Si quis, aut casu, aut arte, in agro alicujus thesaurum detegat, ac detectum mox iterum tegat, et agrum pretio agri emat, illegitime totius thesauri proprietatem sibi adscribit.

3) Objectum mobile pretiosum esset etiam moneta chartacea.

4) C. c. *art. 711, 714.* — Ex hoc altero articulo ad acquirendam proprietatem thesauri sufficit *inventio;* ex priori requiritur *occupatio.*

5) D'Annibale *130, 19;* Ferr. *711;* Genn. *Cons. cit., Monit. eccl.* XIV. 185.

6) D'Annibale II. *Num. 130, 20.* — Contra putat Alberti *107 c.*

7) S. Thomas *Qu. 66, art. 5;* De Lugo *Disp. XVI, 126;* Ball. *140-142.*

§ II. De rebus amissis.

188. *Res amissæ*, h. e., domino non volente deperditæ, aliæ amissæ sunt *olim*, aliæ *recenter*. Dicuntur amissæ olim, quæ a tanto tempore amissæ sunt, ut pro sua natura domino sit ablata potestas physica et spes recuperandi: adeo ut earum spem nemo, ne viliori quidem pretio, emeret: quoad hæc dicendus est dominus jam eorum proprietatem invitus exuisse, eo quod hæ res pro ipso sunt nihil. Res amissæ recenter sunt illæ, quæ adhuc dominum habent, eo quod pro eo habetur adhuc physica potestas et spes aliqua recuperandi; at quinam sit earum dominus ignoratur. Difficile et ferme impossibile est ex jure naturali determinare limites inter res amissas olim, et amissas recenter; at habentur dispositiones legis civilis, quæ sunt determinativæ proprietatis, et proinde vim habent in conscientia.

189. **Principia. I.** Res amissa, cujus certo constet dominum inveniri omnino non posse, est habenda ut derelicta, et proinde fit primi occupantis.

II. Qui rem amissam invenerit, quousque spes aliqua effulget inveniendi dominum, tenetur ex caritate ipsam rem apprehendere et custodire, ac dominum inquirere cum diligentia valori ipsius proportionata, at non cum incommodo gravi.

III. Qui rem inventam apprehenderit, tenetur ex justitia eam diligenter custodire, eamque non occultare; imo et adhibere media idonea, quibus ejusdem notitia ad dominum perveniat [8]. Quando constet dominum inveniri non posse, ea res, spectato jure naturali, cedit inventori: id ex jure positivo verificatur postquam, inventionis notitiâ syndico loci notificatâ et duabus vicibus per duas consequentes dominicas publicatâ, dominus intra duos annos non comparuerit.

190. **Resolutiones.** *Ex Princ. I, III.* — 1.ª Si quis invenerit rem, quæ ex adjunctis videtur a longissimo tempore amissa, vel, etiamsi recenter amissa sit, videatur impossibile ejus dominum invenire, inventor potest eam rem statim facere suam.

2.ª Idem dicendum, si dominus quidem cognoscatur, at impossibile sit notitiam ei communicare, vel ipsi rem suam recuperare sine incommodo, quod ipsius rei valorem ferme æquaret; ita, si agatur de umbella alicujus, qui profectus sit in Americam.

3.ª In hisce casibus, si præter prævisionem brevi tempore dominus compareat, et res sive in se, sive in æquivalenti supersit, eidem est re-

8) Obligatio certa ex caritate; juxta quosdam ex justitia. Cf. TANQUEREY *Num.* 226.

stituenda; si compareat posterius, nulla habetur obligatio restitutionis aut compensationis.

4.ª Qui fraudes adhibeat, ne res inventa in notitiam domini veniat, peccat contra justitiam ac tenetur de damnis.

5.ª Eadem onera et jura, ac inventor, habet ille qui rem alienam apud se depositam vel commodatam habeat, at ejus dominum, sive oblivione, sive quacumque alia causa, invenire non possit.

191. **Quæstiones.** — *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum satisfiat præscripto legis, si rei inventæ notitia evulgetur, in locis ruralibus, per parochum in ecclesia, in civitatibus per ephemerides civicas?

Resp. Affirmative; eo quod finis legis hisce modis obtineatur eadem et forte efficaciori ratione, quam si evulgatio fiat per syndicum. Res tamen non fit inventoris, nisi elapso biennio: imo contingere potest quod dominus, etiam serius comparens, inventorem coram tribunali propter violatam formam evulgationis conveniat; in eo casu non censemus sententiam judicis habere vim in foro conscientiæ.

Qu. 2. Utrum inventor rei alienæ teneatur rem inventam vel ejus pretium impendere in causas pias?

Resp. Negative. Nam intra biennium a facta evulgatione, vel quousque non cessavit utcumque spes dominum inveniendi, res spectat ad dominum: elapso biennio, vel cessante utcumque ea spe, res habetur ut derelicta; ergo, tum ex lege civili, tum ex lege naturali, cedit inventori. Si inventor eam, licet in causas pias, consumpsit in casu primo, de ea vel de ejus pretio tenetur erga dominum; in casu secundo, ipse fit dominus 9.

ART. III. — De accessione

192. **Principia. 1.** Proprietas alicujus rei, sive mobilis, sive immobilis, attribuit proprietario jus super omne id, quod ipsa producit, aut ei unitur natura vel arte; hoc jus dicitur jus *accessionis*.

II. Jus accessionis, quoties pro objecto habet res mobiles ad diversos proprietarios pertinentes, regitur principiis æquitatis naturalis. E quibus, hoc est fundamentale: ubi duæ res absque notabili alterutrius detrimento separari nequeant, totum pertinet ad proprietarium rei habentis rationem partis principalioris cum onere solvendi alteri pretium rei minus principalis.

193. **Explicatio.** *Princ. 1.* — Duplici titulo acquiri potest dominium alicujus rei vi accessionis; nempe titulo *originis*, et titulo *unionis*. — *a)* Titulo *originis*, dominus alicujus rei mobilis vel immobilis

9) S. Ligorius *Num. 603;* Ball. *151-171;* Tanqu. *229;* Sabetti *375.*

acquirit dominium fructuum naturalium et civilium, qui ex ea proveniunt; cujusmodi sunt fructus arborum, partus animalium, pensio domus locatæ, reditus capitalium, etc. — *b*) Titulo *unionis*, rei immobili potest alia res accedere per *plantationem* (segetes alienæ in prædio tuo), *per ædificationem* (domus ex materiis alienis, vel opera alterius, in fundo tuo); *per alluvionem* (terra aliena vi decursûs aquarum advecta prædio tuo, vel prædium tuum deviante flumine ampliatum) [10]. Quoad hæc, dominus fundi acquirit dominium rei accedentis; generatim vero tenetur ad solvendum pretium rei accedentis, aut ad compensandas expensas. — De accessione per unionem rei mobili, in principio sequenti.

194. **Explicatio.** *Princ. II.* — Rei mobili potest alia res mobilis accedere *per adjunctionem* (gemma tua torqui meo); *per specificationem* (statua a te sculpta ex marmore meo); *per commixtionem* (frumentum tuum cum meo, nummi tui cum meis); *per confusionem* (oleum tuum cum oleo meo). — In hisce casibus jus accedendi regitur principiis æquitatis naturalis.

ART. IV. — De præscriptione

195. *Præscriptio* in jure nostro definitur, vel potius denotatur « medium, quo quis decursu temporis et sub determinatis conditionibus acquirit jus, aut liberatur ab obligatione » [11]. Hinc duplex præscriptio: *acquisitiva*, et *liberativa* vel *exstinctiva*: illa magis proprie *usucapio* dici solebat: hæc proprie *præscriptio*.

Mediante præscriptione, dominium, sive perfectum, sive imperfectum, imo et usus et servitus activa, acquiruntur vi legis humanæ ipsum dominium, etc., sua auctoritate ab uno in alium transferentis, et conditiones ad hanc translationem determinantis; attamen hæc translatio fit non sine fundamento in ipso jure naturali. Quare communi theologorum consensu statuuntur sequentia:

196. **Principia. I.** Lex humana potest, datis quibusdam circumstantiis, transferre alicujus rei dominium ab uno in alium. Ratio est, quia hujusmodi potestas publicæ auctoritati necessaria est ad bonum commune procurandum; tum ad evitandas lites sæpe inextricabiles, tum ad cavendum ne homines cogantur manere perpetuo de suis juribus incerti. Aliunde lex omnibus æqua est, omnibus eadem ratione et nocet et prodest [12].

II. Leges civiles, cum decernunt jus aliquod per præscriptio-

10) At ligna vi fluminis advecta prædio tuo, si sunt a domino derelicta, nullius sunt, non tua; eorum dominium acquiritur a primo occupante.

11) Utramque præscriptionem pro bonis ecclesiasticis acceptat Ecclesia; Codex *Can. 1508*, salvo præscripto Canonum sequentium.

12) Fusius Tanqu. *Num. 244-248;* Ball. *264-273;* Verm. *270-274.*

nem acquiri, vel obligationem alicujus exstingui, vere intendunt ipsum jus de uno in alium transferre, vel obligationem exstinguere; non tantum actionem legalem denegare. Id patet ex ipsis terminis legum, et communi doctorum interpretatione.

III. Consequenter præscriptio, vestita conditionibus a lege requisitis, est modus legitimus acquirendi jus vel se liberandi ab obligatione, etiam in foro conscientiæ.

Applicationes patebunt inferius. At, cum agatur hic de materia muneri confessariorum haud frequenter obnoxia, satis nobis erit exhibere juris, tum canonici, tum civilis dispositiones generales, et ex particularibus principales tantum.

§ I. — De praescriptione acquisitiva.

197. **Principium.** Ut valeat præscriptio acquisitiva, seu, ut quis vi præscriptionis dominium vel quodcumque jus acquirat, requiruntur quinque conditiones: *a*) Res præscriptibilis; *b*) possessio ejusdem rei legitima; *c*) tempus possessionis præfixum a lege; *d*) bona fides; *e*) titulus.

198. *Res præscriptibilis.* — Generatim præscribi nequeunt res, quæ aut ex natura sua aut ex lege positiva non subsunt commercio. — Hinc:

1° « Præscriptioni obnoxia non sunt: *a*) Quæ sunt juris divini, sive naturalis, sive positivi. — *b*) Quæ obtineri possunt ex solo privilegio apostolico. — *c*) Jura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agatur de præscriptione in favorem laicorum. — *d*) Fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, diœcesium, parœciarum, vicariatuum apostolicorum, præfecturarum apostolicarum, abbatiarum vel prælaturarum *nullius*. — *e*) Eleemosynæ et onera Missarum. — *f*) Beneficium ecclesiasticum sine titulo. — *g*) Jus visitationis et obedientiæ, ita ut subditi a nullo Prælato visitari possint et nulli Prælato jam subsint. — *h*) Solutio cathedratici » [13].

2.° Ex jure civili præscribi nequeunt: *a*) Res publicis usibus destinatæ, ut viæ publicæ, plateæ, pontes, etc. — *b*) Bona quæ lex civilis positive præscribi vetat; ut sunt bona minorum, bona dotalia durante matrimonio, quædam servitutes, etc. — *c*) Item præscriptio non currit circa bona militum actu servientium: neque inter conjuges: neque inter subditum patriæ potestati et alium ipsam habentem, etc.

13) CODEX *Can. 1509*, coll. *Can. 1610*. — Cf. CONC. TRID. *Sess. XXV. Cap. 5 de reform;* decreta S. C. Conc. 18 aug. 1845, et 20 dec. 1870. — SCAVINI *Lib. II. 364;* NOLDIN *407* § *3;* GENN. *Quest. mor. 114.*

199. *Possessio,* seu « detentio rei, vel fruitio juris », est fundamentum præscriptionis; dummodo legitima sit. Porro ad hoc requiruntur sequentia: *a*) Sit continua, et non interrupta per totum tempus a lege requisitum; *b*) pacifica; *c*) publica; *d*) non æquivoca; *e*) habita animo tenendi rem ut suam.

Quoad 1.m: continuitas respicit possessionem, potius quam possessorem: quare, si quis primo possessori succedit, sive titulo universali, puta hereditatis, sive particulari, puta emptionis, possessio una est et continua. Interruptio alia est *naturalis,* si possessio amittatur de facto; alia est *civilis,* si præscribens circa ejus rei possessionem vocatur in jus. — Quoad 2.m: possessio debet esse absque ulla violentia ex parte possessoris (quæ et bonam fidem tolleret), et absque ulla litis contestatione ex parte alterius. — Quoad 3.m: possessio talis sit, ut ille, contra quem præscribitur, posset factum agnoscere, si vellet accurate attendere. — Quoad 4.m: possessio sit demonstrata per actus attestativos proprietatis; puta domum locando, agrum colendo, solvendo taxas, etc. — Quoad 5.m: possidens rem, eam possideat tamquam proprietarius; hinc locatarius, depositarius, usuarius, usufructuarius præscribere rem detentam non possunt.

200. *Tempus* determinatur a lege positiva. — 1.° Ex legibus Ecclesiæ: « *a*) Res immobiles, mobiles pretiosæ, jura et actiones sive personales sive reales, quæ pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum præscribuntur. — *b*) Quæ ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio triginta annorum » [14]. — Neque leges hæ suum valorem in foro conscientiæ amiserunt, eo quod a juribus hodiernis non recognoscuntur.

2.° Ex legibus civilibus dantur tres classes præscriptionum: — *a*) Spatio annorum triginta præscribuntur omnes actiones, sive reales, sive personales: quin opponi possit defectus bonæ fidei, aut tituli. — *b*) Spatio annorum decem præscribitur quælibet res immobilis et quodcumque jus super rem immobilem; dummodo aut rei, aut juris, acquisitio facta fuerit per titulum (utique in se ineptum) in sua forma externa validum et debite transcriptum. — *c*) Res, quæ sint natura sua mobiles, præscribi possunt breviori tempore, imo et statim; dummodo ceteræ conditiones verificentur.

Practice res mobiles præscriptibiles reducuntur ad res inventas, et res furtivas. Quoad res inventas, inventor eas facit suas post biennium ab evulgata sufficienter inventionis notitia: quoad furtivas, ipse fur præscribit numquam. Tertius possessor, qui aut illas intra biennium, aut has quovis tempore possidere incipiat cum bona fide, jam ab initio præscribt earum pretium solutum, si eas emerit in publicis nundinis vel a publico earum rerum negotiatore: in omni casu res ipsas præscribit post

14) Codex *Can. 1511.* — Cf. S. Lig. *III. Num. 510;* Tanqu. *252;* Noldin *loc. cit.*

biennium. Tempora quoad hujusmodi præscriptiones sunt inter annos quinque et horas vigintiquatuor.

201. *Bona fides* est « prudens judicium, quo quis judicat se juste rem possidere absque læsione juris alterius » 15. Ad præscribendum in foro conscientiæ hæc bona fides, quæ theologica dicitur, est absolute necessaria; adeo ut, si contingat eam in foro civili præsumi, et quidem præsumptione juris et de jure, de facto tamen a possessore non haberi, hic numquam præscribere possit.

« Nulla valet præscriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad præscriptionem requisito » 16. At, dum in inchoanda possessione debet esse practica simul et speculativa, in proquenda satis est eam esse practicam, quæ consistere potest cum dubio de possessionis legitimitate; in dubio enim melior est conditio possidentis. Ita, qui dubitet rem a Titio possessam esse suam, non potest eam sibi accipere; at qui, certo judicans esse suam, acceperit, dein dubitans non potuerit dubium deponere, eam potest tenere; prior carebat bona fide speculativa, et practica; alter caret speculativa, sed practica gaudet: quod si ante tempus præscriptionis certo cognoscat rem esse Titii, mox eam Titio reddere debet; si reddere omittat, evidenter peccat contra justitiam; et absurdum est quod peccatum contra justitiam jus pariat peccanti.

Tamen: « Lite contestate,.... possessor rei alienæ desinit esse bonæ fidei; quapropter damnatus rem restituere, non solum rem ipsam, sed et rei fructus a litis contestatæ tempore restituere tenetur, et damna præterea sarcire, si qua secuta fuerint » 17.

202. *Titulus*, seu causa, propter quam quis firmiter judicat rem a se possessam esse suam, necessarius omnino est ad bonam fidem pariendam in possessore. Porro tituluc non debet esse legitimus, h. e., sufficiens per se ad transferendum dominium; satis est eum esse apparentem, sive coloratum, sive existimatum; imo in præscriptione annorum triginta sufficit præsumptus.

203. **Quæstiones**. — *Qu. 1.* Utrum res furtivæ, aut earum pretium, præscriptibiles sint in conscientia a possessore bonæ fidei, prout generatim sanciunt codices moderni?

Resp. Affirmandum est sine dubio, si agatur de præscriptione annorum triginta. Idem affirmant satis communiter theologi, tum anteriores; tum recentes, etiam quoad præscriptiones brevissimi temporis a codicibus modernis sancitas; quas non habent ut certe juri superiori adversas. Nec improbabile est ipsum furem præscribere posse, si quacumque ex causa, puta ex responso confessarii, tandem fiat possessor bonæ fidei 18.

15) VERMEERSCH *Quæst. de justitia. Num. 267.* — Cf. D'ANN. *146, 52.*
16) CODEX *Can. 1512.*
17) CODEX *Can. 1731 n. 3.*
18) VERMEERSCH *Num. 285, sequ.;* GEN. *492;* D'ANN. *148, 8;* GENN. *Quest. mor. 641.*

Idem dicatur de rebus inventis, si inventor omisit media adhibere ad inveniendum dominum requisita.

Qu. 2. Utrum mala fides antecessoris in possidendo noceat successori ?

Resp. Negative, si succedat titulo particulari; puta, ex emptione vel donatione. Item *negative,* si succedat titulo universali, puta ex hereditate; rem vero ipse possederit bona fide per annos triginta. Si vero agatur de possessione decennali cum titulo universali, puta de casu, quo heres hereditatem ex testamento adivit eamque bona fide perdurante tenuit decennio, quidquid olim senserint doctores, ex tenore legum modernarum et sententia apud recentes theologos satis recepta, heres nullatenus tenetur hereditati abdicare, si post decennium noverit antecessorem in mala fide ea bona possedisse 19.

§ II. — De praescriptione liberativa.

204. Per hanc præscriptionem debitor liberari potest ab obligatione solvendi, si certum tempus elapsum fuerit. Conditiones præcipuæ ad eam requisitæ duæ sunt: *a*) Quod creditor suum jus non exercuerit per tempus a lege determinatum; *b*) Quod agatur de obligatione præscriptibili, cujusmodi non est obligatio quælibet juris naturalis et divini.

Verum non datur præscriptio in *facultativis;* nempe, quæ quis pro lubito potest facere. Eo quod per annos plurimos ego domum in fundo meo non exstruxerim, non inde amisi jus exstruendi, licet ea domus fundo alieno nocere possit.

205. Spectato tempore, præscriptiones triplicis classis habentur; nempe: annorum triginta, annorum quinque, breviores.

a) Præscriptio annorum triginta certe valet etiam in foro conscientiæ; dummodo bona fides adfuerit. — Item probabile est apud nos, supposita bona fide, valere præscriptiones annorum quinque 20.

b) Quoad præscriptiones breviores, opinio est communis vim legis hanc esse dumtaxat, ut, si creditor suum jus intra tempus præscriptum non exegerit, eidem negetur actio in foro civili; minime vero esse legis intentionem, ut debitor a sua obligatione eximatur, quando constat solutionem factam non fuisse. « Quod enim debitor conveniri non possit in judicio, non est ope præscriptionis, sed vi præsumptæ solutionis; qui ergo certus est se non solvisse, ab obligatione solutionis per talem præscriptionem non eximitur » 21. Adde quod in ipso foro externo debitor cogi potest ad jurandum se jam solvisse. Quapropter difficile poterit hisce præscriptionibus uti primus debitor propter defectum bonæ fidei; at eis uti potest successor, si bona ipse gaudeat.

19) Cf. NOLDIN *Num. 403, 2;* BER. *1411;* VERM. *277;* TANQU. *354.* — Id silentio firmare videtur CODEX *Can. 1512.*

20) Cf. D'ANNIBALE *Num. 153, 23.*

21) SCAVINI *Lib. II. Num. 361;* item et D'ANN. *loc. cit.;* SEBAST. *280.*

206. *Qu. un.* Utrum hac præscriptione uti liceat contra officialem tributorum pro tempore præcedente annos quinque postremos, etiamsi bona fides in debitore defuerit ?

Resp. Affirmative; non vi præscriptionis proprie dictæ, sed vi indolis legis tributariæ. Hæc enim imponit debitori onus, non exhibendi sponte tributa non petenti, sed solvendi officiali exigenti : porro officialis pro eo tempore exigere non potest.

CAPUT IV.

DE LIMITATIONIBUS DOMINII

207. Dominium alicujus rei, sive mobilis sive præsertim immobilis, præter subordinationem, quam necessario habet ad necessitates alienas et ad jura societatis publicæ, obnoxium potest esse et aliis limitationibus accidentalibus; ex quibus fiat, ut, qui alicujus rei dominus est, non possit de ea disponere in quoslibet usus. Hujusmodi limitationes si considerentur active, seu prout sunt in aliis jura limitandi alterius dominium, acquiri possunt plus minus iisdem titulis, quibus ipsum dominium. — Principales sunt : *condominium, usus, ususfructus* et *servitus.*

ART. I. — De condominio

208. *Condominium est* « duorum vel plurium circa unam eamdemque rem comproprietas » ; tunc vero habetur, cum duo vel plures, quin intendant inter se veram societatem inire, unam eamdemque rem tenent indivisam, singuli pro sua quota dominium rei illius conservantes. Casus esse possunt : si fratres ætate majores simul conviventes hereditatem paternam teneant indivisam; si duo unum prædium simul emunt ac tenent; item frequentiores sunt casus muri communis inter duas ædes contiguas, communis aquæ, scalæ, latrinæ, etc.

209. Normæ circa regimen condominii tres sunt : — 1.ª Spectandæ et servandæ sunt speciales conventiones, de quibus inter comproprietarios conventum fuerit.

2.ª Habentur generales dispositiones juris positivi : *a*) Omnes comproprietarii participant, tum de utilitatibus, tum de oneribus rei communis : singuli pro sua quota proprietatis. — *b*) Singuli jus habent utendi re communi juxta ejusdem destinationem sive naturalem, sive consuetudinariam; dummodo hic usus non obstet pactis conventis, vel utcumque juri alieno præjudicet. — *c*) Singuli jus habent exigendi ut alii ad rei communis conservationem et necessarias reparationes concurrant. — *d*) Singuli conservant dominium suæ quotæ indivisæ, eamque possunt locare, vel alienare, aut hypothecæ subjicere; dummodo per hæc non lædatur jus aliorum nec agatur de jure mere personali.

3.ª Habentur dispositiones speciales pro casibus sequentibus : *a*) Si agatur de hereditate inter plures indivisa; *b*) de aqua vel de muro

duobus vel pluribus communi; c) de domo, cujus alius partem inferiorem habeat, alius superiorem; *d*) de rebus commixtis, quæ non sint sine detrimento separabiles. — De his conferantur juristæ.

ART. II. — De usu

210. *Usus* definitur « jus utendi rebus alienis, salva earum substantia ». — Dicitur: *a*) *jus;* h. e., potestas moralis, non simplex exercitium. — Dicitur: *b*) jus *utendi;* nempe quantum ipsi hoc jus habenti (appellatur *usuarius*) necessarium est; non modo absolute, sed et ad convenientiam status sui, cum familia et famulis, imo et cum filiis nascituris post inceptum usum. At usuarius non potest suum jus vendere, locare, donare, etc.; nisi de aliquo ex his pactum fuerit in contractu acquisitionis usus. — Dicitur: *a*) *rebus alienis;* nempe exsistentibus et manentibus in dominio alterius, qui appellatur *proprietarius.* — Demum additur: *d*) *salva earum substantia,* tum quoad materiam, tum quoad formam; quia secus jus proprietarii læderetur: hinc objectum usus proprie dicti non possunt esse res primo usu consumptibiles [1]. Usuarius vero tenetur rem proprietario conservare, et proinde reparationes ordinarias perficere; insuper et solvere pro sua quota tributa fructibus imposita.

Ad usum revocatur etiam *habitatio,* seu jus habitandi, sive ad tempus, sive per totam vitam, in domo alterius.

Tum usus, tum habitatio induci potest, sive ex lege (*legalis*), sive ex libera hominum voluntate (*conventionalis*); hoc autem, sive per testamentum, sive per contractum. — Jura, tum usus, tum habitationis, cessant iisdem modis, quibus jus ususfructus.

ART. III. — De usufructu

211. *Ususfructus* definitur « jus utendi ac fruendi rebus alienis, salva earum substantia ». Hinc usufructuarius (dictus etiam *fructuarius*), præter jura usuarii, habet potestatem percipiendi omnes fructus, sive naturales, sive civiles, quos res fructuaria producere potest: potest eos vendere, donare, aliis fruendos concedere, etc.

Relate ad fructus naturales, tunc fructuarius eos facit suos, cum maturos colligit: qui sunt maturi et non collecti, incipiente usufructu, spectant ad fructuarium; eo finito ad proprietarium: nec necesse est compensare expensas pro seminatione et cultura. At, si fructuarius immaturos collegerit, et mox usufructus cesset, puta morte fructuarii, fructus illi spectant ad proprietarium. Fructus vero civiles de die in diem computantur, et consequenter inter proprietarium et fructuarium, vel inter successivos usufructuarios dividendi sunt pro rata.

Fructuarius tenetur rem proprietario conservare, et proinde facere

1) At objectum esse possunt res, quæ usu deteriorantur; hæ, cessante usu, restituendæ sunt, prout sunt. Quoad res primo usu consumptibiles, datur *quasi-usus-fructus.*

reparationes ordinarias, imo et concurrere ad extraordinarias pro rei conservatione necessarias; insuper debet solvere tributa, canones et alia onera fructibus inhærentia.

212. Simili ratione ac usus, usufructus induci potest vi legis (*legalis*), vel libera hominum voluntate (*conventionalis*). Cessat vero: *a*) Morte fructuarii; *b*) labente tempore præfinito in conventione; *c*) consolidatione, idest si idem, qui est fructuarius, fiat proprietarius, vel viceversa; *d*) præscriptione, nempe non usu per annos triginta; *e*) totali interitu rei, super quam habetur usufructus.

ART. IV. — De servitute

213. *Servitus*, si passive sumatur, est « onus prædio impositum in utilitatem prædii alterius proprietarii »: si sumatur active, est « jus prædio inhærens ut alterius prædium sibi deserviat ». Servitus hæc dicitur *realis* seu *prædialis*: quæ enim sit immediate in favorem personæ, et dicitur *personalis*, reducitur ad usum et usumfructum.

Servitus, spectata præ sua origine, potest esse *naturalis, legalis, conventionalis;* prout ab ipsa naturali positione prædiorum exigitur, aut per legem positivam statuitur, aut privata voluntate testatoris vel contrahentium inducitur; quæ vero originem habet præscriptionem, reduci potest ad legalem.

Spectata præ suo fine, servitus est *urbana*, si servit ædificio; *rustica*, si fundo.

Spectato exercitio, servitus est *continua*, si est et persistit absque actuali opera hominis; ut esset prospectus, stillicidium: *discontinua*, si absque opera hominis non exercetur; ut esset jus hauriendi aquam e puteo alterius.

Spectato signo, alia est *apparens*, quæ signo permanente manifestatur, ut esset aquæductus, fenestra; alia est *non apparens*, quæ signo externo caret, ut esset prohibitio extollendi altius ædificium, et generatim servitutes negativæ.

214. Ex lege positiva, servitutes continuæ et apparentes inducuntur titulo, vel præscriptione annorum triginta, vel destinatione patrisfamilias. Quæ sunt continuæ non apparentes, et omnes discontinuæ non firmantur, nisi titulo aliquo; possessio etiam immemorialis nihil juvat.

Servitutes cessant potissimum quatuor ex causis: *a*) Si amplius non inserviant; puta, si fons aquæ aruerit; *b*) si utriusque prædii unus idemque fiat proprietarius; *c*) præscriptione annorum triginta; *d*) renuntiatione proprietarii fundi dominantis.

Jura et officia circa servitutes legitime introductas reduci possunt ad sequentia:

215. **Principia. 1.** Dominus prædii servientis nihil agere potest, ex quo minui possit utilitas prædii, cui suum prædium deservit.

11. Dominus prædii gaudentis servitute activa potest ea omnia perficere, quæ necessaria sunt ad jus sui prædii conservandum et exercendum; nihil præstare potest, ex quo onus prædii servientis gravius evadat.

216. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Dominus prædii inferioris non potest opus exstruere, ex quo aquæ pluviales prædii superioris in ipsum defluere impediantur.

2.ª Si dominus prædii vicini jus habeat ad cursum aquæ in prædio vicino nascentis, non potest dominus istius aquam in fundo detinere, vel alio divertere.

3.ª Graviter peccat, qui clam deviat cursum aquæ subterraneum, quo alebatur puteus situs in fundo suo, at serviens fundo limitropho.

4.ª Qui habet servitutem passivam, non tenetur ea præstare, quæ necessaria sunt ad alterius jus conservandum vel exercendum; ejus enim onus consistit in patiendo, non in faciendo.

217. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui jus habet ad aquam in alieno prædio nascentem, potest aquæductum reparare, si necesse sit; hoc autem eo tempore et modo, quo minus noceat prædio servienti.

2.ª Si arbor prædii finitimi ramos suos erga fenestram domus alterius nimis protendat, dominus domus eos ramos decidere potest usque ad limites lege civili statutos.

3.ª Peccat ille, qui, abutens ignorantia, vel simplicitate, vel absentia domini prædii finitimi, sensim sine sensu novas e domo sua aperiat fenestras, vel transitum per agrum alienum ampliorem aut longiorem faciat.

4.ª Peccat per se graviter parochus, qui dissimulando et tacendo permittat introduci transitus abusivos per ecclesiam, per sacristiam, per atria ecclesiæ aut adjacentes curriculos; vel sinat muris ecclesiæ applicari ædificia, vel vites aliasve arbores apponi 2. A fortiori peccant illi, qui conniventia parochi, aut forte vacatione beneficii parochialis abutentes, hujusmodi servitutes tentent imponere, aut jam exsitentens aggravare.

CAPUT V.

DE OFFICIIS JUSTITIÆ

218. Eo ipso, quod jus in aliquo exsistens est exigentia moralis ad aliquid, inde in aliis est obligatio recognoscendi hanc exigentiam eique satisfaciendi. Virtus ad hoc inclinans est justitia; et quidem erit justitia commutativa, si exigentia illa sit jus proprie dictum exsistens in eo, qui

2) Cf. Rivarolo *Governo della Parrocchia P. II. Tit. I. Cap. 5.*

sit perfecte alter; erit justitia legalis aut distributiva, si aut jus proprie dictum, aut perfecta alteritas desit.

219 **Principia. I.** Justitia commutativa obligat *per se* et *sub gravi* ad jus alterius recognoscendum eique satisfaciendum. Ratio est, quia secus haberetur inæqualitas moralis et inordinatio in genere suo gravis; insuper tolleretur securitas individualis, et impossibilis fieret hominum vita socialis. Ex hac altera ratione obligat *per se* et *sub gravi* etiam justitia legalis et distributiva, imo et vindicativa.

II. Proprium officium est justitiæ commutativæ, ut tendat ad æqualitatem; hinc læsio justitiae commutativae secum infert obligationem restitutionis, per quam æqualitas sublata restauretur.

III. In obligatione justitiæ commutativæ duplex habetur officium: unum affirmativum, quod jubet æqualitatem statui aut sublatam restitui; alterum negativum, quod vetat æqualitatem tolli, aut inæqualitatem positam conservari.

220. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Quæcumque læsio cujuscumque juris alterius est peccatum *per se*, et potest esse mortale *per se*, h. e., ratione juris læsi: etiamsi hoc jus non sit Dei, vel Ecclesiæ, parentum, etc.

2.ª Jura in genere possunt habere materiam majorem vel minorem; ergo ipsæ læsiones juris possunt esse majores, vel minores, et proinde peccata mortalia, vel venialia pro ratione materiæ.

221. *Ex Princ. II.* — 1.ª Subditus, qui damnum inferat ærario, ad restitutionem tenetur, eo quod violat justitiam commutativam: at qui tempore belli fraude impedit, quominus suum prædium in castrum vertatur, cessante bello, non tenetur prædium cedere Principi.

2.ª Superior, qui dignitates honorificas minus dignis aut indignis distribuit, peccat quidem; at ad restitutionem non tenetur: qui vero ad publica officia eligat ineptos, tenetur ad restitutionem erga communitatem, cum qua obligationem justitiæ commutativæ contraxerat ex quasi-contractu.

SECTIO SECUNDA

DE INJURIA

22. *Injuria* sensu proprio est « læsio juris alterius », vel « actus læsivus juris alterius »; dum *injustitia* communiter dicitur habitus seu vitium contrarium virtuti justitiæ. Porro, sicut jus proprie dictum illud est, quod est titulus et objectum justitiæ commutativæ, ita hujus virtutis læsio habitualis proprie est *injustitia*, actualis est *injuria;* dum læsio virtutis distributivæ dicitur *acceptio personarum* [1]; læsio justitiæ legalis nomen non habet.

223. Præcipua injuriæ divisio est in *formalem* et *materialem*. Formalis est ea, qua læsio juris alterius fit cum cognitione juris et volitione actionis læsivæ. Materialis est ea, qua læsio juris fit absque cognitione juris, vel absque volitione actionis læsivæ; ut, cum quis occupat alienum horologium, putans esse suum; vel casu fortuito frangit vitrum alienum.

Item injuria est *directa*, si læsio juris alterius intenditur; ut cum quis domum inimici incendit; est *indirecta*, si ea non intenditur, sed est connexa cum alio objecto directe volito; ut, cum famulus, negligendo curam supellectilis sibi concreditæ, causa est, qua illi pereat.

Demum injuria est *positiva*, sit fit agendo; est *negativa*, si omittendo.

224. Ad notionem injuriæ pertinet quod violetur jus alterius vere exsistens et subsistens. Porro contingere potest, quod alter jus suum vere exsistens velit non subsistere, adeo ut propter ejus voluntatem cesset exsistere; quo in casu violatio illius juris cessat esse injuria.

Ad hoc autem necesse est, quod, qui est subiectum juris, renuntiet suo juri sciens et volens. — Dicimus: *a) renuntiet suo juri.* Non enim satis est, quod suum jus conservans, consentiat et libenter acceptet injuriam sibi illatam, aut inferendam. Ita suo juri renuntiat, qui amore pœnitentiæ socium rogat, ut se fustibus cædat; at juri non renunciat, qui, odio fidei ab infideli cæsus, Deo gratias agit, eo quod dignus habitus est pro nomine Jesu contumeliam pati [2]. — Dicimus: *b) renuntiet sciens;* nempe sciens se jus habere, et actionem sui juris læsivam sibi inferri: huic scientiæ opponitur, nedum dolus et fraus, sed et simplex error; ita juri suo non renuntiat, qui ab argentario emit francis centum anulum æneum [3]. — Dicimus: *c) renuntiet volens,* vel *consentiens;* hoc vero libere, ea libertate, cui opponitur, nedum coactio, sed et metus et necessitas quædam late sumpta; ita suo juri non cedit viator, qui latroni

1) *De acceptione personarum,* VERMEERSCH *Num. 136, seqq.*

2) Suo juri nec Christus cessit, qui *oblatus est, quia ipse voluit;* nec primi fideles cedebant, de quibus HEBR. *X. 34, et* ACT. *V. 41;* nec id Christus præcepit MATTH. *V. 39, 40.*

3) Alia conditio, quod renuntiet *valens* renuntiare. Minor et pupillus non valent renuntiare bonis suis; qui ab his bona pretiosa blanditiis extorqueant, iisdem injuriam faciunt.

exigenti ense districto pecunias cedit marsupium; nec operarius, qui urgente fame in salarium inferius justo consentit [4]. Juxta has limitationes verum est axioma: *Scienti et volenti non fit injuria* [5].

Insuper ad tollendam injuriam formalem in lædente necesse est, quod ei de consensu alterius constet; cujus consensus quandoque etiam per merum silentium patere potest, juxta effatum: *Qui tacet consentire videtur.*

225. Eadem ratione contingere potest, quod alicujus jus cesset subsistere, etiamsi is, qui jus haberet, contra ejus cessationem sit invitus, at invitus sit irrationabiliter. Etenim ejus jus adhuc cessare potest propter conflictum cum jure superiori; ut sæpe contingit in detractione de re vera, in necessitate proximi extrema, in compensatione occulta, in exigentia publicæ auctoritatis pro bono communi, etc. In casu hujus conflictus verum est axioma: *Domino irrationabiliter invito non fit injuria.*

CAPUT I.

DE MALITIA INJURIÆ

226. **Principia. I.** Injuria est peccatum ex genere suo mortale. Ratio est, quia opponitur justitiæ commutativæ, quae obligat *sub gravi*. Insuper, si injuria per se esset peccatum veniale, ac proinde numquam per se mortale, de humano consortio actum esset. Accedit auctoritas divinæ Scripturæ, ex qua inter mandata necessaria ad vitam æternam consequendam ponitur prohibitio lædendi justitiam [1].

II. Injuria admittit parvitatem materiæ. Ratio est, quia et jura possunt esse majoris vel minoris momenti, et eorum læsiones possunt esse graviores, minus graves, et leves.

III. Injuria tunc est gravis in se: *a*) cum alteri in suis juribus infert nocumentum vere grave [2]; adeo ut ille rationabiliter inde gravem pati possit tristitiam: item *b*) cum ea læsio juris alterius, licet personae læsæ non afferat nocumentum grave nec rationabilem gravis

4) Quidam addunt conditionem, quod renuntiare *possit*: non enim potest homo renuntiare juri ad vivendum, clericus privilegio canonis, maritus juri ne quis utatur uxore sua, etc. Hæc verissima sunt. At Amalecites Saulem occidendo injuriam Deo quidem intulit, at non Sauli: idem dicendum videtur de ceteris. Cfr. VERM. *Num. 142, seqq.*

5) De hoc axiomate cf. BALLERINI *P. II. Num. 4;* VERM. *142.*

1) MATTH. *XIX. 18;* EXOD. *XX. 13 I.* COR. *VI. 9, 10;* THESS. *IV. 6.* — Cf. S. THOMAM *2. 2. Qu. 59 art. 3, 4.*

2) S. THOMAS *2. 2. Qu. 73, art. 3.*

tristitiæ causam, tamen talis est, ut bonum publicum exigat eam esse prohibitam *sub gravi*. Utrumque patet ex eo, quod in utroque casu notabiliter frustratur duplex finis justitiæ; qui est conservare in singulis hominibus securitatem, in communitate publicam tranquillitatem et pacem.

227 **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum ab intentione agentis pendere possit, quod actus proximo nocens sit, vel non sit, injustus?

Resp. Si actus ille lædit quidem proximum, at in his, in quibus hic jus non habet, ea intentio ponendi actum ad nocendum faciet actum esse contrarium caritati, minime vero justitiæ.

Si actio lædit proximum in his, in quibus jus habet, actio ex se ipsa erit contraria justitiæ ex intentione erit contraria caritati. Si quis ex odio non succurrat proximo indigenti, aut, si judex sententiam damnationis justam in reum proferat ex odio, hi ex mala intentione peccant contra caritatem. Si quis domum inimici incendat ex odio, aut si judex ex odio ferat sententiam injustam, hi peccant contra caritatem et contra justitiam [3].

Unicus casus, quo intentio dat actioni malitiam injustitiæ, ille est, quo actio in se sit indifferens, ac proinde moralitatem bonam vel malam accipiat unice ex intentione. Si rem auferas a fure intentione reddendi eam domino, facis actum caritatis; si intentione faciendi eam tuam, facis actum injustitiæ; dominus enim rei jus habet, ne tu eam hac intentione auferas a fure.

228. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Quænam sunt normæ ad judicandum de gravitate vel levitate injuriæ in genere?

Resp. Duæ sunt: Prior intrinseca est; nempe ipsa injuriæ indoles considerata in se ipsa: altera extrinseca; nempe communis hominum æstimatio, speciatim vero communis doctorum ac theologorum sententia.

Ex norma priore, certe graves sunt injuriæ, quibus homo privetur bonis personalibus magni momenti, ut essent ipsa vita, membrorum integritas, libertas; item illæ, quibus notabiliter privetur bonis fortunæ magni momenti, ut esset pro divite tota substantia familiaris.

Ex altera norma magis practica, sunt graves ex communi æstimatione injuriæ personales, quibus homo pro sua nobili aut honesta conditione censetur graviter lædi in suo honore; puta, quod vir nobilis, parochus, publicus officialis, syndicus, etc., compelletur stupidus, hebes, bibulus, aliisve titulis, qui pro persona vulgari non censerentur graviter injuriosi: item potest esse gravis injuria in furto rei levis, at ex adjunctis carissima, et quidem rationabiliter, ejusdem possessori. Ita ex communi doctrina doctorum ac theologorum, non sine fundamento in communi

3) Cf. LESSIUM *Op. cit. Lb. II. Cap. IX. Num. 113;* TANQU. *288;* FERR. *739.*

æstimatione, determinatur quænam habenda sit ceu gravis injuria propter damnum proximo, illatum in bonis fortunæ.

At parum vel nihil refert cujuspiam dispositio aut opinio particularis; etiam illius personæ, de cujus jure agatur. — Hinc: *a*) Si quis rem parvi valoris auferat a Titio, prævidens quod iste ex aviditate pecuniæ gravissime irascetur, non peccat graviter contra justitiam; ad summum peccare potest graviter contra caritatem. — *b*) Item, si quis hominem austerum et superbum verbis minus honorificis alloquatur, non graviter peccat contra justitiam; licet prævideat eum graviter offensum iri, et facile in imprecationes et blasphemias prorupturum esse. — *c*) E contra graviter peccat, qui gravem contumeliam aut percusionem inferat viro humili et sancto, qui eas maxima animi tranquillitate accipiet, et, juxta monitum Christi, percutienti dexteram maxillam porriget et sinistram.

CAPUT II.

DE OBIECTO INJURIÆ

229. Sicut multiplica sunt objecta juris, ita et multiplicia sunt objecta injuriæ, justa diversitatem bonorum, circa quæ homo potest habere jus, et proinde etiam pati injuriam. Juxta usum satis receptum et huic tractationi opportunum, bona hominis in tres classes dividuntur: Bona personæ, sive animæ, sive corporis; bona honoris et famæ: bona fortunæ.

Hisce bonorum classibus respondent injuriæ specifice diversæ inter se. — *a*) Injuria in bonis personæ committitur: quoad animam per privationem usus rationis, aut memoriæ, aut liberi arbitrii; item per deceptionem, vel inductionem in malum; demum per abductionem a vero, vel a bono: quoad corpus per homicidium, mutilationem, verberationem, stuprum aut quamcumque violentiam in personam. — *b*) Injuria in bonis honoris et famæ committitur per contumeliam, adulterium, detractionem, judicium temerarium. — *c*) Injuria in bonis fortunæ committitur: immediate rem alienam auferendo, aut proximum in suis bonis aut juribus damnificando, quin aliquid ejus auferatur; mediate, committendo nonnullas ex injuriis superius recensitis, ex quibus damnum proximo obveniat etiam in bonis fortunæ.

ART. I. — DE INJURIA IN BONIS ANIMÆ

230. Bona animæ sunt in primis ipsæ ejus facultates: memoria, intellectus, voluntas; dein et ipsa harum facultatum propria bona, nempe veritas pro intellectu et bonitas pro voluntate, tum in naturalibus, tum maxime in supernaturalibus.

Principia 1. Committit injuriam per se gravem, qui sine gravissima causa hominem privat memoria, usu rationis, aut

libero arbitrio; licet ad tempus tantum. Nullam vero facit homini injuriam, qui illum hisce bonis et ad breve tempus privat ex causa gravi et proportionata; nempe, ex ejus consensu, saltem legitime præsumpto.

11. Committit injuriam per se gravem, qui scienter alium inducit in errorem speculativum vel practicum, sive circa veritates naturales, sive præsertim circa supernaturales: item, qui, cum ex officio teneatur docere veritatem, sua omissione causa est, qua alter in errore, aut in ignorantia permaneat.

111. Gravissime peccat contra justitiam, qui medio injusto alium inducit ad peccandum, vel a bono opere faciendo abducit: minime vero contra justitiam peccat, qui id faciat scandalo, vel alio medio in se malo, at non injusto.

231. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Gravissime contra justitiam peccant, qui mendacibus assertionibus aut promissionibus, vel ope magnetismi aut hypnotismi aliarumve recentium superstitionum, alicujus hominis facultates intellectuales pervertunt, vel ipsam ejus voluntatem suo arbitrio subjugant omnino.

2.ª Contra justitiam graviter peccant, qui fraudulenter alios sensim sine sensu dementant venenis, potionibus alchoolicis, vel aliis mediis similibus.

3.ª E contra non peccant contra justitiam, licet peccare possint contra caritatem, qui damna in hisce bonis spiritualibus inferant alicui scienti et volenti.

4.ª Nullatenus peccat chirurgus, qui vino aliisve mediis infirmum privat temporanee usu rationis, ut hic possit operationem chirurgicam subire.

232. *Ex Princ. II.* — 1.ª Peccant contra justitiam, qui, abutentes simplicitate vel credulitate puerorum et rudium, errores, sive dictis, sive scriptis, persuadent iisdem contra fidem vel mores.

2.ª Contra justitiam, præterquam contra fidem, peccant adhuc gravius concionatores, qui errores aut dubia auditoribus insinuent circa realitatem ignis inferni, circa æternitatem pœnarum, etc. Eorum enim auctoritas talis est, ut naturaliter et quasi necessario illi errores mentibus quorumdam auditorum suadeantur, quin et persuadeantur.

3.ª Item contra justitiam peccat confessarius, qui errorem doceat pœnitentem; sive ei obligationem intimando, qua non tenetur; sive ab ea, qua tenetur, solvendo.

4.ª Generatim omne mendacium, quatenus natura sua tendit ad decipiendum audientem, est peccatum contra justitiam; et quidem multiplex, si præter deceptionem alia quoque damna aut audienti aut aliis inferat.

5.ª Demum, contra justitiam peccant, qui ex contractu cum parentibus vel cum communitate se obligarunt ad pueros in grammatica, vel scientia, vel arte edocendos, si postea, suum munus negligenter obeundo, aut male doceant aut insufficienter.

233. *Ex Princ. III.* — 1.ª Rei sunt peccati gravissimi injustitiæ illi, qui metu incusso puerum vel puellam inducant ad peccandum; puta, ad mentiendum, ad furandum, ad actus turpes committendos.

2.ª Item contra justitiam peccant, qui, sive incommoda vitæ religiosæ exaggerantes aut confingentes, sive minis illatis, aliquem a vita religiosa amplectenda deterreant; item, qui id faciant circa statum clericalem suscipiendum, aut rationem vitæ perfectioris ineundam.

ART. II. — De injuria in bonis fortunæ

234. Injuria in bonis fortunæ committi potest tum immediate, tum mediate; prout actio læsionem juris producit ex se, vel mediante causa aliqua intermedia. Ita incendendo domum Titii, Titio infertur injuria immediate; ipsum Titium occidendo, mediate infertur injuria uxori et filiis, qui mediis honeste vivendi privantur. Item injuria, præsertim immediata, inferri potest proximo, sive auferendo ejus rem, sive mere damnificando in suis bonis aut juribus.

Quoniam normæ tum theoreticæ, tum pro utroque modo practicæ, identicæ sunt, ideo, aliorum methodum sequentes, agemus fuse de ablatione rei alienæ, seu de furto; dein de causis, quæ reatum furti ab ablatione rei alienæ tollunt; pauca in fine adjicientes de injusta damnificatione.

§ I. — De ablatione rei alienae.

235. Ablatio rei alienæ, quæ sit injusta, *furtum* dicitur. Itaque *furtum* definitur « ablatio rei alienæ, domino rationabiliter invito », vel « ablatio injusta rei alienæ ». Dicitur: *ablatio;* quo nomine comprehendi potest et *detentio,* postquam detinens noverit rem esse alienam. Dicitur: *rei alienæ;* nempe, quæ nec sit auferentis, nec nullius, sed sit alterius. Dicitur: *injusta,* seu *domino rationabiliter invito;* non enim est injusta, si aut dominus invitus non est, aut invitus est irrationabiliter. — Quidam ad notionem furti exigunt, quod ablatio fiat *occulte,* ut furtum distinguant a rapina; quæ est rei alienæ ablatio coram domino et cum vi eidem illata. Item quidam adjiciunt, quidam vero supponunt, quod ablatio vel detentio rei alienæ fiat intentione faciendi eam rem suam.

Malitiæ, quæ propria est furti, accedit nova malitia injuriæ in personam, si sit *rapina;* item malitia sacrilegii, si ejus materia si res sacra. Ceteræ, quæ accedere possunt, circumstantiæ non addunt furto malitiam specifice diversam, sed tantum eam possunt aggravare.

236 **Principia. I.** Furtum est peccatum mortale *ex genere suo*. Opponitur enim justitiæ commutativæ; ac insuper a divina Scriptura recensetur inter peccata, quæ excludunt a regno cælorum [1]. Tamen esse potest veniale propter parvitatem materiæ.

II. Furta in materia levi absque notabili intervallo multiplicata coalescere possunt in gravem materiam, ita ut pertingere possint ad materiam peccati mortalis; et quidem, sive fiant in damnum ejusdem personæ, sive in damnum plurium. Ratio prioris est, quia per plura furta minuta dominus tandem pati potest damnum vere grave, et proinde potest inde graviter et rationabiliter invitus esse. Ratio alterius est, quia secus facile furta levia multiplicarentur, et propterea singuli proprietarii facile subire cogerentur damna vere gravia; et insuper publica tranquillitas nimis periclitaretur.

III. Eadem ratione ac furtum, est peccatum *ex genere suo mortale* damnificatio injusta; ac proinde etiam damnificationes leves multiplicatæ coalescere possunt in materiam gravem.

237. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quænam materia censenda sti gravis in furto (aut in damnificatione)?

Resp. Quæstio quidem est gravissimi momenti et usus frequentissimi pro confessariis; qui, non solum judicare debent de gravitate vel levitate peccati commissi, sed insuper perpendere ac secum definire debent, num imponere debant obligationem restituendi sub intimatione denegandi secus absolutionem. — Itaque:

1.° Eo quod gravitas peccati pendet ex gravitate damni, quod proximus pati cogitur ex furto, hoc autem damnum in eadem quantitate materiæ levius vel gravius est, prout honestior vel humilior est ejusdem status; ideo necesse est adesse normam quamdam *relativam*, juxta quam gravitas vel levitas peccati determinanda sit pro diversa conditione œconomica personæ damnificatæ. Si francum unum auferas ab habente decem, habet adhuc novem, e quibus aliquandiu vivere poterit; si unum auferas ab habente unum, habet nihil [2]; et unde vivet?

Hoc posito, fundamentum hujus normæ relativæ communiter ponitur quod habetur apud S. Alphonsum, « illam esse gravem materiam, quæ alicui juxta ejus conditionem in die sufficeret pro sui suæque familiæ sustentatione; in qua, non solum computatur victus, sed etiam

1) Matth. *XIX. 18;* I. Cor. *VI. 10.* — S. Thomas *Qu. 66, art. 3;* De Lugo *Disp. XVI;* Lessius *Lib. II. Cap. XII;* S. Ligorius *III. Tract. V. Num. 518, seqq.*

2) « In amissione unius gallinæ plus pauper gravatur, quam unus multum dives gravaretur in mille marcis ». S. Thomas *De eruditione Principum. VII. 8.*

vestitus et habitatio » [3]. Dein ad particulares applicationes descendit. Circa quas duo advertunt recentes: *a*) Multum a tempore S. Alphonsi ac præsertim recenter, deminutum fuisse valorem pecuniæ; *b*) valde auctas esse exigentias vitæ hodiernæ; adeo ut ei familiæ, cui decem abhinc lustris pro honesta unius diei sustentatione franci quinque sufficiebant, hodie vix decem sufficiant.

Attenta actuali rerum conditone, hæc pro norma relativa videntur esse statuenda: *a*) Relate ad personas, quæ pauperes sint sensu objectivo (non mere legali) ad furtum grave videtur requiri et sufficere summa inter unum et duos francos. — *b*) Relate ad operarios, qui labore vel servitio aut officio diurno victum sibi et familiæ comparant requiritur et sufficit summa æquivalens salario vel stipendio, quod dietim percipiunt. — *c*) Franci plus minus viginti videntur requiri relate ad personas ex arte liberali mediocriter viventes: franci circiter triginta relate ad divites satis commode viventes ex reditibus. — *d*) Juxta sensum communem theologorum, relate ad personas ditissimas, ad publicum ærarium, ad societates exorbitantia habentes capitalia, recurrendum est ad normam absolutam; de qua mox dicendum.

2.° Insuper necesse est dari materiam quamdam gravem absolute, h. e., independenter a conditione personæ damnificatæ; quæ norma appellatur *absoluta*. Hoc postulat uterque, at præsertim finis alter, virtutis justitiæ, qui est tranquillitas publica. Cum enim personæ sive physicæ, sive morales opulentissimæ ex privatione summæ etiam ingentis non valde damnificentur neque tristentur, furtum etiam summæ ingentis ex norma relativa esset peccatum veniale: cum vero venialia non adeo homines perterreant, ideo ea furta facile multiplicarentur, ac ita ex pluralitate furum et multiplicitate furtorum gravia damna divitibus inferrentur, ac de ipsa publica tranquillitate societatis, et de publica securitate actum esset.

Juxta sententiam hodie moraliter certam, absolute gravis haberi debet summa vel valor francorum inter quinquaginta et centum [4].

Ceterum hæ normæ accipiendæ sunt cum extensione quadam morali; ac ad prudentiam confessarii pertinebit easdem in singulis casibus applicare, præ oculis habendo circumstantias personæ damnificantis, personæ damnificatæ, temporis, loci et facti in concreto.

Qu. 2. Quænam materia furti habenda sit ut gravis, quando non constat de conditione personæ damnificatæ?

Resp. In casu, quo ne late quidem ea conditio cognosci possit, præsumendum est eam personam fuisse conditionis communioris seu mediæ: quare habendus erit ut materia gravis valor francorum decem circiter vel duodecim. Norma in hoc casu adhibenda appellatur a quibusdam *absoluta;* quod certe claritati non prodest.

3) S. LIGORIUS *Num. 527;* qui tamen eam normam ut absolute suam non habet.
4) PALMIERI in ipso textu Gury Num. *607;* SABETTI *404;* OJETTI ad v. *Furtum.* Cf. et NOLDIN *Num. 415;* ARREGUI pag. 181 Nota 1; SEBAST. *315.*

Qu. 3. Quænam erit materia gravis in furto rei sacræ pretio non æstimabilis?

Resp. Ea, de cujus ablatione dominus, vel possessor, vel administrator responsabilis graviter tristabitur, et quidem merito. Ita, si ageretur de furto alicujus reliquiæ insignis et magnæ venerationis. Idem dicatur de furto cujuscumque rei, quæ, cum parvi in se sit valoris, tamen propter motivum aliquod extrinsecum et grave domino est pretiosissima; qui proinde prævidetur privationem ejus ægerrime laturus esse, et quidem juste.

Qu. 4. Quænam materia censeatur gravis in furtis filiorum et uxorum?

Resp. Generatim censent theologi in furtis filiorum requiri quantitatem duplo majorem, quam in furtis extraneorum. Ratio est, quia bona ablata aliquo modo manent in familia; et, quamvis pater inde tristetur, et forte magis quam in furtis extraneorum, potius quam de damno sibi illato, tristatur de mala actione filii, et de malo fine, ad quem probabiliter furtum ordinatur.

Relate ad uxores, dicunt eis magis esse indulgendum, præsertim si res ablatas adhibeant in usus familiæ, aut etiam suorum consanguineorum.

Qu. 5. Quænam materia habenda sit ut gravis in furtis famulorum?

Resp. Si agatur de re vel de summa unico furto sublata, nullatenus requiritur ad peccatum mortale materia gravior, quam in furtis extraneorum. Imo videretur potius minor sufficere: jure enim dominus inde magis tristatur, quam de furto personæ extraneæ; cum hæc famuli infidelitas magis opponatur illi securitati, qua dominus quisque gaudere vult circa personas familiares. — De furtis minutis, mox dicemus.

Qu. 6. Utrum, et quatenus peccet, qui fraudat pretium schedulæ in itineribus viæ ferreæ?

Resp. Generatim recentes affirmant in hoc haberi peccatum contra justitiam, præsertim si via ferrea sit in proprietate alicujus societatis: quoad materiæ gravitatem, dicunt standum esse normæ absolutæ. — Ceterum conscientia satis communis etiam hominum proborum practice aliter tenet; quod et ipsi societatum moderatores nosse debent. Res pronior, si viarum proprietas sit penes gubernium.

238. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Quænam quantitas requiratur ad materiam gravem in furtis minutis?

Resp. 1.° Si agatur de furtis in damnum unius personæ vel familiæ patratis, dicunt requiri saltem summam quantitatis ordinarie gravis cum dimidio; applicando pro diversa personæ vel familiæ conditione normam, sive relativam, sive absolutam. Id valet in primis de furtis minutis famulorum in damnum familiæ. At, si hi sibi sumant ex alimentis vel potibus non extraordinarii valoris et non speciali ratione custoditis, difficile et fere numquam ad peccatum mortale pertingent; dummodo hæc domo non asportent.

2.° Si agatur de furtis, quæ unico actu fiant in damnum plurium personarum, videtur saltem duplicanda esse quantitas 5. Verum, si damnum inferatur alicui personæ morali, puta ærario publico, arcæ parcimoniali, familiæ religiosæ, etc., habetur tamquam damnum illatum uni, non ut illatum singulis membris: hinc, si agatur de societate conditionis ordinariæ, de monasterio, de capsa rurali limitata, materia gravis erit inter francos viginti vel triginta; si de societate opulentissima, juxta normam absolutam erit summa francorum circiter centum.

Qu. 2. Quomodo computanda sit materia in furtis rerum expositarum?

Resp. Dicuntur *res expositæ*, quæ alicujus quidem sunt, at non custoditæ; ut sunt fructus secus vias, ligna in agris vel in sylvis, etc. — Itaque: *a)* Si quis viator modicum quid accipiat, ex. gr., unum vel alterum racemum uvæ, ut mox comedat, censetur ne leviter quidem peccare; si usque ad satietatem, non peccare graviter 6: idque ex eo, quod in primo casu dominus non potest esse invitus, in altero non graviter. Idem dicatur de operariis, qui conducantur ad fructus colligendos, de puellis ad eos secernendos vel cistis immittendos, etc. — *b)* Nec censentur peccare, saltem graviter, pauperes, qui ob necessitatem succidant virgulta, vepres, frutices, vel ramusculos e sepibus; cum enim hæc eis quasi ex caritate debeantur, non censentur domini inviti, saltem graviter. — *c)* Peccant vero, saltem singulis vicibus leviter, qui auferunt fructus, castaneas, fabas, grana, etc., ut in usum familiæ adhibeant, aut vendant, aut in posterum seponant; præsertim, si sint alicujus valoris, aut in quantitate non adeo exigua; item, qui succidunt arborum ramos, aut sepes vastant, aut vinearum palos auferunt, etc. Difficile tamen est, judicare utrum et quando hujusmodi furta in materiam gravem coalescant.

Qu. 3. Undenam fiat, quod plura furta minuta coalescant in unam materiam gravem?

Resp. Potissime ex triplici capite: Ex *intentione*, ex *multiplicatione* non moraliter interrupta, ex plurium *conspiratione*. — *a)* Ex *intentione*. Qui furtum in se leve committat intentione iterandi et perveniendi ad materiam gravem, jam eo ipso graviter peccat. Ita mercator peccat graviter eo primo actu, quo mensuras vel pondera leviter falsificat, lucrum notabile intendendo. — *b)* Ex *multiplicatione* moraliter non interrupta. Per hanc enim fit, ut singuli actus furandi moraliter in unum actum uniantur, et unum peccatum constituant, cujus objectum totale est summa totalis ablata. Qua ratione autem habetur, vel non, ea moralis interruptio, difficile est definire. Certe habetur, si post primum furtum habeatur ejusdem retractatio per restitutionem, aut saltem per

5) Imo triplicanda, si quis pluribus pluries furetur, ut cœnopolæ, mercatores, etc. D'ANN. *Num. 254;* etc. — Cf. GENN. *Cons. mor. LXIII*, et *Quest. mor. 551.*

6) S. LIGORIUS *Num. 529.* Recentes id limitant ad eos fructus qui hodie non multum æstimentur; ita NOLDIN *Num. 418.*

dolorem: item habetur, si inter unum et aliud furtum habeatur notabile intervallum; quod quantum esse debeat, nimis inter se disputant theologi. Itaque confessarius cum hujusmodi pœnitentibus maxime insistat, ut a furtis iterandis definitive desistant; quoad judicium de peccato gravi vel levi commisso, se et pœnitentem non frustra contorqueat, sed eumdem sincere dolentem absolvat: quoad obligationem restituendi *sub gravi* vel *sub levi*, faciat id, quod ejus prudentia in singulis casibus suggeret; raro restitutionem fieri consequetur. — *c*) Ex *conspiratione* plurium in grave damnum alicui vel pluribus inferendum. Inde fit, ut singuli sint auctores unius furti in materia levi, simul et cooperatores ad omnia furta levia aliorum, et concausa damni gravis proximo inferendi; in hoc singuli peccant graviter.

Quando furta coalescunt ratione intentionis, peccatum mortale fit, dum primum furtum leve patratur, ni forte et antea: quando coalescunt ex multiplicatione, peccatum grave fit ultimo furto levi materiam relative vel absolute gravem complente: quando coalescunt ratione conspirationis, peccatum mortale a singulis committitur ipso actu conspirandi. Tamen in omnibus casibus obligatio restituendi *sub gravi* non habetur, nisi cum de facto materia relative vel absolute gravis completur.

239. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Quibus modis committatur damnificatio proximi injusta?

Resp. Potissimum modis quatuor: *a*) Rem alienam injuste destruendo, vel quacumque ratione deteriorando; *b*) alium impediendo a consecutione boni, ad quod jus strictum habet; *c*) alium mediis injustis impediendo a consecutione boni, ad quod jus non habet; *d*) non impediendo damnum alterius, quod quis ex justitia impedire teneatur.

Hinc: *a*) Injuste damnificat, non modo qui intentione directa rem alterius destruat vel deteriorem faciat, sed et qui alterutrum præstet indirecte, scil., negligentiâ, incuriâ, imprudentiâ; dummodo hæc damni alterius causa sit voluntaria. — *b*) Peccat contra justitiam, qui agit apud civiles auctoritates, ut parocho jam electo et nominato regium *placet* denegetur; item qui suasionibus vel precibus patrem inducit ad privandum filium legitima hereditate. — *c*) Contra justitiam peccat, qui aut calumniis aut etiam detractionibus facit ut pauper eleemosynis privetur; qui iisdem artibus efficit ut quis a matrimonio, ab officio, a famulatu, ab honesto lucro impediatur, qui vi illata impedit, ne quis incendium domus alterius exstinguat; etc. Qui vero hæc faciat precibus, suasionibus aliisve mediis non injustis, contra justitiam non peccat; peccabit contra caritatem, si hæc faciat ex odio. — *d*) Demum peccat contra justitiam, qui pretio ad custodiendum agrum vel domum conductus, stationem deserat; a fortiori medicus conductus, qui infirmum negligat; advocatus, qui negotia clientis non curet; magister, qui suum officium diligenter non impleat, etc.

Qu. 2. Utrum damnificatio, in se non injusta, fiat injusta ex eo quod ponitur intentione nocendi?

Resp. Juxta alibi dicta, *negative*. Nam sine reali juris alterius læsione non habetur realis injuria. Tamen desiderium inferendi injuriam injuriosum est; cum desiderium suam malitiam specificam sumat ex objecto desiderato.

240 **Scholion.** — I. *De relatione inter furtum et damnificationem injustam.* — 1.° E duobus peccatis, peccatum damnificationis naturâ suâ gravius est, quam peccatum furti. Cum quis alteri furatur, intendit emolumentum proprium; ad quod, tamquam medium, vult damnum alterius: nisi quis dicere malit eum velle malum alterius indirecte tantum et in causa, nempe in emolumento sibi quæsito. Cum vero damnificat, ipsum damnum alterius intendit tamquam finem, et quidem tamquam finem ultimum, saltem intrinsecum 7. Ergo per se major est malitia damnificationis, quam furti.

2.° Ratio, qua proprie malum est furtum, non est quod quis re aliena ditescat; sed est quod quis alterum re sua privet, adeo ut pro illo res sua sit veluti destructa: seu ratio malitiæ furti proprie est damnificatio alterius. — Forte hæc notasse juvabit.

II. *De damnificatione mediata.* — Damnificatio mediata est ea, quæ damnum alterius producit mediante alia actione interposita; quæ potest esse injusta vel non injusta, ac damni alterius vera causa efficax vel mera occasio. Ita ex injusta occisione patris sequi potest egestas filiorum, tamquam ex causa; ex eadem, tamquam ex occasione, sequi potest etiam quod homicidium alicui innocenti imputetur, et inde tum ipsi, tum ejus familiæ dampa gravissima obveniant.

Ista damnificatio mediata tunc est injusta formaliter, cum est voluntaria; sive directe, quatenus damnum alterius per interpositas actiones, ceu causas, intendatur; sive indirecte, quatenus volitum sit in volitione causæ, cum prævisione saltem confusa mali effectus secuturi. Quod si actio posita, nedum mediate, sed et valde remote sit causa damni alterius, vel tantum occasio, ex qua illud accidentaliter sequitur, hoc damnum non erit agenti voluntarium, neque ejus actio formaliter injusta, deficiente ejusdem prævisione 8.

§ II. — Causae ablationem rei alienae justificantes.

241. Præter casum evidentem, in quo dominus circa ablationem rei suæ invitus non sit, dantur alii duo casus, in quibus invitus esse non potest rationabiliter, ac proinde exsulat definitio furti. Hi sunt: *necessitas* alterius indigentis, et *compensatio* occulta.

7) Si quis damnum inferat propter mercedem sibi promissam, hic est finis *operantis*.

8) De casu, quo actio fuerit mera occasio, at posita ad finem nocendi, dicemus *Num. 278, Qu. 3.* — Interim cf. VERM. *Num. 171 bis;* BALL. *115.*

Puntum I. — *De alterius necessitate.*

242. Quinam sint varii gradus necessitatum corporalium, alibi ostendimus. Tamen necesse est fateri hos gradus non eosdem, nec iisdem terminis definitos apud omnes theologos inveniri: inde difficultas determinandi quid singuli doceant in hac materia. Haud raro rectum criterium securiores normas dabit, quam doctrina theologorum.

Principia I. Qui versatur in necessitate extrema, *a*) potest, et *b*) per se loquendo debet, tantum ex bonis alterius sibi occupare, quantum necesse est ad se a tali necessitate eximendum. Ratio prioris est, quia dominium privatum non potest præjudicare juri alieno ad vivendum, ac proinde relate ad exsistentem in necessitate extrema omnia bona fiunt communia [9] ratio alterius est, quia quisque tenetur suam vitam mediis ordinariis conservare. Quoad utrumque excipiendus est casus, quo et alter in eadem necessitate extrema versetur; nam in pari causa melior est conditio possidentis.

II. Qui versatur in necessitate communi, non potest se ab hac necessitate sublevare, sibi res alienas occupando. Ratio est, quia natura non disposuit hujusmodi res debere esse communes. Eadem de causa id non licet versantibus in necessitate gravi [10]; eo vel magis, quod ab hac se sublevare generatim non possent, nisi sibi occupando res aut summas magni momenti.

243. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Jus occupandi quod habet exsistens in necessitate extrema, infert aliis obligationem justitiæ non impediendi occupationem, minime vero obligationem tribuendi quod illi est necessarium; ita nec peccat contra justitiam, qui res suas occultet.

2.ª Si alicui ad eximendum se a necessitate extrema necesse sit rem alienam suam facere et consumere, id licite facere potest, et, *per se*, debet. At, si satis sit habere rem commodatam aut mutuatam, eam sibi potest et debet accipere cum onere et cum intentione restituendi postea domino rem suam, vel aliam cum re mutuata fungibilem. — Hinc:

3.ª Si ei necesse sit uti equo alieno ad persecutorem evadendum, jus habet utendi eo equo, tamquam alieno; et quidem, aut gratis, aut pretio, prout non habet, vel habet in re, aut saltem in spe, pretium pro usu equi alieni solvendum.

9) S. Thomas *Qu. 66. art. 7;* Lessius *Lib. II. Cap. XII. 66, seqq.;* De Lugo *Disp. XVI. 138.* — De codicibus modernis Verm. *Num. 245.*

10) *Prop. 36* damnata ab InnocentioXI. Aliter Lessius *loc. cit.* at necessitas gravis pro ipso est *valde gravis*, et forte ea, quæ ab aliis *quasi-extrema* habetur.

4.ª Si ei necesse sit rem alienam suam facere absolute et consumere, æquivalentem vero illius vel pretium, nec in re habeat omnino, nec in spe, eam suam facit absolute, et jure consumit; nec tenetur æquivalentem vel ejus pretium retribuere, si deinceps præter prævisionem et spem potens fiat.

5.ª E contra, si habeat alibi, aut prævideat vel speret se habiturum esse in posterum, eam quidem suam facit et jure consumit; at æquivalentem vel ejus pretium retribuere tenebitur.

6.ª Ut quis sibi possit in necessitate ex bonis alienis subvenire, indifferens est, quod ea necessitas sit ex causis naturalibus, puta ex egestate vel naufragio, aut ex causis voluntariis et liberis, puta ex latronibus: semper enim verum est, quod est ea necessitas, quæ pro ipso facit omnia esse communia.

7.ª Quæ de necessitate extrema dicuntur, eadem plus minus dici possunt de quasi extrema; si per eam indicetur casus ille, quo, non quidem malum gravissimum certe imminet, sed ejusdem habetur valde probabile periculum: hæc duo in rebus moralibus non differunt.

8.ª Tamen in naufragio non potest quis arripere tabulam, quam alter naufragus habet, quæque uni tantum salvando par sit.

244. *Ex Princ. II.* — 1.ª Pauperes communes titulum habent, quo divites ex bonis sibi superfluis subvenire eisdem debeant ex caritate. Hoc sensu, « homo (dives) non debet habere res exteriores ut proprias, sed ut communes; ut, scilicet, de facili eas communicet in necessitate aliorum » 11. Nulla tamen inde est diviti obligatio ex justitia; neque pauperi ullum jus.

2.ª Qui sunt pauperes, sive medicantes, sive laborando miseram vitam agentes, bona sibi necessaria a divitibus petere debent, non sibi surripere. Hinc non sunt facile excusandi a peccato qui ex alienis agris ligna, grana, fructus, etc., sibi surripiunt, sub eo prætextu quod indigent, nisi hæc eorum indigentia dici queat quasi-extrema: hinc de odiernis exigentiis judicandum.

3.ª Pauperes, qui hæc faciant eo titulo, quod divites hisce omnibus abundant, dum ipsi egestate premuntur, facile sunt socialistæ; h. e., fures: nedum practice, sed etiam theoretice.

4.ª Si quis, munere publico et honorifico insignitus, ære alieno gravatus sit, non potest se ab hoc discrimine eripere summam debitam surripiendo; etsi secus debeat suo muneri abdicare, et ad conditionem inferiorem dilabi.

245. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum quis possit rem alienam surripere ad subveniendum necessitati extremæ vel quasi-extremæ alterius?

Resp. Affirmative; saltem, si ex bonis suis subvenire non valeat;

11) Leo XIII Encycl. *Rerum novarum*, ex S. Thoma *Qu. 32 art. 5 ad 2.*

omnia enim quoad illum indigentem sunt communia [12]. Quare id verum est, tum si agatur de necessitate suorum, tum si de necessitate extraneorum.

Qu. 2. Utrum quis possit se, vel alium, a necessitate extrema vel quasi-extrema sublevare, quando ad hoc summa ingens pecuniæ requiratur ?

Resp. Duplex est veterum theologorum sententia, utraque certe probabilis. Juxta S. Alphonsum, id licet, etiam si agatur de summa vere ingenti [13]. Ratio ejus est, quia relate ad exsistentem in ea necessitate fiunt communia omnia, ac proinde etiam summa ingens: hinc, qui versatur in ea necessitate, potest, et *per se debet*, eam summam sibi usurpare; excepto casu, quo dominus in eadem necessitate versetur. Juxta De Lugo, ille, qui est in ea necessitate, potest se ab ea eripere iis mediis, quibus debet; porro hæc sunt media ordinaria, non media extraordinaria, cujusmodi esset occupatio summæ ingentis alienæ, aut etiam consumptio summæ ingentis propriæ [14]. E recentibus, alii sequuntur opinionem S. Alphonsi, alii opinionem De Lugo; alii censent exsistentem in ea necessitate, non teneri quidem, at posse, eam summam sibi sumere [15]; alii ajunt eum posse sibi assumere rem magni valoris, at non eam, quæ sit valoris prorsus ingentis; alii controversiam proponunt, quin uni vel alteri opinioni expresse accedant [16].

Omnibus perpensis, hæc videretur tenenda conclusio: Exsistens in necessitate extrema vel quasi-extrema potest rem pretiosam vel summam notabilem sibi occupare; dummodo non agatur de re valoris prorsus ingentis, vel de summa extraordinaria.

Verum, si medicus edicat ad recuperandam matrisfamilias, secus certo et brevi morituræ, valetudinem, unum medium superesse, quod ea ad sanatorium longe dissitum mittatur, ibique exquisitissimis remediis curetur, quibus summa francorum quinque vel decem millium necessaria erit, ejus autem filius, nihil habens, hanc summam e publico ærario, aut ex arca opulentissimæ societatis vel familiæ subducat, admodum difficile erit eumdem de peccato damnare. Idem dicatur de eo, qui mortem timet a sicariis jam sibi intimatam, nisi talem pecuniæ summam in locum designatum afferat.

Insuper ratio habenda est proportionis inter bonum periclitans, et rem vel summam ad illud avertendum necessariam.

Qu. 3. Si quis, exsistens in extrema necessitate, occuparet rem

12) Cf. S. THOMAM *2. 2. Qu. 66, art. 7;* GURY *Num. 618,* ibique BALL. *Nota 4.* Contra putat TANQU. *Num. 449, 3,* si ex bonis suis valeat.

13) S. LIGORIUS *Lib. III. 520, Qu. 3;* ei adhærere videtur D'ANN. II. *Num. 256, 52.*

14) DE LUGO *De just. Disp. XVI. 146, 154;* et adhærere videntur BALL. et PALM. *Tract. VIII. N. II. Num. 29, 30,* et ad GURY *619.*

15) NOLDIN II. *424.* — Cf. SABETTI *Num. 407 Qu. 2.*

16) FERRERES *Num. 755;* BER. *1255;* LEHMK. *937,* et *Casus 634;* GEN. *503;* TANQU. *450.*

alterius, hic vero nunc in eadem necessitate versetur, debet ne eam domino reddere ?

Resp. Si ille in extremam necessitatem lapsus est prior, occupando rem, alterius quidem, at quoad se communem, eam suam fecit; nec eam reddere tenetur: si vero in necessitatem lapsus est post dominum, vel simul cum eo, ea res non erat communis; ergo, eam occupando, occupavit alienam, ac eam reddere debet.

246. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Si vir honoratus, e suo statu dilabens, laborare vel mendicare puderet, posset ne sibi et familiæ providere ex bonis alienis ?

Resp. Juxta dicta superius, *negative*. Tamen id concedendum esse videtur in casu, quo pudor tantus esset, ut ille vir tali vitæ mortem præferret; tunc ejus necessitas videretur esse nimis gravis et quasi extrema [17].

Punctum II. — *De compensatione occulta.*

247. *Compensatio* in genere est recuperatio juris proprii per occupationem vel detentionem rei alienæ. Alia est *propria* seu *legalis*, quæ in contractibus obtinet. et definitur « debiti et crediti inter se invicem contributio » [18]. Alia est *impropria* seu *occulta*, et definitur « sui juris recuperatio, per occupationem vel detentionem rei alienæ, inscio debitore facta ». — Ut hæc compensatio licita sit, necesse est, quod nulli opponatur virtuti; maxime vero non opponatur justitiæ.

Principia. I. Compensatio occulta est immunis a reatu injustitiæ, quoties dominus rei, cujus occupatione vel detentione quis se compensat, non potest esse invitus rationabiliter. Ad hoc autem omnino requiritur, ut, qui se compensat, jus habeat verum et strictum ac moraliter certum; neque in sui compensatione jus suum ullatenus excedat.

II. Compensatio occulta est omnino licita, si insuper nulli alii virtuti opponatur; nominatim obedientiæ erga publicam auctoritatem debitæ, et caritati erga debitorem et alios.

248. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si dominus in signum gratitudinis famulo promiserat se ei daturum, aut testamento relicturum, horologium vel summam pecuniæ, famulus, etiam defuncto domino, non potest horologium vel summam promissam sibi assumere.

2.ª Ille, cui faveat testamentum informe, non potest seipsum oc-

17) S. Ligorius *Num. 520*, et *Homo Apost. X. Num. 15*; Scav. *704, Nota 5.*

18) De hac vide C. c. art. *1285, 1295.* — Cf. Scavini *Num. 630, 5.*

culte compensare; ejus enim jus mere probabile est [19]: censemus tamen hunc posse res jam possessas retinere, quousque repetantur.

3.ª Si dominus famulo salarium conventum non solvit, aut non integrum solvit, famulus sibi potest compensare, aut pecuniam, aut res pretio æstimabiles surripiendo [20]. Idem dicatur de operario quoad mercedem, de socio quoad quotam, de colono partiario quoad partem sibi debitam; generatim de quovis contrahente quoad conditiones justi contractus ab altero contrahente non servatas.

4.ª Qui sententia injusta, etiam mere materialiter, damnetur ad solvendum debitum, quod non habet, juste sese compensare potest: ea enim sententia nullum jus dat putatitio creditori.

5.ª Si forte contingat quod debitor, post factam compensationem, suum debitum creditori persolvat, hic tenetur aliqua ratione illum indemnem facere, rem sibi occupatam vel rem acceptam restituendo. At, si habeantur incommoda extrinseca et gravia, damnum debitoris non est imputandum creditori [21].

6.ª Nemini licet, salva justitia, se compensare ex bonis aliorum, præter quam ejus, erga quem jus strictum habet. Sic famulus, aut operarius, colonus, etc., non potest se compensare ex bonis domini propter jus, quod haberet ex bonis mediatoris, factoris, administratoris [22], etc. Neque ille, qui monetam chartaceam spuriam pro legitima a quopiam accepit, potest titulo compensationis eam alteri tradere ut pretium mercis vel operæ acceptæ [23].

249. *Ex Princ. II.* — 1.ª Regulariter, qui jus se habere novit, debet ipsum repetere, prius privatim, dein judicialiter; at, si se compenset, omissa petitione privata, imo et omisso recursu, non peccat contra justitiam commutativam, neque contra socialem peccat graviter.

2.ª Si petitio privata, aut recursus ad judicem gravia afferat incommoda, puta dissolutionem amicitiæ cum debitore, vel amissionem officii lucrosi apud eumdem, sumptus graviores pro re minoris momenti, etc., qui seipsum clam compenset, ne leviter quidem peccat.

3.ª In occulta compensatione haberi potest peccatum etiam grave contra caritatem, si absque gravi causa creditor sibi occupet rem specie diversam ab ea, quæ sibi debetur; et multo magis, si rem, quam novit creditori pretiosissimam et carissimam esse.

4.ª Qui se compensat, curare debet, ne debitor maneat in erronea

19) S. Ligorius *III. 928, 3;* Ball. *Tract. VIII. P. III. 713;* D'Ann. *255, 40;* Verm. *333 Not. 2.* — Quæstio implexa, de qua ubi de testamento.

20) Non inde sequitur quod compensare se possit, quoties *judicat* operam suam majorem esse salario, quod recipit. — Genn. *Cons. mor. CXXII.*

21) Plures alios casus proponit et resolvit Berardi *Num. 1193-1242.*

22) Forte excipiendus casus erit, quo administrator familam opulentissimam vel societatem in omnibus negotiis repræsentet, et prorsus impossibile sit se ex bonis ejusdem compensare: videretur familia vel societas omnia sua jura et onera illi administratori commisisse.

23) Cf. Gennari *Consult. mor. LXII.*

opinione debiti sui adhuc permanentis, et forte suum debitum iterum solvat: at hæc obligatio est ex caritate tantum, et proinde non urget cum incommodo relative gravi.

5.ª Qui se compensat, si famulus sit, aut operarius, etc., cavere debet, ne forte inde alii famuli vel operarii suspicionibus falsis graventur: hæc quaque obligatio est ex caritate; at urget cum incommodo majori, quam in casu præcedenti [24].

250. **Scholion.** – I. *Regulæ practicæ circa compensationem:*

1.ª Confessarii haud faciles sint in consentiendo compensationibus occultis; tum eo quod pœnitentes in judicando de suo jure et ejus extensione sunt judices in causa propria; tum ad evitandum periculum quod hisce compensationibus assuescant et paulatim veri fures evadant.

2.ª Si pœnitens videatur esse persona recti criterii ac timoratæ conscientiæ, confessarius debet ejus assertionibus acquiescere, sub ea conditione expressa vel tacita « si vera sunt exsposita ».

3.ª Post factam compensationem, confessarius non imponat obligationem restituendi, nisi certo constet compensationem fuisse injustam.

4.ª Tum confessarii, tum parochi, data opportunitate, moneant dominos, operum redemptores, opificiis præpositos, etc., ut in contrahendo cum famulis et operariis æquitatis et humanitatis jura recognoscant, ac dein conditiones contractuum ad apicem servent; ne secus famulorum et operariorum compensationes occultas provocent, cum damno proprio temporali, illorum vero spirituali.

II. *De causis justificantibus damnificationem alterius.* — Hujusmodi causæ reduci possunt ad necessitatem, vel utilitatem relative gravem, sive ipsius personæ damnificandæ, sive presonæ damnificantis, sive tertiæ personæ aut ipsius societatis vel communitatis. Ita chirurgus, ad salvandam vitam infirmi, manum vel pedem ejus amputat; ad præservandam domum meam ab incendio possum trabes ædis vicinæ intercidere; damnatus ad carcerem potest murum diruere, vel portam infringere ut fugiat; sæpe licitum est de proximo, dicendo verum, detrahere ad bonum ejusdem, vel ad bonum proprium, vel ad bonum privatum alterius, ad publicam utilitatem, etc.

III. *De compensatione ab damnificationem injustam.* — *a*) Licitum est se compensare, non modo ob propriam rem ab altero ablatam, sed etiam propter damnum sibi illatum. At ad compensationem non licet damnum inferre damnificanti; sic enim non fit proprii juris recuperatio. Hinc de detrahente non licet detrahere; nec cuipiam licet incendere domum illius, qui ejus domum incenderat. — *b*) Si quis me calumniatus fuerit, non ideo mihi licet eum calumniari: at licebit de ipso dicere quod falsum dixit, imo et quod me calumniatus est; hoc autem, non titulo compensationis, sed titulo justæ defensionis. — *c*) Si duo ad invicem alter domum alterius incenderint, uterque obligatur ad pretium do-

24) Casus alii apud BERARDI *Num. 1144, seqq;* ZANIN. *1501, sequ.*

mus alteri refundendum: at inter duas obligationes dari potest mutua compensatio, h. e., utriusque obligationis exstinctio. Hoc sensu dari potest compensatio etiam inter mutuas læsiones honoris vel famæ 25.

SECTIO TERTIA.

DE RESTITUTIONE

251. *Restitutio* etymologice est « positio rei in loco pristino »: hinc in re nostra significaret solam redditionem rei alienæ; tamen communiter theologi hoc nomine significant reparationem juris alieni læsi, sive læsum fuerit per ablationem rei, sive per damnificationem. Proinde *restitutio* definiri potest « actus justitiæ commutativæ, quo jus alienum læsum reparatur ».

Præmittimus monitionem S. Alphonsi: « Præsens materia restitutionis sedula consideratione indiget; tum, quia scatet quæstionibus implicatissimis; tum, quia confessarius æque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem pœnitentes, qui restituere tenentur, ac si obliget, qui non tenentur » 1.

Tractationem distribuemus in sex *Capita;* agentes: 1.° De ipsa obligatione restituendi; 2.° de subjecto primario hujus obligationis; 3.° de cooperantibus ad injuriam alterius; 4.° de quibusdam damnificantibus in specie; 5.° de circumstantiis restitutionis; 6.° de causis deobligantibus a restitutione 2.

CAPUT I.

DE IPSA OBLIGATIONE RESTITUENDI

252. **Principia. 1.** Qui læserit jus alienum stricte sumptum, tenetur ex præcepto naturali justitiæ commutativæ jus læsum reparare, obligatione gravi ex suo genere. Ratio est, quia secus injuriam in alium æquivalenter perpetrare pergit; quod est intrinsece et graviter malum. Hinc a sacra Scriptura et a Patribus restitutio exhibetur tamquam conditio necessaria ad obtinendam a Deo remissionem peccati commissi, et ad vitam æternam consequendam.

11. Restitutio facienda est quamprimum moraliter fieri pot-

25) S. Ligorius *Lib. III. Num. 999.*

1) S. Ligorius *Homo apost. Tract. X. Num. 35.*

2) Agunt S. Thomas *2. 2. Qu. 62;* De Lugo *Disput. VIII;* Lessius *Lib. II. Cap. VII. Num. 15, seqq.;* S. Lig. *III. 547, seqq.;* Verm. *155-172.*

est. Ratio est, quia « præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se præceptum negativum, quo prohibemur rem alienam detinere [1]. Consequenter ipsa dilatio restitutionis in se est nova injuria alteri illata.

253. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Eo quod restitutio facienda est ex præcepto, voluntas hoc implendi semper necessaria est; at ejus impletio actualis fieri debet, si habetur moralis possibilitas [2].

2.ª Tenentur ad restitutionem, tum qui graviter, tum qui leviter jus strictum alterius læserint; sed illi *sub gravi;* isti *sub levi*: qui totum restituere non potest, tenetur eam partem restituere, quam potest.

3.ª Qui tenetur ad restitutionem, tenetur etiam ad procurandam sibi possibilitatem restituendi; puta operarius laborando: nam obligatio finis consequendi importat obligationem mediorum.

4.ª Si quis teneatur in materia gravi restituere, et partem restituat, adeo ut pars superstes gravis materia non sit, jam obligationi gravi satisfecit; adhuc tamen tenetur obligatione levi.

5.ª Qui tenentur una vel pluribus obligationibus restituendi *sub levi*, et his recusant satisfacere, frustra satagunt sibi indulgentias plenarias captare: peccata enim levia non remissa quoad culpam sunt irremissibilia quoad pœnam.

6.ª Non tenetur ad restitutionem, qui violaverit officium caritatis, aut obedientiæ, aut cujuscumque justitiæ præter commutativam.

7.ª Si quis furetur anulum æneum, quem putat aureum, peccat graviter; at tenetur de æneo. Si judex proferat sententiam justam, eam reputans injustam, peccat quidem, et graviter; at ad nihil tenetur.

254. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non solum peccant qui recusant restituere, sed et qui, cum possint, nolunt restituere statim; et, si agatur de dilatione gravi in materia gravi sine gravi motivo, peccant mortaliter.

2.ª Multo magis peccant, qui, cum restituere valeant, obligationem restituendi committunt filiis aut heredibus: tamen, si quis restitutionem usque ad mortem distulerit, tenetur hoc onere gravare hereditatem [3].

3.ª Quia minus difficile est non furari vel non damnificare, quam pro furtis vel damnis illatis restituere, spectabit ad sollertiam confessarii invenire et indicare modum, quo minus difficilem reddat pœnitenti restitutionem: item ad ejus prudentiam pertinebit definire, utrum oporteat pœnitentem in bona fide versantem monere, vel non; item, utrum pœnitenti in mala fide versanti, post secundam, vel tertiam monitionem, opportunum sit differre absolutionem, usquedum de facto restituerit.

1) S. THOMAS *Qu. 62 art. 8.* — Cf. LEHMK. *Num. 941;* TANQU. *463.*

2) Quod quidam dicunt restitutionem necessariam esse, aut *in re*, aut *in voto*, hoc commune est omnibus operibus præstandis ex *necessitate præcepti;* imo et quibusdam præstandis ex *necessitate medii*, ut esset pro adulto Baptismus ad vitam æternam.

3) Cf. plures casus apud GURY *Num. 632*, et *Casus 594-598.*

255. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum impotens restituere in bonis ordinis, in quo læsit, teneatur compensare ex bonis ordinis inferioris ?

Resp. Per se, *negative;* bona enim unius ordinis non sunt æstimabilia bonis ordinis diversi: ita fama non est æstimabilis pecunia.

Tamen dari potest ea obligatio per accidens: *a*) Si læsio in bonis ordinis superioris, puta in integritate membrorum, in honore aut in fama, fuit causa voluntaria damnorum in bonis fortunæ, hæc compensari debent aliis bonis fortunæ. — *b*) Qui passus est injuriam in bonis ordinis superioris, potest exigere juridice reparationem; ac, si judex damnet auctorem injuriæ ad compensandum ex bonis ordinis inferioris, hæc sententia justa est, et obligat in conscientia. — *c*) Si passus injuriam, rogatus ab altero, a recurrendo abstineat, tamquam pretium cessionis sui juris exigere potest compensationem in bonis ordinis inferioris. — *d*) Demum monent doctores congruum esse, ut confessarius aliquam compensationem ex bonis fortunæ imponat pro pœnitentia sacramentali. — In hisce casibus aderit obligatio compensandi ex bonis ordinis diversi; sed est obligatio per accidens.

Quinimo, si pœnitens proximo restituere debeat pro damno in bonis fortunæ illato, at impotens sit, poterit ei confessarius suggerere, aut etiam in pœnitentiam imponere, ut Missam audiat, vel rosarium recitet ad impetranda proximo damnificato beneficia divina, vel in suffragium pro defunctis familiæ ipsius, etc.

Qu. 2. Utrum sit gravis obligatio, quando materia gravis constat ex pluribus furtis in damnum plurium personarum, quarum quælibet damnum leve passa est ?

Resp. Affirmative. Eo ipso, quod furtula in materiam gravem coaluerunt, obligatio in materia jam gravi gravis est. Et quidem restitutio fieri debet ipsis personis damnificatis, si possibile est; ac ideo, qui plures damnificavit minuendo pondera in vendendo, si plus minus iisdem vendat, compensare eos debet augendo pondera, vel vendendo pretio minori [4]. — Verum, si nemo graviter læsus fuit, obligatio restituendi iisdem non est gravis; imo ne levis quidem erit, si causa rationabilis accedat.

256. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum ex dilatione restitutionis multiplicentur peccata ?

Resp. Si quando interfuit voluntas restituendi statim, ac dein, hac retractata, nova subiit voluntas differendi, actus mali duo sunt, ac proinde duo peccata. Si mansit eadem voluntas mala differendi, tempus habetur tantum ut circumstantia aggravans. Ceterum difficile est definire in concreto, quandonam ea voluntas procrastinandi restitutionem sit pec-

4) Cum hæc solutio communis sit, et malitia furti sit læsio juris alieni, seu alterius damnificatio passiva, cur eadem solutio extendi non poterit ad damnificationes leves in damnum, sive unius, sive plurium patratas?

catum mortale; excepto casu, quo prævideatur ex sola dilatione novum grave damnum alteri obventurum esse.

257. **Scholion.** — *De radicibus restitutionis.* — *Radix* restitutionis intelligitur factum illud, ex quo inducta fuit inæqualitas seu injustitia; ex quo proinde oritur proxime obligatio restituendi. Apud varios auctores hæ radices diversæ, tum re, tum numero, afferuntur. Tamen fere omnes innituntur doctrinæ S. Thomæ; juxta quem, duæ sunt radices restitutionis. Prima est *res aliena accepta;* altera *injusta rei alienæ acceptio* [5]; quo nomine intelligenda est etiam injusta rei alteri debitæ retentio, et injusta damni illatio: insuper ad utramque dari etiam potest injusta cooperatio.

Quidquid est de proprietate logica divisionis, nobis quatuor videntur esse radices restitutionis: *a*) Possessio rei alienæ in bona fide; *b*) injusta rei alienæ acceptio aut possessio in dubia vel mala fide; *c*) injusta damnificatio; *d*) ad acceptionem et possessionem injustam, aut ad injustam damnificationem, cooperatio. — Omissis radicibus, agemus de subjectis obligationis restituendi juxta methodum, quam tenet S. Alphonsus.

CAPUT I.

DE SUBJECTO PRIMARIO OBLIGATIONIS RESTITUENDI

258. Ex dictis, tenentur ad restitutionem illi omnes, qui intulerunt alteri injuriam damnosam. Hæc autem duplex est: alia *materialis,* qua quis rem alienam accipit, aut tenet, aut etiam destruit, vel lædit in bona fide, putans eam esse nullius aut suam, vel id sibi licere: alia est *formalis,* qua quis rem alienam accipit aut tenet in mala fide, sciens eam esse alienam; vel destruit vel deteriorem facit, etc., vel alium utcumque damnificat sciens et volens.

Juxta hanc divisionem, quam sequitur S. Alphonsus, dicemus de diversis subjectis obligationis restituendi; agendo: *a*) De auctore injuriæ materialis; *b*) de auctore injuriæ formalis [1].

ART. I. — DE AUCTORE INJURIÆ MATERIALIS

259. Injuria *materialis* est actio juris alterius læsiva, quæ nullatenus sit agenti culpabilis seu voluntaria, nec in se, nec in causa.

Principia. 1. Possessor bonæ fidei rei alienæ tenetur eam rem reddere domino, statim ac novit eam esse alienam. Ratio est ex noto axiomate « res clamat ad dominum »; insuper dominus rationabiliter invitus est, quod res sua possideatur ab alio.

5) S. THOMAS *2. 2. Qu. 62, art. 6.* — Cf. BALL. *Num. 107;* VERM. *160;* NOLDIN *436;* GEN. *511*: tertiam radicem addit GURY *633.*

1) S. LIGORIUS *Lib. III. Num. 556, 607, 614, seqq.*

lisdem de causis, si possessor non habet amplius rem, sed habet ex ipsa re emolumentum æquivalens, hoc dare debet domino.

II. Si res aliena apud possessorem bonæ fidei ex integro periit, ea cessat clamare ad dominum, nec possessor tenetur eam reddere domino; at, si ipsa vel ejus emolumentum periit ex parte, quidquid superest clamat ad dominum.

III. Si res aliena penes ipsum possessorem fructificavit, iste, spectato jure naturali, debet eos fructus, aut eorum partem, aut emolumentum æquivalens, tradere domino rei; res enim fructificat domino: secus vero, si ex fructibus nihil supersit.

IV. Qui alteri damnum intulit, materialiter quidem injustum, subjective vero prorsus inculpabile, ac proinde non injustum formaliter, ad reparationem damni illati non tenetur. Ratio est, quia, ut actio damnifica inducat obligationem moralem reparandi, necesse est quod ipsa damni illati causa fuerit in ordine morali: ejusmodi vero non fuit, quoties fuit involuntaria. Tenetur tamen ex justitia impedire suæ actionis damnificæ effectum damnosum, si id possit sine incommodo relative gravi.

260. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Radix hujus obligationis est *res ipsa*, independenter a modo, quo possessor eam acceperit. Sive horologium habuerit ex donatione, sive ex hereditate, sive ex emptione, quando novit ipsum esse alienum, debet reddere domino; ipsum enim horologium clamat ad dominum.

2.ª At, si res aliena transiit in dominium possessoris per legitimam præscriptionem, jam res facta est propria illius; qui proinde in nulla hypothesi ad aliquid erga priorem dominum tenetur.

3.ª Si res aliena accepta in bona fide transiit per accessionem in dominium possessoris, hic tenebitur, aut rem ipsam domino reddere, si facile separabilis est, aut aliam æquivalentem, aut ejus pretium; ut dictum est agendo de accessione.

4.ª Si possessor rem alienam alteri donavit, secus rem aliam ejusdem valoris donaturus, tenetur æquivalens rei domino restituere; habet enim quod sine re aliena non haberet, seu habet ex ipsa re emolumentum.

5.ª Possessor rei alienæ in ea domino restituenda jus habet exigendi ab eo, vel sibi retinendi, expensas, quæ ad rei conservationem necessariæ aut utiles fuerunt 2.

2) Relate ad melioramenta vide C. c. *art. 704.* — Quoad expensas voluptuarias, quæ rei pretium non augent, stricte loquendo dominus non tenetur eas possessori refundere: at durum est ad earum jacturam possessorem bonæ fidei damnare; qui, si ex mera voluptate rem illam destruxisset, ad nihil erga dominum teneretur.

261. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis habebat equum alienum, hic vero durante bona fide mortuus est, mortuus est domino; nec possessor tenetur ejus pretium domino refundere: quod verum est, etiamsi equus mortuus sit incuria aut sævitiis possessoris.

2.ª Si possessor bonæ fidei horologium alteri donavit, secus nihil donaturus, neque ipsum a donatario recipere possit, horologium quoad possessorem periit; at periit domino. Imo, si donatarius statuam donatori retribuerit, hæc non est pretium horologii, nec horologium ut emolumentum ejusdem repræsentat.

3.ª Item, qui horologium dono in bona fide acceptum vendidit pretio infra justum, si efficere non potest ut dominus suum horologium recuperet, erga dominum tenebitur ad summum de pretio accepto.

4.ª Si quis bona fide rem alienam possedit, at dein dubium de legitimitate possessionis superveniat, hoc autem solvi non possit, hic fit iterum possessor bonæ fidei practice, licet speculative ejus fides dubia sit: hinc, si eam rem consumpserit, donaverit, etc., vel ea utcumque perierit, ipse ad nihil erga dominum tenetur.

262. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si possessor bonæ fidei prædii alieni, fructus collegerit, hos autem adhuc penes se habeat, spectato solo jure naturali, quando advertat prædium alienum esse, domino reddere debet, tum prædium, tum fructus adhuc exstantes.

2.ª Item, si possessor domus alienæ eam locaverit, domino reddere debet, tum domum, tum pretium locationis; hoc enim pretium habetur ceu fructus naturalis. Excipe, si pretium, aut ex toto, aut ex parte, sit ex industria possessoris.

3.ª Si quis, ex aliena pecunia negotiando, lucretur viginti pro centum, ex his reditibus quinque habendi sunt ut fructus naturales pecuniæ, et simul cum capitali reddendi sunt domino; quindecim erunt industriales, et proprii possessoris industrii [3]. — De jure positivo dicemus inferius.

4.ª Si possessor fructus perceptos consumpserit, nec eorum partem, aut ex eis emolumentum habeat, ad nihil erga dominum tenetur.

5.ª Possessor rei alienæ fructificantis jus habet retinendi aut exigendi expensas, quæ ad fructificationem necessariæ vel utiles fuerunt.

263. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Si quis ex casu prorsus fortuito vitrum alienum fregerit, non tenetur pretium vitri domino refundere: ita etiam, si fur nocturnus sua inadvertentia candelam non exstinxerit, ac inde tota domus conflagraverit.

2.ª Si medicus ex errore prorsus inculpabili remedium nocivum infirmo præbuerit, per se spectato solo jure naturali, ad nullam erga ipsum compensationem tenetur [4].

3) Alia apud BERARDI *Num. 1431.* — Cfr. et NOLDIN *441;* TANQU. *489.*

4) « Unum casum tamen excipiunt communiter doctores; quando, scilicet, aliquis profitetur se diligentissimum et peritissimum, et alicui quærenti, non mediocrem, sed diligentissimum artificem (medicum, jurisconsultum, etc.), sese offert, ut talem ». De LUGO *Disp. VIII. Num. 90.*

3.ª Si quis perfecte ebrius damna aliis intulerit, ad hæc reparanda non tenetur; nisi ex præcedenti experientia hæc damna inferenda, saltem in confuso, in potatione excessiva præviderit.

4.ª Si quis inimicum graviter vulneravit, tenetur omnia ejus damna compensare; at, si exinde creditores personæ vulneratæ non possint jura sua recuperare, si crimen personæ innocenti imputetur, vel alia aliis damna proveniant, quæ vulnerator nullatenus prævidere poterat, de his non tenetur. Ita generatim non tenentur auctores damnificationis mediatæ.

5.ª Qui casu ligneolum flammiferum prope alterius palearium projecerit, ac adverterit inde facile excitari posse incendium, tenetur illud statim exstinguere; et quidem ex justitia: dum, si ab alio projectum vidisset, teneretur tantum ex caritate.

264. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Ad quid teneatur ille, qui rem, bona fide acceptam et possessam, jam alteri vendiderit?

Resp. 1.° Si acceperat dono, tenetur efficere ut emptor rem sibi vel domino reddat, eidem emptori pretium refundendo; si hoc consequi non valeat, videtur teneri ad reddendum domino pretium acceptum, ex quo ditior factus est: hoc plures theologi docent [5].

2.° Si rem acceperat ex contractu oneroso, cum obligatio restituendi independens sit a titulo acceptionis, juxta dicta superius, si dominus nequeat rem suam ab emptore repetere, spectato jure naturali, videretur ipse teneri ad refundendum domino pretium acceptum [6]. Quod si dominus jam rem suam evicerat, h. e., ab emptore vindicaverat, ille erit possessor pretii alieni, quod proinde reddendum esse videretur emptori [7]. In utroque casu ipse actionem personalem habebit contra illum, a quo rem invalide emerat.

Hæc solutio nobis evidens esse videtur [8]; at opinioni huic abdicare cogimur ob auctoritatem prævalentem doctorum recentium; qui omnes docent eum teneri ad reddendam domino rem, si habet; minime vero emolumentum ipsam repræsentans; ac proinde esse ei quidem subeundam jacturam rei, si adhuc habeat; minime vero jacturam pretii æquivalentis [9]: negant nempe pretium rei repræsentare rem. — Ceterum ex jure positivo, obligatio erga dominum alternativa est: aut restituat domino pretium receptum, aut ei cedat actionem ad illud consequendum [10].

5) Gury *Num. 639* affirmat esse sententiam communem, ac teneri a doctoribus innumeris. Contra putat Noldin *439, 440.*

6) Ita sane Carriere *De contract. Num. 1047.* — Tamen, si pretium accepit majus, quam solverat, et hic excessus sit fructus industriæ suæ, hunc sibi poterit retinere.

7) Sane venditio rei alienæ nulla est. C. c. *art. 1459.*

8) Dices: Nonne tenetur reddere actualis possessor rei, quæ clamat ad dominum? — Utique, et quidem ante venditorem; at, deficiente eo, ad dominum clamat rei pretium æquivalens ex manu possessoris.

9) Cfr. Gury *Num. 638;* Ball. *203, sequ.;* Noldin *440.* — Excipiunt casum evictionis.

10) C. c. *art. 1149.*

Qu. 2. Utrum qui bona fide emit rem, quæ venditoris non erat, possit eidem eam restituere, ut suum pretium recuperet?

Resp. 1.° Si dominus rem suam repetat, ei est restituenda; quia ad eum clamat: pro pretio soluto actionem habet in venditorem. Tamen, si eam emerat a publico earum rerum venditore, vel in mercatu, aut in nundinis, ex jure positivo potest a domino exigere pretium solutum; quæ juris dispositio, ex sententia hodie inter theologos communi, vim quoque habet in conscientia [11].

2.° In rigore principiorum, domino restituenda esse videretur, etiam si dominus quidem notus sit, ipse tamen, utpote inscius, rem suam non repetat; adhuc enim verum est, quod ea clamat ad dominum. Attamen theologi graves cum S. Alphonso probabiliter putant, posse eam rem venditori restitui; quia emptori nimis durum esset rem domino reddere ac pretium solutum amittere [12]. Idipsum certe licebit, si dominus ignoretur; cujus consensus in hoc casu præsumi posse videtur, quique certe a possessore bonæ fidei exigere non potest, ut rem in indefinitum ipsi conservet cum jactura pretii soluti.

3.° Si neque dominus inveniri possit, neque venditor, vel hic nolit pretium acceptum emptori restituere, iste, postquam curavit dominum inquirere, ac inveniendi possibilitas moralis evanuit, eam rem tractare potest ut inventam; et eam habere ut suam.

Qu. 3. Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si res aliena ab eo alteri vendita perierit, dum penes dominum non periisset?

Resp. 1.° Pro casu, quo ipse eam habuerit ex titulo gratuito, puta ex donatione vel hereditate, tres sunt hujus quæstionis solutiones possibiles, et earum quælibet suos habet patronos. Solutio prima: pretium restituat emptori; altera: restituat domino; tertia: sibi retineat [13]. Ex principiis supra positis, nobis præferenda esset solutio secunda; at negare non licet aliarum solutionum probabilitatem.

2.° Si eam habuerat ex titulo oneroso, puta ex emptione, nobis præferenda esset solutio, quæ secunda est pro casu præcedenti: at, saltem extrinsece, longe probabilior est opinio, quod venditor ille ad nihil teneatur; et quidem longe probabilior est, quam sit solutio postrema casus præcedentis.

265. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Utrum possessor bonæ fidei possit sibi retinere fructus ex re aliena perceptos durante bona fide?

Resp. Certe sibi retinere potest fructus *industriales;* eos, nempe, quos ipse occasione rei alienæ percepit ex industria sua; proinde etiam ex fructibus *mixtis* eam partem, quæ suæ industriæ debetur.

11) C. c. art. *708, 709.* — Cf. NOLDIN *Num. 438, 2 b.;* TANQU. *494, B.* — Contrarium tenet BALL. *Num. 429-465,* et ad Gury *586,* 29; at ab eo recedit PALM. ad *locc. citt.*

12) S. LIGORIUS *Num. 569;* GURY *644;* GEN. *524.*

13) Patrocinantur solutioni primæ præter GURY *loc. cit.* et *Casus 608;* CARRIERE *1047;* D'ANN. II. *239 8, II.*: secundæ LEHMK. *951, 2;* TANQU. *496*: tertiæ GOUSSET I. *930;* GEN. *524* quoad praxim.

Circa fructus *naturales* aut *civiles* rei alienæ, jus naturæ ediceret eos ad dominum rei pertinere; nam res fructificat domino. Verum aliter disponunt jura positiva recentia. In jure nostro statuitur quod possessor bonæ fidei facit suos fructus; ac eos tantum reddere domino tenetur, quos habuerit post petitionem judicialem [14].

Circa quem articulum, duo quæri possunt:

1.° Utrum possessor bonæ fidei suos faciat eos quoque fructus, quos habuit post bonam fidem amissam, sed ante petitionem judicialem ex parte domini? — Porro responderi debet: *negative;* nam ex eo instanti, quo novit se rem alienam possidere, debuisset eam reddere domino, qui ex ea fructus percepisset.

2.° Utrum articulus ille vim habeat in conscientia; adeo ut possessor possit sibi retinere fructus naturales, quos durante bona fide, sed ante alterius petitionem judicialem, percepit, etsi inde ditior evaserit? — Ad hanc quæstionem respondent communiter theologi: *affirmative;* censent enim hunc esse sensum legis dicentis « fa suoi i frutti »; hoc autem posse publicam auctoritatem decernere in bonum commune, ut evitentur quæstiones sæpe inextricabiles circa determinationem quantitatis fructuum restituendorum [15].

Qu. 2. Utrum qui rem alienam emerat bona fide, ac dein vendidit pretio majori, quam ipse solverat, possit hunc excessum sibi retinere?

Resp. Si excessus iste fructus est industriæ suæ, *affirmative*: si vero augmentum pretii fructus est rei, sive ex ipsa ejus natura, sive ex communi æstimatione, spectato jure naturæ, respondendum videtur: *negative*: quod theologi quidam tenent, etiam spectato jure positivo; licet id non teneant in solutione quæstionis de fructibus proprie dictis.

266. *Circa Princ. IV. — Qu. un.* Utrum in nulla hypothesi teneatur damnum reparare, qui illud mere materialiter alteri intulerat?

Resp. Ratione damnificationis, et ex virtute justitiæ, numquam ad reparationem tenetur damnificator mere materialis: constat et ex ratione superius allata, et ex communi consensu theologorum [16]. Tamen ejusmodi damnificator teneri potest, et quidem ex justitia, *per accidens*. Ita, si quis, positâ causâ damni inculpabili, potuit sine incommodo relative gravi effectum ejus impedire et non impedivit, hic damnum secutum reparare tenetur ex justitia. Ratio est, quia tenebatur ex justitia impedire, ne damnum ex causa a se posita alteri obveniret: ac proinde obligatio habetur ex damnificatione conjuncta cum culpa formali [17].

14) Cod. civ. *art. 703.* — Cf. Marc *Num. 935, 947;* Zanin. *1453.* — Id valere etiam de fructibus bonorum ecclesiasticorum docet Gennari *Consult. mor. XXV.*

15) Ita Gury *Num. 636;* D'Ann. *241, 21, 22;* Verm. *284;* Ferr. *772;* Gen. *528;* Tanqu. *502;* Noldin *441, 3;* et alii. Contra putant Ball. *Num. 221;* Lehmk. *498.*

16) Cf. Ballerini *Num. 114, seqq.;* D'Ann. *233;* Tanqu. *475;* Noldin *459;* Gen. *518;* etc.

17) Cf. S. Ligorium *Num. 564;* Gury *662 Qu. 3;* Tanqu. *480.*

Hac ratione obligantur ad restitutionem: *a*) Pharmacopola, qui ex errore pharmaco elementum noxium immiscuit: at potuisset cum incommodo, etiam satis gravi, infirmum vel familiam monere de errore; *b*) confessarius, qui ex errore pœnitentem ab obligatione restituendi realiter exsistente exemit; ac, licet errorem opportune corrigere potuisset, non correxit; *c*) ille, qui accidentaliter scintillam cumulo paleario alterius apposuit; ac, licet incendium impedire potuisset, non impedivit; *d*) ille, qui de proximo inculpabiliter quidem, at graviter et falso, detraxit; nec, cognito errore, emendavit; *e*) generatim, quicumque dederit consilium noxium, quod potuisset opportune retractare, et non retractavit.

Insuper obligatio reparandi, et quidem ex justitia oriri potest ex auctoritate legis civilis, aut ex contractu vel quasi contractu, ut dicemus inferius.

ART. II. — De auctore injuriæ formalis

267. Injuria *formalis* est actio juris alterius læsiva, quæ sit agenti imputabilis; quippe cui voluntaria est, aut in se, aut in causa; et proinde est verum peccatum, sive mortale, sive saltem veniale. Committi autem potest, sive per ablationem injustam rei alienæ, sive per injustam damnificationem.

1.° Auctor injuriæ formalis primo modo certe est *fur;* tum qui fur sit juxta datam furti definitionem; tum qui fur sit æquivalenter; quatenus rem alienam scienter et mala fide detinuit; aut eam accepit in dubio, num juste posset accipere; vel eam nihil dubitans accepit, dein vero dubitans detinuit, dubium solvere non curans.

2.° Qui alteri injuriam intulerit alio modo; dicitur *damnificator.* Porro damnificatio potest esse ei voluntaria voluntarietate, sive directa, sive indirecta. Si primum, exceptis casibus, in quibus ea damnificatio ex causa proportionata justificetur; semper est formaliter mala et conjuncta cum vera culpa theologica, seu est peccatum coram Deo. At, si alterum, quoniam damnificatio sequitur ut effectus ex alia causa, ideo non semper est vere voluntaria et formaliter mala, seu culpabilis. Plerumque causa est omissio diligentiæ debitæ ad cavendum, ne ex actione nostra damnum alteri obveniat. Si ea omissio fit cum advertentia et prævisione, saltem confusa, damni eventuri, est verum peccatum, seu *culpa theologica.* Si ea omissio fiat absque ulla advertentia et prævisione damni forte secuturi, non est voluntaria, nec vera culpa: tamen haberi adhuc potest *culpa juridica;* et consistit in omissione involuntaria illius diligentiæ, quæ ex lege positiva, aut ex contractu vel quasi-contractu, pro diversis rei adjunctis adhibenda esset. Hæc autem est *lata,* vel *levis,* vel *levissima;* prout est ordinaria, aut exquisitior, aut exquisitissima ea diligentia, quæ omittitur: ceterum, non multum refert satis obscura distinctio ad forum conscientiæ.

§ I. — De fure.

268. **Principia. I.** Qui rem alterius accepit mala fide, intendens eam facere suam, ex ipso facto acceptionis, præter omnes obligationes possessoris bonæ fidei, contraxit obligationem reparandi domino omnia damna, quorum ea acceptio fuit causa *per se* efficax et voluntaria.

II. Qui rem alienam, bona fide acceptam, voluntarie post amissam bonam fidem detinuit, præter obligationes possessoris bonæ fidei, tenetur reparare omnia damna, quorum ea detentio fuit causa *per se* efficax et voluntaria.

269. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui artifici instrumentum suæ artis furatus sit, tenetur, non modo instrumentum ei reddere, sed et eum compensare pro lucro cessante propter intermissum artificium.

2.ª Qui rem alienam mala fide surripuit, tenetur rei valorem domino refundere, etsi illa, sive ex culpa sive sine culpa surripientis perierit; insuper debet eum compensare de damnis domino inde obvenientibus, dummodo prævisa fuerint, saltem in confuso.

3.ª Tamen, si res illa periit quidem apud furem, sed aut vitio intrinseco, aut eodem tempore et periculo, quo etiam apud dominum periisset [18], non tenetur rei pretium eidem refundere, neque eum compensare, nisi pro utilitate, quam dominus percepisset tempore inter surreptionem et exitium rei intercedente. Ita si surreptus fuit equus, et hic post mensem obiit senectute; si syngrapha frugifera surrepta fuit, et consumpta est eodem incendio, quo etiam in armario domini consumpta fuisset.

4.ª Possessor malæ fidei poterit quidem sibi retinere fructus industriâ suâ occasione rei alienæ comparatos; at domino restituere debet fructus omnes naturales et civiles; imo (hodie) et reditus capitalium, etiam in casu, quo præsumatur vel constet dominum eos percepturum non fuisse [19].

5.ª Identicæ sunt obligationes illius, qui in dubio, num forte res ab alio possessa sua esset, eamdem sibi accepit; sciebat enim in dubio meliorem esse conditionem possidentis. Excipe casum, quo deinceps, dubio soluto, reapse constiterit rem esse suam; quo in casu reus quidem fuerat injuriæ formalis; at de facto jus alterius non læserat.

6.ª Qui rem accepit ab alio sibi traditam titulo emptionis, donationis, etc., simul dubitans, num illa esset tradentis, *per se* accipere eam

18) Hanc exceptionem non admittit C. c. *art. 1298*: at hæc dispositio, prout ad casum præsentem refertur, habenda est ceu pœnalis, ac proinde vim obligandi habet post sententiam judicis.

19) Ita PALMIERI ad Baller. *Num. 239, Nota* a; NOLDIN *447*. — Cf. ZANIN. *1460;* LEHMK. *Casus* I, *634;* GEN. *530* et *Casus 302*.

non debuit, nisi dubio antea soluto; at, si hoc solvere non potuit, ipse in favorem tradentis præsumere potuit ac debuit; nec tenetur obligationibus illius, qui rem alienam accepit mala fide.

270. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis, advertens se magnam pecuniæ vim alterius possidere, hanc non statim (moraliter) restituat, et ex hac dilatione fiat, quod alter ab officio, vel negotio cessare cogatur, ipse debet, non modo summam ejusque fructus domino reddere, sed et hæc omnia damna compensare, dummodo ea saltem in confuso prævideriť.

2.ª E contra, non teneretur ille, qui post pacificam summæ alienæ possessionem de ea dubitare incipiat, ac dubium solvere non possit: in hoc casu ipse possidens est; et, quamvis ejus fides speculative dubia sit, practice est bona.

271. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Ad quid teneatur, qui mala fide accepit et detinuit rem alienam, si ea tempore detentionis varios habuit valores?

Resp. Tenetur in primis restituere rem ipsam et omnes ejus fructus naturales vel civiles: insuper compensare debet omnia damna, quæ constet ex ipsa acceptione ac detentione injusta domino illata fuisse. Hinc: *a*) Ex *ipsa re accepta*, si hæc facta sit melior (præscindendo ab industria detentoris), restituenda est prout nunc est melior. — *b*) Ex *acceptione*, si res facta est deterior, restituenda est secundum valorem, quem habuit tempore ablationis. — *c*) Ex *detentione*, si constet dominum percepturum fuisse emolumentum ex valore aliquando majore, hoc ei esset compensandum 20. Quoniam vero de hoc difficile constare potest, practice urgenda erit restitutio pro valore, quem res habuit majorem, vel tempore ablationis, vel tempore restitutionis: in primo casu, ex ipsa injuria formali; in altero, quia res fructificat domino.

Qu. 2. Utrum qui emit mala fide rem a fure, possit furi eam reddere ad suum pretium recuperandum?

Resp. Negandum esse videretur. Nam res ipsa clamat ad dominum; possessor autem regressum habet in furem; quod si hic a fure pretium recuperare non valet, id juri domini non præjudicat. Neque pro tali casu militat consensus domini præsumptus, qui pro possessore bonæ fidei invocari solet. Quod autem rem reddens furi, eam in pejori conditione non ponat, id abs re esse videtur: qui enim rem alienam flammis eripuit, non potest, salva justitia, eam in flammas rejicere.

Ceterum probabilis, imo auctoritate probabilior, est opinio contraria 21; quam proinde quisque tuta conscientia sequi potest.

Qu. 3. Ad quid teneatur qui dubitat, num res a se possessa sui sit, au alius?

Resp. 1.° Tenetur certe inquirere, et quidem diligentia, quæ pro-

20) Varios casus possibiles vide apud GURY *Num. 648*, ac ibidem BALL. *Nota 9.* — Cf. etiam GEN. *Num. 531*; NOLDIN *446*; etc.

21) S. LIGORIUS *Num. 570*; MARC *942, Qu. 4*; GEN. *529*; NOLDIN *438, 2.* — Cf. D'ANN. *199* et *Notas 14, 15, 16.*

portionata sit valori rei et gravitati dubii. Si inquirens dubium possit deponere, a solutione dubii pendebit et solutio quæstionis.

2.° Quod si dubium solvere nequeat, distinguendus duplex casus: *a*) Si dubium post acceptionem rei supervenit, tuto eam sibi retinere potest. — *b*) Si rem acceperat dubitans, juxta alios rem restituere debet pro rata dubii; juxta alios eam vel ejus pretium erogare debet in opera pia; juxta alios eam sibi potest retinere, imo et suo tempore præscribere 22. Ergo....

§ II. — De Damnificatore.

272. **Principia. I.** Qui alteri damnum intulit injuste et voluntarie, sive directe, sive indirecte, debet eidem restituere, tum pro damno illato immediate, tum de ceteris, quæ ex eo proveniant, ut effectus a causa; dummodo fuerint prævisa, saltem in confuso.

II. Ut actio damnifica inducat hanc obligationem restituendi ex jure naturali, necesse est quod actio damnificantis sit: *a*) realiter injusta; *b*) vera causa, et quidem *per se* efficax, damni; et *c*) culpabilis theologice. Constat ex se, et ex communi consensu theologorum.

III. Ut actio damnifica inducere possit obligationem restituendi ex jure positivo, aut ex contractu vel quasi-contractu, necesse est et sufficit quod ea sit: *a*) realiter injusta, et *b*) causa *per se* efficax damni.

273. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui explodit in feram, advertens facile fieri posse ut transfodiatur et homo, si id realiter contingat, omnia damna reparare tenetur, eadem ratione, ac si arma in hominem direxisset.

2.ª Qui de quopiam officiali, vel famulo, vel operario detraxit, sive intendens, sive prævidens quod inde ille officio, vel famulatu, vel opificio excludendus vel amovendus erit, tenetur, non modo famam restituere, sed et alia ejus damna in bonis fortunæ reparare.

3.ª Homicida vel mutilator injustus tenetur, non quidem damna in bonis personæ illata reparare 23, quippe quæ irreparabilia sunt, sed expensas pro cura compensare, imo et damna ipsi occiso vel mutilato,

22) Cf. S. Ligorium *Num. 625;* Lehmk. *1144;* D'Ann. *121;* Gen. *533;* Sebast. *325.*

23) Tamen obligatio habetur summæ æquitatis; cf. S. Thomam *Qu. 63, art. 2 ad 1.* Quin aliqui censent haberi obligationem proprie dictam: cf. Tanqu. *Num. 565.* Si quid ex sententia judicis imponatur, id præstandum est in conscientia. Cf. dicenda *Num. 312, seqq.*

ejusque parentibus, uxori et filiis inde injuste obvenientia, quæ fuerint aliquo modo prævisa. Idem dicatur de stupratore, de adultero 24.

274. *Ex Princ. II.* — 1.ª Defectu primæ conditionis non tenentur ad restitutionem, tum qui læserunt virtutem aliam a justitia commutativa; tum qui usi sunt jure suo, licet ex eo usu præviderint aut etiam intenderint nocumentum alterius. — Ex capite priore non tenentur restituere: *a*) Confessarius, qui pœnitentem de suo jure exigendi ab aliquo non monuit: *b*) civis, qui contra edictum principis frumentum regno evexit, ex quo pretium frumenti pro regnicolis crevit; etc. — Ex altero capite non tenentur: *a*) Qui titulo justæ defensionis occidit aggressorem injustum; *b*) qui ex causa proportionata de proximo detraxit; *c*) qui puteum in suo fundo aperuit, ex quo puteus alterius aruit; *d*) qui intra debitos fines murum exstruxit, ex quo domus aliena prospectu privata fuit; *e*) qui negotium aperuit, ex quo emptores aliis negotiis decreverunt; *f*) qui alteri suasit ne in testamento partem disponibilem cuipiam relinqueret; etc.

2.ª Defectu secundæ conditionis non tenentur ad restitutionem illi, quorum actio fuit inefficax, aut damni alterius fuit mera occasio, aut conditio sine qua non, aut causa accidentalis, adeo ut effectus malus prævideri non potuerit. — Ex capite primo non tenentur; *a*) Consulens actionem injustam, si alter eam non patravit; *b*) qui alterius propositum jam certum nocendi approbavit; *c*) qui arma in adversarium explosit incassum; *d*) qui ignem segetibus alterius applicuit, quem mox copiosa pluvia exstinxit; etc. — Ex altero non tenentur: *a*) Qui pravo exemplo aliis occasionem præbuit nocendi 25; *b*) captivus a carcere fugiens, si inde custos puniatur; *c*) homicida, si inde creditores personæ occisæ jura sua amplius recuperare non valeant; *d*) incendiarius et quicumque criminosus, si crimen innocenti imputetur: etc. 26. — Ex tertio capite non tenetur, qui gladium alteri restituit, quo ille abusus est ad homicidium. — Ex quarto non tenentur: *a*) Qui rem parvi valoris auferens ab avaro, causa fuit, qua hic ex tristitia moreretur; *b*) qui ignem in loco remoto accendit, quem ventus repente exortus ad alterius segetes vel domum longe dissitam provexit; etc. Tamen quoad caput postremum, satis est quod damni secuturi habeatur prævisio aliqua, etiam in confuso, ad obligationem restitutionis incurrendam: qui domum alterius incendit, debet omnia damna illata reparare, quamvis horum damnorum amplitudinem non præcise præviderit.

24) GURY *Num. 725*, ibique BALL. *Not. 3-5;* NOLDIN *465, sequ.;* etc. — De hisce et similibus casibus cf. GURY *728, 731;* GEN. *565-570,* et *Casus 322-324;* MARC *961.*

25) S. LIGORIUS *Num. 567,* et *Lib. II. 45;* NOLDIN *457.*

26) Probabiliter neque ille, qui, sorte ad militiam designatus, sine veris causis se subtrahit, tenetur erga eum, qui in ejus locum conscribitur; sive, quia damni istius ipse mera *occasio* est; sive, quia iste *jus strictum* non habet, ne alter iis mediis sese eximat. Cf. GURY *Num. 749;* GENN. *Cons. mor. XXII.;* item quæ dicimus *Lib. III. 174.*

5.ª Defectu tertiæ conditionis non tenentur restituere illi, quorum actio (juris alterius vere et efficaciter læsiva) fuerit in se ipsa prorsus involuntaria; aut propter ignorantiam, sive juris, sive facti, fuerit prorsus inculpabilis, aut propter defectum prævisionis saltem confusæ non fuerit damni secuturi causa moralis. — Ex capite primo non tenentur: *a*) Neuter e duobus, quorum unus vas crystallinum posuit in loco prorsus impervio, alter eo forte transiens in illud offendit ac fregit; *b*) fur, qui, quodvis incendii periculum diligentissime præcavens, ob scintillam e candela casu delapsam causa fuit, qua domus integra conflagravit; *c*) ancilla, quæ ex oblivione januam apertam furibus nocturnis reliquit; *d*) fur, qui, dominum insequentem fugiens, casu in speculum impegit ac fregit; etc. — Ex capite secundo non tenentur: *a*) Pueri, qui scienter et voluntarie quidem furantur fructus (et comedunt), sed sine advententia ad malitiam theologicam suæ actionis, quam solum pœnæ obnoxiam apprehendunt » 27; *b*) qui, rem alienam putans esse suam, destruxit; etc. *c*) Qui autem in flumen projiciat anulum alterius aureum, quem putat esse æneum, tantum de pretio ænei tenetur 28. — Ex capite tertio non tenentur generatim ii omnes, quorum actio damnifica causa damni fuerit tantum *per accidens;* ex. gr., qui in nemore, ubi nulla vox vel motus audiebatur, lapidem projiciens hominem percussit.

Verum, si actio in se damnifica ac theologice culpabilis ab agente ante effectum damnificum retractata fuit, sed frustra, adhuc ea habet omnes conditiones ad obligationem restituendi requisitas. Ita teneretur, qui culpabiliter venenum alteri propinavit, de quo, antequam alter moreretur, sincere doluit; ita, qui doluerit de sua detractione, quæ alii causa fuit damnorum in bonis fortunæ; etc. — De eo, qui in damnum alterius influxerit, ut causa moralis, dicemus ubi de cooperatoribus.

275. **Expositio.** *Princ. III.* — 1.° Civilis auctoritas potest, saltem per sententiam judicis, obligare damnificatorem ad compensandum etiam damnum illatum inculpabiliter: hæc autem lex et sententia *per se* justa est; cum ad bonum publicum conferat, quod cives ad majorem erga res alienas diligentiam adigantur 29. Consequenter idem damnificatus, ad cedendum juri suo recurrendi ad judicem, jure potest ab altero exigere, ut illatum sibi damnum compenset.

2.° Si inter duos pactum fiat, ut unus alteri compensare debeat etiam damna illata inculpabiliter, pactum potest obligare damnificatorem in conscientia; dummodo conditiones pacti æquæ sint. Ita in contractu assecurationis societas sese obligat ad compensanda ipsa damna mere fortuita ex causis naturalibus obvenientia.

Ejusmodi pactum quandoque haberi potest subintellectum in quibusdam contractibus, sive damna fortuita sint, sive ex qualicumque ne-

27) Ita Noldin *Num. 459;* at hypothesis inadvertentiæ totalis ad malitiam theologicam forte non omnibus probabitur.

28) S. Ligorius *Num. 613;* D'Ann. *231, 10.*

29) C. c. *art. 1153-1155.* — Cf. Berardi *Num. 1491, seqq.*

gligentia oriantur; facilius vero subintelligitur in contractibus, quibus unus alteri rem suam cedat in utilitatem ejusdem. — Hinc:

276. **Resolutiones.** *ex Princ. III.* — 1.ª *a*) Si judex aliquem damnet ad reparanda damna agro alterius illata a suis animalibus, quæ damna ipse impedire quidem voluit, at non non valuit, hic tenetur ea in conscientia reparare 30; nec, data physica possibilitate, sese potest occulte compensare. — *b*) Si muratores, super ædificium laborantes, obliviscantur signum periculi ad pedes ejusdem apponere, et inde civis transiens tegula percutiatur, accedente judicis sententia, muratores eidem pro damnis compensare tenentur. — *c*) Si ille juri recursus ex pacto cum muratoribus renuntiet, potest pro hac renuntiatione mercedem exigere, quam illi tenentur in conscientia refundere.

2.ª *a*) Si dominus duo pacta ancillæ assumendæ proponat: primum: « dabo singulis mensibus francos quadraginta; tu vero omnia damna etiam fortuita mihi refundes »; alterum: « dabo francos triginta; tu vero refundes tantum damna ex tua negligentia secutura »; ancilla vero prius pactum acceptaverit, tenetur in conscientia damna etiam fortuita refundere. — *b*) Si puer in collegium educationis admittatur, in quo regula generalis omnibus prostat, ut quicumque frangit, pro fractis solvat; parentes ejus tenentur collegio refundere pro damnis accidentaliter a puero illatis. — *c*) Si quis rem suam, puta librum, alteri commodaverit; hic vero librum inculpabiliter amiserit, facilius tenebitur pretium libri commodanti refundere, vel librum identicum reddere, quam si librum pro ipso custodiendum accepisset.

Patet hujusmodi casus innumeros esse; nec eorum solutiones obstare principio communi theologorum, quod, spectato jure naturali, nulla sit obligatio restituendi, ubi in actione damnifica nulla fuit culpa theologica.

277. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum teneatur ad restitutionem, qui dubitat, num sua actio fuerit vere damnifica?

Resp. Hic certe tenetur inquirere, tum de realitate damnificationis passivæ et injustæ in alio, tum de influxu suæ actionis in illam: et quidem diligentia gravitati negotii proportionata. — Si dubium solvi nequeat, hoc potest esse triplex:

1.° Si auctor actionis in se damnificæ dubitet, num realiter damnum injustum alter subierit, ad restitutionem non tenetur; cum obligatio non possit esse nisi dubia. Ita de damnis non tenetur, qui glandem in alium explosit, ut occideret; at dubitat, num ille occisus aut vulneratus fuerit; neque tenetur adulter, qui dubitat, num proles concepta et nata fuerit 31.

2.° Si de alterius damno certus sit, at dubitet num ex actione sua

30) At, si certo sciat damna non fuisse a suis animalibus illata, hoc vero juridice probare non possit, sententia judicis non ligatur; ac proinde, si solvere cogitur, poterit seipsum occulte compensare.

31) At, qui in actu fornicandi dubitabat, num proles secutura esset, si deinde sequatur, certe tenetur; imo tenetur, etsi non secuturam putabat ex levi fundamento. GEN. II. *551, 4.*

provenerit, an ex causa naturali, ad nihil tenetur. Ita non tenetur qui, sciens inimicum mortuum esse, dubitet num ex veneno eidem a se propinato, an ex morbo: nec detractor, qui dubitat num mercatoris ruina tribuenda sit calumniæ a se divulgatæ, an ejus ineptitudini: nec adulter, qui dubitat num proles, certe concepta et edita, a se sit, an ex marito.

3.° Si certus sit de realitate damnificationis passivæ et injustæ in alio, dubitet utrum ea effectus sit actionis damnificæ suæ, an vero alterius, duplex datur opinio, utraque certe probabilis. Plures tenent illum teneri ad restitutionem, et quidem pro integro damno. Ratio eorum est, quia ejus actio in se damnifica et injusta, aut realiter damnum illud produxit, aut certe causa fuit incertitudinis circa realem damni auctorem, ex qua fit ut non possit ab uno determinato exigi debita compensatio: quodcumque e duobus verum sit, actio illa vere et realiter intulit alii damnificationem injustam, ac proinde in ejus auctorem induxit obligationem restituendi [32]. Juxta hanc opinionem, si duo homines simul glandem in alium exploserint, et ille occisus certe interierit, nec dignosci possit a quonam interfectus fuerit, ambo de damnis tenentur, ac, altero renuente vel solvere non valente, tenetur de omnibus alter. Ita de damnis tenetur adulter, qui dubitat num proles certe edita et certe adulterina, ex se, an ex alio sit: ita et deputatus, consiliarius, etc., qui cum aliis suffragium injustum dedit, et dubitat, num suffragia ante suum data sufficientia fuerint. Verum aliter censent alii, et quidem ratione gravi. Nam relate ad damnum realiter secutum, actio posita non est nisi causa dubia, ac proinde obligationem dubiam inducit, seu nullam: relate ad incertitudinem veri auctoris, ad hanc rarissime vel numquam attendit ille, qui actionem damnificam ponit: quod si eam advertat posterius, non inde de eadem tenetur; cum obligatio restituendi non aliude oriri possit, quam ab ipsa actione damnifica [33]. Juxta hos, teneretur adulter secundus, si in actu fornicandi sciebat nuper eam feminam fuisse ab altero cognitam; et simul advertebat ad incertitudinem futuram circa verum prolis auctorem: e contra non tenetur, si aut illud postea novit, aut hoc postea advertit. Sub his limitationibus hæc sententia cera esse videtur; certe est practice tuta.

Qu. 2. Utrum ad restitutionem teneatur ille, qui alium a bono consequendo impedivit?

Resp. Affirmative, quoties hujus boni privatio in alio sit vera damnificatio injusta, et actio impedientis sit hujus damnificationis causa efficax et culpabilis theologice. — Hinc:

1.° Adest obligatio restituendi, quoties alter ad bonum illud consequendum jus strictum habebat. Ita tenetur, qui, etiam precibus tantum aut suasione, impediat parochum jam nominatum a regio placet con-

32) Ballerini ad Gury *Num. 668, 3* et *773, 9;* Lehmk. *978, 999;* Tanqu. *488, 578.*

33) S. Ligorius *Num. 657, 658;* Gen. *521, 3;* Marc *963.* Cf. et Noldin *460, 3* et *472, 6;* D'ann. *217, 278, 20-22;* imo et Lehmk. *Casus 270.*

sequendo; item qui, adulterinam prolem alicui familiæ obtrudens, causa est qua ceteri filii legitimi parte hereditatis sibi debitæ priventur: item, qui patrifamilias suadet ut per donationes, fictas venditiones aliasve tricas filium privet legitima portione hereditatis 34.

2.° Adest eadem obligatio, quoties alter privatur quidem bono ad quod jus non habet, at privatur mediis in ipsum injustis: etenim, ne his mediis ab eo bono impediatur, verum jus habet. Ita tenetur, qui testatorem minis, vel metu incusso, vel fallaciis prohibeat a testamento condendo in favorem ecclesiæ, monasterii aut cujuscumque entis vel personæ; item, qui calumniis efficiat, ut pauper elemosynis personæ divitis privetur; etc. Qui vero hæc procuret precibus, suasione, aliisve mediis non injustis, aut injustis quidem, at non in personam vel ens, de quo agitur, peccare poterit et graviter contra caritatem; at justitiam non lædit, nec ad restitutionem tenetur.

3.° Tamen in utroque casu, si quis alium impediat a bono futuro vel incerto, sæpe aufert potius spem ejusdem, quam ipsum bonum. Itaque damnificatio, prout est formalis, spectanda est præ valore spei illius, non præ valore boni, quod etiam absque eo impedimento alter forte non consequeretur. Ita, si quis alienam schedulam publicæ sortitionis comburat, dominum schedulæ privat spe lucri ex sortitione referendi; proinde restituere teneretur pro spe hujus lucri, non pro ipso lucro, vix non impossibili 35.

Qu. 3. Utrum teneatur ad restitutionem iniquus distributor officiorum ac munerum?

Resp. Affirmative, si præter justitiam distributivam violat etiam commutativam; secus, *negative*. Porro: *a*) Justitiam commutativam erga societatem violat superior, qui officia conferat indignis aut ineptis; hinc tenetur de damnis, quæ aliquo modo præviderit ab his facile inferenda communitati aut singulis civibus 36. Ita tenetur syndicus, qui curam medicam communitatis committat illi, quem ineptum esse novit: quin et ipse electus tenetur stipendia restituere et damna illata resarcire, si suam ineptitudinem aliquo modo cognoscat. Item *b*) justitiam commutativam lædit superior, qui præmia vel munera conferat minus dignis, postquam præmium vel munus concurrentibus promiserat sub conditione onerosa, quod conferretur illi, qui dignior esse comprobabitur 37. Ita, si præmium promissum fuit exhibenti perfectiorem de aliquo facto vel viro monographiam, vel meliorem statuam aut picturam exponenti, etc.

Quoad collationem beneficiorum ecclesiasticorum, certe superior peccat contra justitiam commutativam et *per se* de damnis tenetur, si beneficium curatum conferat indigno: utrum peccet contra justitiam com-

34) Cf. De Lugo *De just. Disput. X. Num. 79-84;* S. Lig. *631;* Ball. ad Gury *726;* D'ann. *198, 12, 13,* item *286, 34;* Zanin. *1476, sequ.*.

35) Quid ergo, si schedula illa propitiam habitura sit sortitionem?

36) Cf. Ballerini *Tract. VIII. P. I. Num. 47;* D'ann. *200, 23.*

37) Genicot *Num. 515, 2;* Noldin *454, d;* D'ann. *loc. cit.*

mutativam erga concurrentem digniorem, si illud conferat minus digno, quæstio difficilior est; quæ magis ad Jus canonicum pertinet [38]. Pro casu, quo concursus proponatur specialis ad aliquam curam vel præbendam determinatam, communior sententia tenet jus strictum acquiri digniori, ac locum esse obligationi restituendi [39].

278. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quid si damnificator in damno voluntarie inferendo erret errore involuntario?

Resp. Casus præcipui tres sunt: *a*) Cajus, explodens in agniculum Titii, ex errore occidit equum ejusdem: vel viceversa. — *b*) Explodit et occidit equum, quem putabat esse Titii inimici sui, dum erat amici Sempronii. — *c*) Explodens in agniculum Titii inimici, occidit equum Sempronii sui amici. — Quæritur quænam sint obligationes Caji in singulis casibus.

In casu primo communius doctores tenent actionem Caji esse, non modo vere injustam in Titium, sed et injustam in ipsum formaliter, seu cum culpa theologica; hinc eum damnant ad restitutionem; damnant vero pro solo valore agniculi, etiam in hypothesi prima, eo quod damnificatio passiva Titii non est Cajo voluntaria, nisi pro valore agniculi. Tamen non desunt auctores, qui rigori principiorum insistentes, Cajum ab omni obligatione eximunt [40].

In casu secundo magis adhuc inter se dissentiunt theologi. Cajum ab onere restituendi deobligant cum De Lugo et S. Alphonso quidam theologi, etiam recentes. Etenim evidens est nihil esse restituendum Titio, cujus jus læsum non fuit: nec videtur esse restituendum Sempronio; eo quod ejus jus læsum fuit involuntarie, et proinde materialiter tantum et sine culpa theologica [41]. Plures vero tenent *theoretice* veram esse doctrinam oppositam; eo argumento, quod alicujus hominis jus læsum fuit vere, realiter et formaliter, ac indifferens esse videtur quod homo ille sit Titius vel Sempronius; quod confirmatur ex ipso sensu communi hominum, qui theologorum controversias ignorent [42]. Verum iidem mox addunt cuique fas esse *practice* sequi opinionem priorem; quippe quæ traditur a S. Alphonso et ab aliis gravibus auctoribus, ac proinde est certe probabilis [43].

In casu tertio Cajum deobligant omnes, qui eum deobligant in casu secundo; imo et eum deobligant nonnulli, qui in casu secundo obligatum habent; omnes, scilicet, qui eum deobligarent in casu primo. Di-

38) Cf. S. Ligorium *Lib. IV. Num. 109*, et *Quæst. reform. 47.*
39) Lehmkuhl *Num. 972;* Gen. *loc. cit.;* Ferr. *808;* Noldin *455.*
40) Noldin *Num. 462 b;* D'ann. 232, 13; Tanqu. *484*, c. Cf. Gury *672;* Tanqu. *494.*
41) De Lugo *Disp. XVII. 77, seqq.;* S. Lig. *Num. 628, 629;* D'ann. *232, 12;* Gen. *522;* Marc *950, Qu. 4;* Zanin. *1466, 7.*
42) Gury *Num. 664;* Ball. *250, seqq.;* Noldin *463, d;* Lehmk. *977;* Tanqu *483;* Verm. *165.*
43) Cf. Frassinetti I. *Nota 69;* Palm. ad Ball. *268*, a; Ferr. *801, 802;* Sebast. *326.*

cunt enim obligari non posse, sive pro pretio agniculi, qui est Titii, nec fuit occisus; neque pro pretio (longe majori) equi, cujus occisio ipsi prorsus fuit involuntaria.

Ceterum, consentientibus omnibus, Cajus tenetur ad compensandum damnum majus illatum Titio in casu primo, vel damnum illatum Sempronio in casibus secundo ac tertio, si illud aut istud saltem in confuso prævidit.

Item tenetur, si ratio damni inferendi non fuit persona, ut talis, sed ejus dignitas vel officium; ita, si quis, intendens vestes diripere Titio, quia sacerdos, ex errore diripiat sacerdoti Sempronio. Eadem ratione tenetur, si furari intenderit, et circa dominum rei auferendæ accidentaliter erraverit.

Qu. 2. Ad quid teneatur ille, qui in damno inferendo venialiter tantum peccavit?

Resp. 1.° Si peccatum veniale est ex levitate materiæ, tunc obligatio quoque reparandi levis est; ut per se patet.

2.° Si damnum illatum grave est, peccatum vero veniale propter imperfectionem advertentiæ vel consensus, tunc mira habetur theologorum dissensio. Juxta quosdam, totum damnum reparandum est, et quidem *sub gravi;* juxta alios, totum quidem, at *sub levi;* juxta alios, pro parte ipsi culpæ proportionata [44]; juxta alios, nec totum, nec ex parte, sive *sub gravi, sive sub levi* [45]. Quare, si quis ex negligentia leviter culpabili domum alterius incenderit, aut in impetu iræ excusante a mortali aliquem interfecerit, hortandus quidem est ad damna ratione aliqua compensanda; at, spectato jure naturali, obligari non potest, ne *sub levi* quidem.

3.° Si damnificatio gravis constet ex pluribus partialibus levibus, quarum postrema quoque in se levis sit, obligatio reparandi gravis est: et quidem certe, si omnes et singulæ damnificationes illatæ sint uni personæ, quod omnes admittunt; probabiliter, etiam si illatæ fuerint personis diversis, quod nonnulli affirmant [46], plures negant. Tamen ad judicandum de damnificatione totali gravi, attendi debent normæ alibi datæ circa materias plures leves in unam gravem coalescentes in furtis minutis, tum in damnum unius personæ, tum in damnum plurium. Insuper, si

44) CARRIERE *Num. 1156;* in hanc inclinat etiam TANQU. *478*

45) S. LIGORIUS *Num. 552;* GURY *665;* D'ANN. *323;* VERM. *171;* GEN. *519 Qu. 1;* LEHMK. *966.* Cf. GENN. *Cons. mor.* II. pag. 554. — At ratio inde petita, quod obligatio resarciendi damnumillatum *pœna quædam est,* solido fundamentuo carere videtur.

46) Cr. GURY *Num. 666, Qu. 8.* — At, quod quis damnificet ex bonis alienis ditescendo vel non ditescendo, indifferens est: ditescens ex re aliena injuste, ideo tenetur, quia damnificat Cf. BALL. *Tract. VIII. P. II. 116;* item quæ notavimus *255, Qu. 2.*

restituatur materia illa parva, quæ materiam gravem complet, obligatio superstes levis manet [47].

Qu. 3. Utrum ad restitutionem teneatur, qui actionem posuit, quæ damni alterius causa esse potest *per accidens*, aut ejusdem occasio dumtaxat, si illam posuit ad hunc finem, ut per eam alteri noceret, et de facto nocuerit ?

Resp. 1.° Si, non modo eam actionem posuit, sed et alias circumstantias posuit, quibus actio ipsa fieret damni alterius vera causa *per se*, certe ad restitutionem tenetur in hypothesi, quod damnum contingat. Ita homicida tenetur de homicidii imputatione alteri facta, si ensem cruentum in ejus domum per fenestras injecit, sciens illum communiter haberi ceu infensissimum personæ occisæ inimicum; imo teneri potest, etsi id non faciat præcise ad hunc finem, ut culpa in alterum rejiciatur [48]: forte satis erit quod præviderit.

2.° Utrum vero ex sola intentione nocendi eveniat, quod actio illa ex causa *per accidens*, aut ex mera *occasione*, fiat damni alterius causa, et quidem efficax *per se*, et proinde sufficiens ad inducendam obligationem resarciendi pro damnis eventuris, inter theologos disputatur. Quidquid est de rationibus internis, certe auctoritate doctorum probabilior est sententia negans. Hæc huic argumento innititur, quod intentio interna non mutat actionem externam; quæ proinde manet mera causa *per accidens* aut *occasio*: hinc ea intentio erit peccatum contra caritatem: imo et contra justitiam, quatenus includit desiderium lædendi jus alterius; at inferre non potest obligationem restituendi [49]. Verum alii theologi graves affirmant, eo argumento, quod intentio mali effectus supplet defectum connexionis, et causam ejusdem *per accidens* vel meram occasionem transmutat in veram causam *per se* [50].

Hinc ad quæstionem: « utrum homicida teneatur compensare damna illius, cui homicidium imputatum fuit, si ideo homicidium perpetravit, ut hoc illi imputaretur ? », priores cum S. Alphonso respondent: *negative;* posteriores cum De Lugo: *affirmative*. Ita, qui scandalum præbet, ex quo ceteri quoque damnificant, ad hæc damna non tenetur, si ea mere præviderit; si ea intenderit, juxta quosdam tenetur, juxta alios non tenetur. Idem dicatur de eo, qui laqueum posuit in loco, in quo rarissime transit inimicus; sed ea intentione posuit, ut occidatur, si forte transeat: item de medico, qui adhibet omnem diligentiam, ad quam tenetur; sed non vult majorem adhibere ex odio, ut mors infirmi sequatur:

47) S. Ligorius *Num. 553.* Porro e pluribus damnificatis nemo jus grave habet ad hanc materiam levem, nec potest invitus esse graviter, quod ea sibi non restituatur: ergo, saltem practice obligatio restituendi in isto casu videretur esse levis. Genicot *519, Qu. 2.*

48) S. Ligorius *Num. 635;* Ball. *292, sequ.*

49) Præter Lessium *II. Cap. 9 Num. 117,* hanc opinionem tenent S. Lig. *636;* Lehmk *979;* Marc *949, 2;* D'ann. *200; 24;* Gen. *517;* Alberti I. *176* pag. 201.

50) De Lugo *Disp. VIII. Numv 73;* Ball. *115;* Noldin *462;* Tanqu. *470.*

item, si quis damnum leve inferat avaro, ut ille valde tristatus moriatur.

Verum ad aliam quæstionem: « utrum homicida teneatur compensare damna creditorum personæ occisæ, si hi prævidentur non posse sua jura recuperare ? », plures ex iisdem doctoribus primam sententiam tuentibus respondent: *negative*, si hæc damna non intenderit; *affirmative*, si intenderit 51.

Igitur quisque abundet in sensu suo; confessarius autem nullam opinionem pœnitenti imponat, etsi quæpiam sibi verior esse videatur.

279. *Circa Princ. III.* — *Quæstio un.* Utrum teneatur ad reparationem damnorum, qui absque culpa theologica erret errore damnifico in suo officio exsequendo ?

Resp. Certe iste tenetur in conscientia adhibere diligentiam gravitati rei peragendæ proportionatam; et quidem majorem, si pro officio stipendium accipiat: hanc si non adhibeat, *per se* culpam theologicam contrahit, ex qua de damnis tenetur. Dicimus: *per se*. Nam, ubi agitur de diligentia adhibenda vel non adhibenda, adhibita vel non adhibita, difficile est judicare de peccato, præsertim gravi, in concreto; cum elementa judicii sint in ipsa conscientia illius, qui de se ipso judicare debet.

Dato quod error sit prorsus inculpabilis, obligatio reparandi nulla est ex jure naturali, ut constat ex dictis; neque generatim hæc obligatio habenda est ut subintellecta in collatione et assumptione officii; inde enim fieret, quod viri probi et timoratæ conscientiæ ab his officiis suscipiendis deterrerentur 52.

Adesse obligatio potest, si expresse de ea conventum fuerit in ipsa collatione et assumptione officii; quo in casu stipendium huic oneri respondens pacisci solet: ita fieri solet cum administratoribus et arcariis publici ærarii, aut societatum industrialium, commercialium vel œconomicarum. In hisce casibus obligatio adesse potest ante sententiam judicis, si mere agatur de resarciendo damno inculpabiliter illato; puta ex acceptione monetæ chartaceæ spuriæ: si agatur de mulcta, seu de vera *pœna conventionali*, exspectanda esse videtur sententia judicis 53. Item pro quibusdam damnificationibus involuntariis hæc obligatio imponi potest vi legis; quo in casu, non est urgenda de facto ante sententiam judicis.

51) Lessius *Lib. II. Cap. 9 Num. 113;* S. Ligorius *632, 633;* D'Ann. *236, 36.* — Verum alii damnant, si præviderit, etsi non intenderit: alii non damnant, etsi intenderit. — Cf. Tanqu. *569.*

52) Id valet præsertim quoad confessarios, medicos, syndicos et administratores ac advocatos, maxime si gratis agant.

53) Cf. S. Ligorium *I. 150.* — Imo nec ipsi tributorum exactores tenentur fisco refundere mulctas imponendas, si indicassent fraudatores: licet teneantur refundere tributa, quæ exigere neglexerint.

CAPUT III.

DE COOPERANTIBUS AD INJURIAM ALTERIUS

280. *Cooperans,* in re præsenti, est quisquis simul cum alio causa est injuriæ alteri inferendæ aut illatæ; sive hæc inferatur per acceptionem vel possessionem rei alienæ, sive per damnificationem.

Cooperans cooperari potest, tum ut causa *principalis,* tum ut causa *æqualis,* tum ut causa *secundaria.* Item cooperari potest, tum *positive* aliquid agendo, tum *negative* aliquid omittendo. Demum cooperari potest, sive *formaliter,* seu ad volitionem alterius injuste agentis; sive *materialiter,* seu ad ipsam actionem injustam. Modi cooperationis communiter novem recensentur; e quibus priores sex positivi sunt, ceteri negativi:

Jussum, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans; mutus, non obstans, non manifestans.

281. Eo ipso, quod cooperatio non est nisi damnificatio partialis ex parte agentis, ideo cooperanti applicanda sunt principia, quæ statuuntur circa quemlibet auctorem injuriæ: hoc notandum, quod cooperans consideratur hic ut damnificans, etiamsi cooperetur ad injustam rei alienæ acceptionem vel detentionem. Restrictio specialis habetur quoad cooperantes negative.

Principia I. Cooperans ad injuriam alteri inferendam, *per se* reus est peccati contra justitiam erga illum, cui ea injuria infertur.

II. Cooperans ad injuriam alteri illatam, tunc tenetur ad restitutionem, cum ejus cooperatio vere injusta fuit, et illius injuriæ causa fuit efficax, et culpabilis theologice.

Qua ratione hæc principia generalia applicanda sint, patebit ex tractatione de singulis modis cooperationis [1].

ART. I. — DE JUBENTE SEU MANDANTE

282. *Jubens,* seu *mandans,* heic dicitur ille, qui alii committit inferendam alteri injuriam nomine suo. Indifferens est, quod mandans superior sit mandatario, vel non; item, in re præsenti, quod alium inducat mercede (proprie *conduceret*), vel gratis; item, quod mandatum ei communicet expresse, vel tacite [2]. Necessarium est, quod ille actionem committat exsequendam nomine suo; quod iste suscipiat actionem exsequendam nomine mandantis. Imo et qui rem alteri consulat in utilitatem propriam, magis mandanti æquiparatur, quam consulenti.

1) S. THOMAS *2. 2. Qu. 62. art. 7;* DE LUGO *Disp. XIX.;* LESSIUS *Lib. XII. Cap. XIII.;* S. LIG. *Num. 557-581;* BALL. *354-396.*

2) At nec mandati præsumptio, nec damni illati ratihabitio mandatum est.

Principium. Mandans injuriam alteri inferendam reus est injuriæ erga ipsum; proinde erga ipsum tenetur, tum de ipsa injuria, si reapse inferatur, tum de damnis, quorum suum mandatum fuerit causa injusta, efficax et theologice culpabilis.

283. **Resolutiones.** — 1.ª Si mandatarius, fines mandati excedens alia damna intulerit, quæ in mandato exsequendo moraliter cavere non poterat, de his quoque mandans tenetur: e contra non tenetur, si mandatarius aut ex errore, quem vitare poterat, aut ex sua voluntate, alia damna præter mandatum intulit.

2.ª Si mandans mandatum ante ejus exsecutionem revocavit, at hæc revocatio mandatario ex quocumque impedimento non innotuit, adhuc de injuria aliisque damnis a mandato obvenientibus tenetur mandans: contra vero, si revocatio mandatario innotuerat.

3.ª Mandans ad nihil tenetur, si mandatarius, aut mandatum non acceptavit aut acceptatum non est exsecutus.

284. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum mandans teneatur de damnis ipsi mandatario obvenientibus?

Resp. Si ipsum mandatum fuit injustum in mandatarium, quatenus fuit ei impositum per fraudem, aut vim et metum, *affirmative*, quoad damna saltem in confuso prævisa; quoad reliqua, *negative*. Ita teneretur compensare mandatario damna, quæ hic passus ast, eo quod in actu criminis deprehensus carceri mancipatus fuit; minime vero damna, quæ passus est, eo quod in crimine perpetrando lapsus sit et crus fractum habuerit. Si vero mandatum injustum in mandatarium non fuit, de his mandans non tenetur; nisi in ipso contractu ad hæc quoque reparanda sese expresse obligaverit [3].

Qu. 2. Utrum obligationibus mandantis teneatur superior, qui propositum injuriæ alteri inferendæ ratum habeat?

Resp. Affirmative; dummodo ita propositum ratum habeat, ut in ipsius exsecutionem efficaciter influat; adeo ut ea ratihabitio sit vera causa efficax, qua alteri injuria infertur: secus vero, *negative*.

ART. II. — De consulente

285. *Consulens* heic dicitur ille, qui aut rationibus sive veris, sive apparentibus, aut mera suasione, alium ad nocendum alteri inducit. Si consulens alium inducit rationibus ostentando actionis liceitatem vel validitatem (puta contractûs), consilium dicitur *doctrinale;* si inducit mera suasione, ex gr., hortatu, precibus, promissis, etc., dicitur *impulsivum*, (a quibusdam *auctoritativum*); et quidem *vestitum*, si consulens addit motiva ad nocendum, secus, *nudum*. Consulentibus accensetur et ille, qui alteri, jam ad nocendum determinato, media indicat, quibus id exsequi valeat.

In hoc differt consilium a mandato, quod in isto exsequens nomine

3) Regulariter tenetur superior, qui inferiori mandavit jubens. Cf. D'Ann. *236.*

mandantis et in ejus utilitatem alteri nocet; in illo exsequens nocet nomine suo et in propriam utilitatem. Ab eo, qui consulit consilio impulsivo nudo, vix differt *palpo;* quatenus alium inducit adulando, laudando, exprobrando: hinc nihil specialiter de *palpone* dicemus.

286. **Principia. I,** Qui scienter consulit alicui injuriam alteri inferendam, peccat contra justitiam; ac tenetur omnia ea damna reparare, quorum consilium fuit causa efficax ac theologice culpabilis. Constat etiam ex *prop.* 39 damnata ad Innocentio XI [4].

II. Qui bona fide consuluit alicui actionem alteri injuriosam, cognito errore, tenetur ex justitia datum consilium revocare; quod si non revocet, tenetur ea omnia damna compensare, quæ secutura sunt ex omissa revocatione, tamquam effectus ex causa theologice culpabili.

287. **Resolutiones.** — *Ex. Princ. I.* — 1.ª Si consulenti constet suum consilium inutile fuisse, sive quia alter damnum consultum non intulit, sive quia alter jam ante decreverat damnum inferre, consulens ad restitutionem non tenetur.

2.ª Si homini, jam parato malum alteri inferre, quis consulat inferre majus et hoc reapse inferatur, consulens tenetur tantum de excessu.

3.ª In dubio, num alter damnum intulerit, vel non, si dubium solvi nequeat, consulens reparare non tenetur.

4.ª Si quis alteri parato damnum inferre, at ignoranti modum, hunc indicet, de damno tenetur, quod sine ea indicatione illatum non fuisset.

5.ª Si quis mala fide consilium damnificum alteri dedit, hoc autem ante exsecutionem revocavit, adhuc de damnis tenetur, quæ constet vi dati consilii illata fuisse.

288. — *Ex Princ. II.* — 1.ª Si confessarius ex errore inculpabili obligationem reapse non exsistentem pœnitenti imposuerit, aut ab exsistente exsolverit, eumque possit opportuno tempore monere, ab hoc tenetur ex justitia; dummodo id facere possit, salvo sigillo et absque incommodo suo relative gravi: quod si ex leviori motivo omittat, et ex dato consilio damnum pœnitentis vel alterius secuturum sit, hoc reparare ex justitia tenetur.

2.ª « Mulieres, plebeji et alii generatim, quorum nota est insufficientia, nec peritiam dolose affectant, nihil restituere tenentur iis, qui consilium ab ipsis petierint » [5].

289. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum consulens teneatur ad restitutionem, si dubitat, num suum consilium efficax fuerit?

4) « Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem (reparationem) istius damni illati ». DENZIGER *Num. 1189.*

5) Ita GURY *Num. 680. 1.* — Idem addit eos teneri erga alios, si damnum his ex consilio inferendum *sufficienter præviderit;* quæ hypothesis non semper verificabitur. Confessarius itaque ad hanc attendat, antequam onus restituendi imponat.

Resp. Si dubitat utrum consultarius damnum intulerit, vel non, dubium autem solvere non possit, certe non tenetur. Si, sciens illum certe damnum intulisse, dubitet, num ex opinione et voluntate propria, an vero ex consilio, duplex habetur sententia, utraque certe probabilis; neque erit confessarii obligationem restituendi ut certam imponere.

Qu. 2. Utrum sit injustum consilium illius, qui alicui parato inferre damnum majus consulit inferendum malum minus?

Resp. Negative, quoties præsumi potest ac debet non esse invitum, aut non rationabiliter invitum, illum, cui damnum inferendum esse proponitur. — Hinc:

1.° Si agatur de damno minori præ majori inferendo uni eidemque personæ, jure præsumi potest hanc invitam non esse, saltem generatim 6. Ita quod volenti omnino occidere Titium ego consulam ut satis habeat eumdem percutere vel ejus stabulum incendere, profecto nullatenus Titio displicebit.

2.° Si agatur de consulendo damno minori inferendo certæ personæ, præ majori, quod alter jam decreverat inferre personæ diversæ, theologi inter se digladiantur. Alii dicunt personam ex consilio meo damnificandam rationabiliter esse invitam consilii mei, et consequenter ipsum esse injustum: alii consilium meum probant absolute: alii probant eo tantum casu, quo ego doctrinaliter dixerim facilius tolerandum esse malum minus præ alio relative majori; vel quo homini determinato damnum aut uni aut alteri inferre, ego suggeram inferendum illi, præ quo minus est: alii probant eo tantum casu, quo consilium faveat homini secus in extremam necessitatem delabenti, aut jam in ea versanti 7. — Sententia, quæ hujusmodi consulentem eximit absolute ab obligatione restituendi, certe probabilis est.

Qu. 3. Utrum teneatur ad restitutionem consulens, si ante illationem damni datum consilium revocavit?

Resp. 1.° Si quacumque ex causa non innotuit consultario revocatio, certe consulens tenetur; cum damnificationis causa sit ejus consilium.

2.° Si vero innotuit, quærendum est, num illatio injuriæ adhuc dicenda sit effectus consilii, an nequitiæ consultarii. Porro ea non est amplius effectus consilii, si ipsum consilium fuerat nudum et simplex; item, si fuerat impulsivum et vestitum, at retractatio fuit vestita motivis, quæ motiva consilii dati eliderent; item, si erat doctrinale, et in retractatione consulens aperuit errorem. Ergo in hisce casibus, si consultarius consilium exsequi vult, id non consilio tribuendum est, sed malæ voluntati ejusdem. Ita dicendum videretur, si quis Titio mere suaserat ut Cajum occideret, dein serio conatus sit eum a crimine avertere; vel, si eidem notam ignaviæ intulerat, nisi illum occidat; dein eidem, viro christiano, exempla et præcepta Christi proposuerit: demum, si ejus animo injuriam

6) S. Ligorius *Lib. III. Num. 565;* et omnes communiter.

7) De Lugo *XIX 47;* S. Lig. *l. c.;* Ball. *144;* Gen. *539;* D'Ann. *203;* Noldin *487.*

ei illatam a Cajo persuaserat; dein injuriam illatam non fuisse demonstraverit. In hisce casibus cessat esse causa efficax damnorum; ac proinde ea compensare non tenetur consulens 8. Hæc sententia pluribus certa est; omnibus certe probabilis 9; quod ad praxim satis est.

At, qui volenti damnum inferre modum indicat, quo inferre possit, damnum quod iste vi illius indicationis infert, etiam post retractationem consilii tribuendum est dato consilio, quod est doctrinale irrevocabile: hinc ejusmodi consulens tenetur ex justitia aut absolute alterum a damno inferendo cohibere, aut praemonere laedendum.

290. *Circa Princ. II. — Qu. un.* Utrum ad restitutionem teneatur ille, qui consilium nocivum dedit bona fide, at ex ignorantia graviter culpabili?

Resp. Hic certe tenetur ad reparanda damna, quae obveniunt tertiæ personæ, dummodo propriam ignorantiam cognoverit, saltem aliquo modo, aut de ea cum fundamento dubitaverit. Quod si ille ad danda consilia *vi officii* deputatus est, puta medicus mercede conductus, vel advocatus oblato honorario, etc. hic debet insuper reparare omnia damna, quae vi erronei consilii obveniant ipsi consultario; iste enim jus strictum habet exigendi, ut ille debitam scientiam habeat ac debitam diligentiam adhibeat; quare consilium erroneum causa injusta est damnorum, quæ ipsi obveniant. At, si consulens ipsam suam ignorantiam ignoret, ac de ea nec levissimum dubium habeat, *per se* et spectato jure naturali, ad nihil tenetur; cum careat culpa theologica: obligari potest in ipso foro conscientiæ, sive vi conditionis expresse appositæ in acceptando consilio, sive ex sententia judicis.

ART. III. — De consentiente

291. *Consentiens* in re præsenti dicitur ille, qui consensu vel suffragio suo cum aliis efficaciter concurrit ad jus alterius lædendum. Talis esset judex, præsertim juratus, deputatus, consiliarius municipalis, socius in societate quacumque, eligens simul cum aliis, ad officium vel beneficium; quandoque huc reduci possent et testes in judicio.

Principium. Qui scienter suffragium præbet alteri injuriosum, peccat contra justitiam. Quoties vero ejus suffragium in damnum alteri inferendum efficaciter influit, ad reparationem damni tenetur.

292. **Resolutiones.** — 1.ª Qui bona fide suffragium de-

8) Hic tamen, si prævidet, non obstante sua revocatione, damnum esse inferendum, tenetur ex caritate monere lædendum, ut sibi caveat. — Cf. Ball. *139, sequ.*

9) Probabilem eam dicit S. Ligorius *Num. 559;* tamen probabiliorem habet contrariam, in hoc fundatam, quod adhuc consilium pergit movere, et reipsa est causa damni: hanc tenet De Lugo. *Disput. XIX. 27.* — Cf. Gen. *538;* Noldin *484;* D'Ann. *206.*

derit *per se* alteri injuriosum, non peccat; ipsum tamen revocare tenetur ex justitia: si vero id facere non valuerit, ad nihil tenetur.

2.ª Qui mala fide suffragium dederit alteri injuriosum, non modo ipsum revocare tenetur; sed, si damnum inde sit secutum, ad hoc reparandum tenetur, etiamsi suum suffragium revocare non potuerit.

3.ª Si datum suffragium fuit inefficax, puta ex defectu numeri suffragiorum requisiti, nulla est obligatio restituendi; item, si ex quacumque causa alter in suis juribus læsus non fuit.

293. **Quæstiones.** — *Qu.* 1. Utrum teneatur ad restitutionem ille, qui suffragium dedit injustum, si aliorum suffragia, suo etiam deficiente aut repugnante, ad injustam legem vel sententiam aut deliberationem sanciendam sufficiant?

Resp. 1.° Certe tenetur, quando constat suum quoque suffragium efficax fuisse. Id contingit: *a*) Quando suffragia ferenda jam præstabiliuntur ex condicto; item *b*) in votatione successiva et aperta, relate ad suffragantes priores usque ad numerum requisitum; item *c*) in votatione secreta, quando collatis votis pateat non haberi nisi numerum votorum requisitum; demum *d*) in votatione simultanea et patenti, puta per elevationem manus aut per acclamationem, quantumvis vota excedant numerum requisitum.

2.° Certe non tenetur, quando constat suum votum inefficax fuisse. Id verificatur, non modo: *a*) quando propter prævalentem numerum votorum repugnantium deliberatio non probatur; sed etiam, *b*) si vota dentur palam et successive, et jam constet ex suffragiis votantium priorum haberi numerum requisitum, quidquid sit de posterioribus 10; item *c*) in votatione secreta, si, facta deinceps votorum collatione, pateat sufficientia fuisse vota præcedentia.

3.° Quando autem neutrum constet, variæ sunt theologorum sententiæ. Casus contingere facile potest in votatione secreta successiva, in qua quis dubitat, num suffragium suum efficaciter influxerit, eo quod ex collatione votorum post completam votationem patet deliberationem injustam retulisse numerum votorum majorem, quam requireretur. Itaque theologi graves et numero plures tenent singulos, qui suffragium dederint pro ea lege, et peccasse contra justitiam et teneri ad restitutionem; et quidem juxta aliquos, *in solidum* 11; juxta alios, *pro rata* 12. Alii vero, concedentes singulos peccasse contra justitiam, negant eos teneri ad restitutionem, ex eo principio, quod pro singulis dubia est efficacia suffra-

10) S. Ligorius *Num. 566;* Ball. *145, 6;* D'Ann. *202.* — Eam ut probabilem habent Noldin *491*, et alii: in contrariam quoad praxim inclinat Tanqu. *Num. 528.*

11) Salmant. *De restit. Cap. I. 123;* cum Bonacina, Dicastillo, etc. — Cf. Gury *Num. 682;* Ball. *l. c.;* Zanin. *1475;* Sabetti *434.*

12) Hanc veram esse dicit S. Lig. *Num. 566;* eam tenent quoque De Lugo *Disp. XIX. 22*, etc.; item recentes Marc *984;* Ball. *146*, et fere omnes. — *Pro rata;* at, si alii non restituant, ad totum; ita S. Lig. *Homo apost. Tract. X. Num. 50.*

gii proprii et ex damnificatione dubia non potest oriri obligatio restituendi certa. Hanc sententiam S. Alphonsus concedit non esse improbabilem; eam vero ut solide probabilem habent quidam recentes. Hinc confessarii non erit quæstionem dirimere; nec pœnitenti opinionem oppositam, certe probabiliorem, imponere.

Quæstio præsens habere potest practicas applicationes relate ad deputatos, consiliarios provinciales et municipales, judices juratos, socios cujuscumque societatis habentes jus suffragii, testes, etc.

Qu. 2. Utrum ad restitutionem teneatur ille, qui, jus habens suffragii, ab eo ferendo abstinet, ex quo fit ut deliberatio alteri injuriosa approbetur?

Resp. Affirmative, si ipse jus suffragii accepit ex officio; h. e., ex contractu vel quasi-contractu, quo sese antecedenter obligaverat ad ejusmodi deliberationes injustas pro viribus impediendas; deliberatio autem illa approbetur præcise vi omissionis illius: quod facile contingere potest, quando ad valorem deliberationis exigitur pars major suffragiorum. Excipe casum, quo quis ab adeunda concione vel a suo voto ferendo impediatur ex incommodo relative gravi.

Minime vero tenetur, qui, non officium, sed jus tantum habeat suffragii sibi concessi ex privilegio.

ART. IV. — De receptante

294. Dicitur *receptans* vel *recursum præbens,* tum qui res furtivas a fure recipit, tum qui damnificatori refugium præbet aut promittit; ex quo et ille, et iste ad jus alienum violandum vel non reparandum juventur. Inde patet receptatorem peccare contra justitiam et ad damnorum reparationem teneri, si, et quatenus, ipse aut juri alieno lædendo, aut læso non reparando, cooperatur. — Hinc:

1.° Mercatores, qui a feminis emunt globulos bombycinos, quos norunt ante partitionem cum domino injuste subtractos fuisse, peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur. Idem dicatur de mercatoribus, cauponibus, etc., qui res furtivas, sive in pretium, sive in occultam custodiam accipiunt a famulis, a filiis familias, ab artificibus in alieno opificio laborantibus.

2.° Item peccant et per se ad restitutionem tenentur, qui refugium præbent aut promittunt furibus ceterisve damnificatoribus; ex quo fit ut et audaciores fiant, et ad jura læsa reparanda non adigantur.

3.° Qui refugium præstet post factum furi aut damnificatori, qui serio promittat se pro damnis illatis restituturum, ac refugium ideo tantum imploret, ut carcerem aliasve pœnas evadat, non peccat contra justitiam commutativam; dummodo cum fundamento speret illum servaturum esse promissa.

ART. V. — De participante

295. *Participans* dicitur, tum qui partem capit in re aliena furtiva, tum qui partem capit in ipsa actione juris alterius læsiva, sive hæc fur-

tum sit aut rapina, sive sit proprie damnificatio. De participante in re aliena nihil specialiter dicendum, cum hic sit possessor (ex parte) rei alienæ in mala fide, eique sint applicanda, quæ diximus de possessore malæ fidei. Heic agendum proprie est de participante in actione alterius injusta; de eo, scilicet, qui dici solet *cooperator* sensu maxime proprio.

Cooperatio dicitur *formalis*, si, præterquam ad actionem injustam, concurrat etiam, ut concausa, ad ipsam injustam volitionem: quod si tantum, volitione injusta supposita, concurrit ut concausa ad injustam actionem, dicitur *materialis*. Porro formalis cooperatio reducitur ad mandatum, vel consilium aut adulationem; quare hic agendum est tantum de materiali.

Insuper cooperatio dicitur *immediata* seu *proxima*, si ipsius actionis injustæ veluti partem constituit; ita furi domum alienam ingredi volenti fores aperire, vel eidem in rebus asportandis juvare, vel detrahentem interrogationibus aut suggestionibus urgere. Dicitur *mediata* seu *remota*, si inter ipsam et actionem injustam aliæ causæ intercedere debent, ut reapse injuria inferatur [13]; ita arma vendere vel commodare ei, qui vult alium interficere. Inde est, quod cooperatio proxima certius et efficacius in læsionem juris alterius influit, quam remota. Patet etiam inter utramque cooperationem varios gradus haberi; ita, qui furi ad furandum ascendenti scalam tenet, juxta alios cooperatur remote, juxta alios proxime.

De cooperatione hic agitur, non prout est concausa peccati principalis agentis (contra caritatem), sed prout concausa est, vel non, injuriæ, quam tertia persona patitur.

296. **Principia. I.** Qui scienter cooperatur injuriæ alteri inferendæ, peccat contra justitiam; insuper, si a principali agente, vi acceptæ cooperationis, injuria alteri realiter inferatur, tenetur quoque ad restitutionem. Quoad utrumque, excipiendus est casus, quo quis cooperatus fuerit ex causa injuriæ alteri inferendæ proportionata: quo in casu damnificandus non potuit esse invitus rationabiliter.

II. Causa cooperandi eo debet esse gravior, quo *a*) gravior est injuria alteri inferenda, et *b*) quo cooperatio propinquius in eam inferendam influit.

297. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II.* — 1.ª Occisioni alterius numquam licet cooperari immediate, etiam sub discrimine vitæ propriæ; item neque alterius mutilationi, nisi cooperatio hæc præservet mutilandum a morte.

13) Juxta quosdam hæc participatio proprie remota obstare potest caritati, at non justitiæ. D'Ann. I. *Num. 174, 89* et II. *207;* Ball. ad Gury *689, 11, 12.*

2.ª Famulus non poterit humeros submittere hero ascendenti per fenestras ad stuprandam virginem, ex timore ne a domino torvis oculis aspiciatur; at id poterit ex timore ne ab eo occidatur aut mutiletur.

3.ª Si quis mihi mortem aut mutilationem aut infamiam intentet, nisi ipsi ad furtum perpetrandum vel domum alterius incendendam opem præstem, certe eam possum præstare cooperatione minus proxima, puta scalam applicando vel attendendo ne forte dominus superveniat; item cooperatione vere proxima, si possim et velim deinceps damna illata pro mea parte compensare; imo, saltem probabiliter, etiamsi hoc non possim, aut non velim [14]. Lædendus enim haud rationabiliter exigeret, ut pro ejus bonis temporalibus ergo discrimen subeam vitæ, aut integritatis membrorum, vel famæ, etc.

4.ª Facilius et ex metu minoris mali possum furi vel damnificatori præstare opem mediatam, puta scalam præbere aut tenere ascendenti [15], quam præstare immediatam, puta fores domus alienæ aperire. Item facilius præstare possum, si, me non præstante, præstaret alius, aut si nihilominus principalis agens totum damnum inferret.

ART. VI. — De cooperatoribus negativis

298. Cooperatores *negativi* tres recensentur, prout cooperatio spectat ad damnum futurum, aut præsens, aut præteritum. — *Mutus* est ille, qui non præcavet damnum inferendum, quod impedire posset ac deberet loquendo, h. e., dominum monendo, clamando, etc. — *Non obstans* ille est, qui damnum non impedit, dum infertur; impedire vero posset et deberet obsistendo, prohibendo, etc. — *Non manifestans* est ille, qui post damnum illatum posset ac deberet reparationem curare manifestando vel denuntiando malefactorem, sive ipsi personæ damnificatæ, sive superioribus aut publicæ auctoritati; hoc vero omittit.

299. **Principia. I.** Cooperatores negativi tunc peccant contra justitiam, et ad restitutionem tenentur, cum eorum omissio, non solum est injuriæ alterius causa efficax et culpabilis, sed simul opponitur justitiæ commutativæ, eo quod est omissio ejus actus, ad quem ipsi ex contractu vel quasi-contractu sese obligaverant.

II. Cooperatores negativi non peccant contra justitiam, neque ad restitutionem tenentur, quoties positio actus injuriam alterius impedientis allatura fuisset ejusmodi incommodum, quod in ipso contractu vel quasi-contractu subintelligendum esset excludere intentionem sese obligandi.

14) Ita S. Ligorius *Num. 571;* Marc. *987;* quod probabile habent Gury *687;* Gen. *544, II.;* etc.

15) « Hinc licet scalam vel humeros supponere volenti expilare domum Seji, alias tuam expilaturo ». D'Annibale. II. *Num. 207, 27.*

300. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Contra justitiam peccant et ad restitutionem tenentur custodes agrorum, silvarum et domorum, qui damna inferenda pro viribus non impediant, aut jam illata non manifestent: item præpositi vectigalium, qui sinunt fraudari tributa, tenentur de his erga fiscum.

2.ª Eodem modo peccant et tenentur tutores ceterique entium moralium aut familiarum administratores, qui negligentia sua graviter culpabili causa sunt, qua personæ physicæ aut morales administratæ detrimentum in suis bonis aut juribus subire cogantur: idem dic de negligente parocho, medico, advocato, magistro, etc.

3.ª Item peccant et tenentur consiliarii municipales, ex quorum absentia, vel suffragii omissione culpabili fiat, quod contractus communitati damnosus ineatur, quod medicus vel officialis quicumque ineptus conducatur, etc.; utique, si præviderint, saltem ut probabile.

4.ª Ad restitutionem, et quidem ante sententiam judicis, tenentur qui negligentia culpabili sinant sua animalia agris alienis nocere; idem, juxta plures, dicendum, si damna illata fuerint a filio vel puero sibi subdito nondum usum rationis habente.

5.ª Parentes, superiores, domini, opificiorum præfecti, etc., ex eo tantum quod non impediant a filiis aliisve subditis damna aliis inferri, peccare quidem possunt contra pietatem vel caritatem; at non peccant contra justitiam erga personas damnificatas; hinc, spectato solo jure naturali, non tenentur hæc damna compensare 16.

6.ª Confessarius, qui culpabiliter omittat pœnitentem monere de restitutione alteri facienda, ad restitutionem pro pœnitente non tenetur. Debet enim pœnitentem monere ex officio doctoris erga ipsum, non ex contractu cum creditore.

7.ª Qui videant furem prædium alienum expilantem, ac facile possint clamando vel obsistendo vel manifestando damnum impedire et non impediant, non peccant contra justitiam, nec ad restitutionem tenentur; sive impedire omiserint sponte sua, sive precibus aut minis furis vel alterius personæ: excipe, nisi fuerint custodes pretio conducti.

301. *Ex Princ. II.* — 1.ª Custodes agrorum, etc., non tenentur obsistere, quando ex numero furum videant sibi imminere posse ipsius vitæ periculum; idem dicatur de præpositis vectigalium; etc.

2.ª Iidem custodes dissimulare possunt ex præsumpto consensu dominorum, ubi agitur de furtis parvi momenti; præsertim, si fiant a pauperibus: id applicari quoque potest præpositis tributorum, ubi agatur de re parvi momenti, aut de re, propter quam non solet adeo rigorose exigi tributum.

302. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum famuli

16) Vi legis positivæ hi et alii plures tenentur de damnis omnibus, quæ inferantur a filiis minoribus, subditis, animalibus rebusque suis; at, si immunes sint a culpa theologica, non tenentur ante sententiam judicis. C. c. *art. 1152-1166* — Cf. NOLDIN *496, b;* TANQU. *540 C.*

teneantur ad restitutionem erga dominum pro damnis ei illatis ab aliis, quæ ipsi culpabiliter non impediverunt, aut non denuntiarunt ?

Resp. Si agatur de rebus, quæ ipsis commissæ sunt specialiter custodiendæ, sive habitualiter, sive precario, *affirmative*: ita, si janitor, dum janua patet, sinat ingredi furem; si pincerna, cellam vinariam clavi ingressus, sinat alios famulos ingredi et pro lubito bibere. — *Negative* autem, si agatur de aliis rebus, et furta vel damna inferantur aut illata fuerint ab aliis famulis vel personis domesticis. Imo idem dicendum videtur quoad furta vel damna inferenda aut illata ab extraneis; eo quod conducti fuerunt ad suas operas dominis præstandas, non ad eorum bona custodienda. Id hodie facilius dicendum, quam olim: hodie enim vix famuli dici possunt de familia; magis sunt extranei ad operas conducti, quam familiares aut domestici.

Qu. 2. Utrum teneatur ad restitutionem qui, accepta a fure pecunia, sese obligavit ad tacendum, vel non manifestandum ?

Resp. Controvertitur. Plures negant, eo quod obligatio loquendi est ex caritate, non ex justitia [17]. Quidam affirmant, eo quod assumpta ex acceptione pecuniæ obligatio tacendi æquivalet cooperationi positivæ ad ablationem vel ad detentionem rei alienæ. Hinc certe obligatio restituendi imponi non potest: excepto casu, quo quis ad loquendum teneatur ex officio.

Qu. 3. Utrum teneatur damna reparare deputatus aut consiliarius municipalis, ex cujus absentia aut suffragii omissione factum sit, ut lex vel deliberatio sancita fuerit jurium Ecclesiæ aut religionis aut monasterii vel publicæ moralitatis læsiva ?

Resp. Affirmative, si, electoribus in factiones oppositas discissis, factio catholica quempiam ad officium deputati vel consiliarii elegerit, sub conditione a candidato acceptata, quod electus jura Ecclesiæ aut religionis vel publicæ moralitatis tueretur. Necesse est autem quod constet præcise ex absentia et omissione sua prævaluisse numero adversarios, ac ideo legem vel deliberationem sancitam fuisse.

ART. VII. — De restitutione facienda a cooperatoribus

303. Eo ipso, quod cooperator damnum alteri infert simul cum aliis, patet eumdem generatim ad partem damni reparandam teneri; quandoque vero teneri posse ad totum: hæc obligatio quandoque exsistens dicitur obligatio restituendi *in solidum*, vel *solidaritas*. Insuper evidens est eumdem, si quando ad totum teneatur, teneri posse ante vel post alios cooperantes, vel etiam simultanee, pro diverso ordine et gradu efficaciæ, quo simul cum aliis cooperatio sua in damnum inferendum influxit. — Dicendum: *a*) De ipsa quantitate restitutionis faciendæ; *b*) de ordine inter varios cooperatores servando, quando duo vel plures tenentur *in solidum*.

17) De Lugo *Disp. XIX. 102;* Gen. *547.* — In oppositum inclinant Lessius *Num. 68;* Tanqu. *451.*

§ I. — De quantitate restitutionis.

304. **Principia. I.** Cooperator quilibet tenetur damnum alteri illatum reparare *in solidum*, quoties ipsius cooperatio totum produxit.

II. Cooperator quilibet, cujus cooperatio partialiter in damnum alterius influxit, tenetur illi damnum reparare *pro rata*, seu pro parte influxui cooperationis ipsius proportionata.

305. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui alicui mandavit ut Titium occideret, item qui alicui consuluit ut domum Sempronii combureret, tenentur omnia damna illata reparare, quamvis sine exsecutoribus illata non fuissent. Item et ipsi exsecutores ad omnia reparanda tenentur, quamvis ille sine mandato non occidisset, iste sine consilio domum non combussisset.

2.ª Qui simul conspirantes se ad damnum alteri inferendum provocarunt, singuli tenentur *in solidum*: eodem modo, qui suffragium suum pro injusta deliberatione ex condicto dederunt, et hæc probata fuit numero suffragiorum sufficienti et necessario.

3.ª Si duo fures simul arcam nummis refertam asportarunt, quam nemo solus asportare valuisset, uterque tenetur ad integram summam una cum valore arcæ restituendam ac omnia alia damna reparanda.

4.ª Ipse cooperator negativus, qui ex justitia debebat ac poterat totum damnum impedire et non impedivit, de toto damno erga dominum damnificatum tenetur.

5.ª Non eximitur quis ab onere restituendi in solidum, eo quod, se non cooperante, cooperatus esset alius; ita qui, spe mercedis allectus, terga furi servavit, quæ liberter servasset alius.

6.ª Si duo simul consulant furtum alicui, qui eorum consilio inductus furetur, uterque tenetur ad restitutionem pro integro damno, licet unius consilium sufficiens fuisset.

306. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si plures absque conspiratione in agris alicujus furentur, singuli tenentur pro parte furti a se commissi.

2.ª Idem dicendum videtur, si duo simul sine conspiratione arcam nummariam auferant, quam unus auferre potuisset, et revera etiam solus abstulisset.

3.ª Si simul, at sine conspiratione, Titius et Cajus domui alterius ignem apposuerint, et hæc tota perierit, quisque tenetur damnum reparare tantum pro parte sua; ratio est, quia ignis appositus a Titio non combussit partem domus, quam combustam invenit ab igne apposito a Cajo.

4.ª Probabiliter idem dicendum est, cum damnum individuum plures intulerunt communi consilio, sed non vera conspiratione; puta demergendo navem; quo in casu non videtur quisque ad totum teneri, cum non-

nisi partialiter influxerit: excipiendus est casus, quo sine ipsius ope damnum illatum omnino non fuisset.

5.ª In dubio, num cujuspiam cooperatoris actio fuerit causa partialis damni, an vero totalis, ejus obligatio restituendi pro rata est certa; obligatio restituendi *in solidum* est dubia, et proinde practice nulla [18].

§ II. — De ordine restitutionis.

307. Ordo restitutionis *in solidum* inter varios cooperatores respondet ordini influxus singulorum in injuriam [19]. — *a*) Si injuria illata fuit per damnificationem proprie dictam, mandans habetur tamquam causa principalis præ mandatario; item consulens (sæpe et palpo) præ consultario, si consilium dedit in commodum proprium; exsecutor præ ceteris: dein succedunt alii cooperatores positivi, demum negativi. — *b*) Si injuria illata fuit per ablationem vel deetntionem rei alienæ, causa principalis habetur qui rem detinet in se vel in æquivalenti; ei succedit mandans, si adfuit, certe fur; cui succedunt participans in actione, receptans, ac demum cooperatores negativi. — *c*) Quod si injuria quælibet illata fuit ex conspiratione vel communi suffragio, singuli conspirantes aut consentientes sunt illius injuriæ causæ æque principales. — Itaque definiendum est, quo ordine hi omnes teneantur restituere, quando singuli tenentur *in solidum* [20].

308. **Principia. I.** Cooperator, cujus actio fuit causa totalis damni et simul principalis, tenetur *in solidum* absolute: cooperator, cujus actio fuit causa totalis damni, at secundaria, tenetur *in solidum* conditionate; nempe tunc tantum, cum auctor causæ principalis reparare non potest aut non vult.

II. Cooperator, cujus actio fuit causa totalis damni in eodem gradu ac actio alterius vel aliorum cooperantium, tenetur absolute pro parte sua, conditionate ad totum; nempe, si alter, aut alii, aut quidam ex illis, suam partem reparare non possunt aut non volunt.

309. **Resolutiones.** *Ex Princ. I.* — 1.ª Si ille, qui fuit causa principalis, totum damnum reparavit, ceteri cooperatores ad nihil tenentur, sive erga ipsum, sive erga damnificatum: ita, si rem furtivam restituit detentor; vel, si pro damnificatione restituit mandans, præsertim si mandaverat imperio vel minis; vel, si restituit exsecutor principalis; etc.

18) Cf. S. Ligorium *Num. 579;* Lehmk. *1017, V.*
19) S. Thomas *2. 2. Qu. 62 art. 7.*
20) Cf. etiam C. c. *art. 1184-1201.* — Plura Zanin. *Num. 1486.*

2.ª Si ille, qui fuit causa secundaria, damnum aut totum aut pro sua parte reparavit, jus conservat ut ab eo, qui fuit causa principalis, compensetur; hinc poterit cum debitis conditionibus compensare seipsum occulte: ita, si damna reparavit fur, erga ipsum tenetur detentor; si unus e cooperatoribus negativis, erga ipsum tenentur debito ordine positivi.

3.ª Si damnificatus obligationem restituendi causæ secundariæ condonavit, non inde ab ea obligatione eximitur causa principalis; si eam condonavit causæ principali, eximuntur et secundariæ.

310. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si qui damnum intulit conspiratione vel consensu, sciens alios non restituisse, totum restituerit, a singulis partem propriam repetere potest, recurrendo, si opus sit, ad compensationem occultam.

2.ª Si damnificatus cuipiam ex his cooperantibus suam partem condonaverit, ceteri ab hac parte restituenda eximuntur; minime vero eximuntur a parte sua, nisi ex adjunctis constet hanc fuisse intentionem condonantis: nec satis est eam præsumi.

3.ª Si quis cooperator dubitet, num ceteri pro sua parte restituerint, nec dubium solvere valeat, præsumere potest eos restituisse 21; tamen præsumere non potest eos restituisse etiam pro parte ejusdem; ac proinde de ea tenetur erga damnificatum, non erga cooperatores.

Monet S. Alphonsus, quod « rudes (intellige: *ignorantes;* h. e., hodie cives in primis, etsi forte laureati), etsi teneantur *in solidum,* raro expedit eos obligare ad totum; cum difficulter isti sibi persuadeant teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quin imo satis præsumi valet, quod domini ipsi, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam; cum aliter valde sit timendum quod nihil restituant, si obligentur ad totum » 22.

CAPUT IV.

DE QUIBUSDAM DAMNIFICANTIBUS IN SPECIE

311. Principia superius posita circa obligationem restituendi ex damnificatione generalia sunt, et applicari possunt cuicumque damnificationi, quodcumque sit ejusdem objectum. Tamen opportunum esse censemus quædam ad modum supplementi adnotare circa obligationem restituendi quorumdam damnificantium in specie; agentes: *a*) De homicida, *b*) de stupratore et fornicario; *c*) de adultero; *d*) de detractore; *e*) de usurpatoribus bonorum ecclesiasticorum.

21) Cf. GENICOT *Num. 550, III. 1;* LEHMK. *1017*: theoretice non plane consentit S. LIG. *579,* et cum eo MARC *994 Qu. 3.*

22) S. LIGORIUS *Num. cit.*: cf. et *Homo apost. Tract. X. 54.*

ART. I. — De homicida

312. — 1.° Homicida tenetur compensare omnia damna (aliquatenus prævisa) in bonis fortunæ, quæ ipsi occiso obveniant ante mortem etiam propter lucrum cessans [1]: quod si hæc ipsi occiso non compensaverit, ea compensare debet heredibus ejusdem. Quoad utrumque excipe casum, quo occisus ante mortem hæc damna occisori condonaverit.

2.° Idem reparare debet omnia damna, quæ obveniant parentibus, uxori et filiis personæ occisæ, eo quod ab eo accipere debebant et reapse accipiebant congruam sustentationem; hoc vero ratione damnificationis injustæ, cujus homicidium est causa *per se*, ex ejus connexione cum damnis eorumdem. Hinc eis hæc damna certe compensanda sunt, si propter mortem personæ occisæ sustentari indigeant; probabiliter, etsi non indigeant [2]. Neque damna hæc videntur condonari posse ab ipso; certe non in hoc ipse ea damna condonavit, quod occisori condonavit injuriam personalem [3].

3.° Si homicida prædicta damna ante suam mortem non compensaverit, hoc onus gravat hereditatem, et proinde transit ad heredes.

4.° Homicida ad nihil tenetur erga fratres et sorores ceterosque consanguineos et affines personæ occisæ; eo quod hi omnes (excepto casu specialis contractus) nullo jure fruebantur penes personam occisam, ac relate ad horum damna homicidium non est nisi causa *per accidens*, excepto forte casu, quo homicida ea intenderit.

5.° Si quis alium occidit in duello; non tenetur damna reparare, sive ipsius occisi, sive familiæ ejusdem; cum damnorum sive illius, sive istius causa injusta non fuerit homicidium: id valet, sive occisor provocatus fuerit, sive provocans; nisi ipsa provocatio vere injusta in alium fuisset. Idem dicendum videtur, si quis aggressorem occiderit excedendo moderamen inculpatæ tutelæ.

6.° Quænam possint esse obligationes homicidæ erga creditores personæ occisæ, vel erga innocentem de homicidio accusatum et forte damnatum, indicavimus superius.

7.° Quæ dicuntur de homicida, eadem cum debita proportione dicenda sunt de mutilatore, de vulnerante, de percutiente, etc.

ART. II. — De stupratore et fornicario

313. — 1.° Qui virginem violavit, sive per vim physicam, sive per metum gravem etiam tantum relative, sive per alia media injusta, re-

1) Tamen lucrum futurum est, et proinde incertum. — Cf. De Lugo *Disp. XI. Num. 42-47;* S. Lig. *631;* Ball. *278.*

2) De Lugo *Num. 79-87;* S. Lig. *631;* Ball. *283-289;* Noldin *466, 2,* hæsitans; Gen. *566.* Contrariam ut certam habet D'Ann. *286, 34;* licet ejus ratio sit *incerta, varia, difficilis.* Cf. Tanqu. *67, seqq.;* Sabetti *467.* — At certe tenetur post judicis sententiam. Ferr. *864.*

3) Nihilominus, si et hæc damna condonaverit, a confessario imponi nequit obligatio restituendi; quippe quæ mere probabilis est. Gen. *loc. cit.*

parare debet omnia damna, quæ ipsi virgini obventura prævidentur, et obveniunt, dummodo sint reparabilia. Nominatim, si, re absque culpa virginis revelata, ipsa difficilius nuptura videatur, tenetur aut eam ducere, aut augendo dotem vel aliis modis curare, ut æque bene nubere valeat.

2.° Qui virginem ad sui violationem induxit promissione matrimonii, eam ducere tenetur; si promiserat vere, ratione contractus; si ficte, ratione damnificationis injustæ, nisi ex adjunctis deceptio fuerit illi virgini voluntaria 4.

3.° Qui injuste violaverit honestam viduam, vel feminam bonæ famæ (occulte corruptam), item tenetur omnia hujus damna compensare; quæ tamen minora esse solent, quam si violata fuerit virgo.

4.° Si ex injusta feminæ violatione proles sequatur, violator tenetur omnes expensas gestationis et partus compensare, ac omnes sumptus præbere pro victu, vestitu et educatione prolis genitæ; quam insuper generatim tenetur recognoscere et, si possibile est, per subsequens matrimonium legitimare 5.

5.° Omnes prædicti violatores tenentur compensare omnia damna, quæ inde obveniant familiæ illius feminæ violatæ; dummodo fuerint saltem in confuso prævisa.

6.° Si femina in violationem sui libere consensit, violator vi injuriæ ad nihil tenetur, sive erga ipsam, sive erga ejus familiam; etiam in casu, quo ea minor fuerit 6. Tamen uterque *in solidum* tenetur ex jure naturæ prolem alere et educare, etiam in casu, quo prolem legaliter recognoscere non liceat: item uterque tenetur de damnis.

7.° Si proles ex stupro aut fornicatione (aut adulterio) genita brephotrophio consignetur, parentes, nisi inopes sint, saltem ex summa æquitate tenentur sumptus pro victu, vestitu ac educatione eidem refundere; tamen probabile est eosdem stricte non teneri; secus enim per hæc instituta non sufficienter incolumitati prolis consuleretur 7.

8.° De casu, quo minime constet cujus patris sit proles edita, sive a conjugata, sive a virgine, diximus superius.

ART. III. — De adultero

314. — 1.° Adulter, h. e., in re præsenti, qui cum uxore alterius rem habuerit, si ab ea consensum mediis injustis extorsit, tenetur eadem

4) Cf. S. Ligorium *Num. 642;* Ball. *304-306;* Noldin *569, 2;* Tanqu. *571, sequ.* At casus excipiendi sunt plures, apud S. Lig. *Num. 643, 647;* Zanin. *1510;* Marc. *959, sequ.*

5) Cod. civ. *art. 180, 186, 193.* — Casus plures refert Berardi *Num. 1627, seqq.*: at leges civiles ad matrimonium non obligant.

6) S. Ligorius *Num. 641;* Gury *729, Qu. 2;* Nodin *468;* Lehmk. *Casus 722.*

7) S. Ligorius *Num. 656.* Id probabilius habent D'annibale *278;* Marc *963.*

ratione ac stuprator, reparare omnia damna, quæ illi feminæ obveniant et obventura esse aliqua ratione prævidentur.

2.° Idem tenetur compensare omnes sumptus, quos sustinere debeat maritus, tum pro cura uxoris gravidæ, tum, si proles nascatur, pro ea alenda et educanda: insuper tenetur damnum aliorum filiorum compensare, si hi cogantur inviti et inscii cum fratre illegitimo hereditatem partiri; non vero tenetur eisdem refundere pro lucris, quæ illegitimo ex donatione aut hereditate obveniant intuitu personæ.

3.° Si femina adulterio sponte consensit, adulter ad nihil tenetur erga ipsam; at uterque simul tenetur de damnis tum mariti, tum aliorum filiorum: si et maritus consensit, cessant utriusque obligationes erga ipsum; at filii legitimi nullatenus lædi debent in suo jure ad portiorem legitimam hereditatis, tum paternæ, tum maternæ.

4.° Si adulterii crimen marito innotuerit, adulter et adultera, si et hæc formaliter rea fuit, propter injuriam in illum tenentur ei convenientem satisfactionem exhibere, saltem veniam petendo.

5.° Si crimen maritum ac filios lateat, restitutio communiter fieri debet occulte, per donationes manuales, per contractus, legata, etc.: neque generatim obligandi sunt adulteri, et maxime mulier, ad rem illis aperiendam; quod rixas et discordia pareret, h. e., gravissima mala in ordine longe superiori.

6.° Neque ad vitanda legitimorum damna tenetur mulier filio illegitimo suam et illius infamiam revelare; imo neque hic teneretur soli matris affirmationi fidem præstare, ac proinde se ut illegitimum habere [8]. Id affirmandum esse censemus, etsi muler sit perditæ famæ.

7.° In dubio utrum proles sit mariti, an adulteri, præsumenda est esse mariti: quid in dubio, utrum sit unius vel alterius adulteri, indicavimus superius.

ART. IV. — De detractore

315. — 1.° Qui de proximo detraxit, sive imponendo crimen aut defectum falsum, sive verum injuste revelando, tenetur eidem famam ablatam restituere; quippe quæ in ipso suo ordine generatim reparabilis est: si in concreto contingat famam irreparabilem esse, spectato jure naturali, ad nihil erga infamatum tenetur.

2.° Si detrahens præviderit auditores suos facile infamiam evulgaruros esse, et hi sane evulgaverint, juxta communiorem sententiam, tenetur ipse etiam penes auditores mediatos famam restituere; excepto casu, quo ei constet auditores immediatos damnum famæ illius reparasse, aut brevi reparaturos esse.

3.° Si ex detractione obvenerint personæ infamatæ damna in bonis

8) Cf. Ballerini *Num. 316-310;* Zanin. *1515, 6.* — Quando filius suam conditionem certe cognoscat, tenetur ceteris fratribus restituere quæ injuste accepit, tamquam possessor bonæ fidei; ideoque ea, quæ exstant.

fortunæ, et hæc fuerint saltem in confuso prævisa, hæc quoque reparanda sunt: ejusmodi sunt, non modo privatio alicujus boni, quo jam alter fruebatur, sed et exclusio a bono consequendo, sive ad hoc bonum jus ille habuerit, sive non habuerit.

4.° Si læsio famæ fuit in se levis, at inde orta sunt et prævisa damna gravia in bonis fortunæ, ex his oritur obligatio gravis reparandi famam, si hoc est unicum medium reparandi damna.

5.° Idem detractor reparare debet damna, saltem in confuso prævisa, quæ ex sua detractione obveniant personis stricte cum persona infamata connexis, adeo ut ab ea accipere deberent et reapse acciperent congruam sustentationem; cujusmodi sunt illius parentes, uxor et filii. Hæc damna certe eis reparanda sunt, si indigeant; probabiliter, etsi non indigeant.

ART. V. — De usurpantibus ac detinentibus bona ecclesiastica

316. — I. *Usurpans* in hoc differt a fure, quod rem alienam aufert, et auferre prætendit quasi ex jure; dum fur eam aufert recognoscens eam esse alienam. Hinc usurpatio bonorum ecclesiasticorum a gubernio italico patrata per legem diei 15 julii a. 1866, quod ad rem præsentem pertinet, est vera ablatio injusta rei alienæ, seu est verum furtum. Hinc, spectato jure naturali et præscindendo a concessionibus factis ab Ecclesia accipientibus et detinentibus hujusmodi bona, sunt applicanda principia superius posita relate ad auctorem injuriæ formalis per ablationem aut detentionem rei alienæ, —

Præmittimus ex iisdem principiis præcipuas resolutiones; quæ sacerdotibus usui esse possunt in docendo:

317. — 1.ª Gubernium italicum tenetur, non modo omnia bona usurpata restituere, sed et compensare omnia damna, quæ inde obvenerint ecclesiis, monasteriis, locis piis, personis ecclesiasticis, etc.

2.ª Item ad restitutionem et damnorum compensationem tenentur quotquot iniquæ legi cooperati sint, ita ut eorum cooperatio fuerit illius usurpationis eorumque damnorum causa vere efficax.

3.ª Qui cooperati sunt exsecutioni legis, expoliando ecclesiam, monasterium, etc., peccarunt, et tenentur damna eorum entium compensare, quatenus ab eorum actione provenerunt, ut effectus a causa: generatim excipiendus erit casus, quo cooperationem suam mere materialem præstare coacti fuerint timore gravissimi mali.

4.ª Qui primi emerunt hæc bona usurpata a gubernio, peccarunt contra justitiam et tenentur, tum ad eorumdem bonorum restitutionem, tum ad damnorum reparationem, eadem ratione, ac illi, qui rem furtivam mala fide emerunt a fure; non enim licet in his bonam fidem generatim præsumere aut admittere: neque a peccato et ab obligatinoe eximuntur, eo quod bona illa emerint in publica licitatione.

5.ª Isti proinde tenentur ea bona legitimis dominis restituere, quin

ab iis exigere possint refusionem pretii soluti: iidem non possunt ea bona aliis vendere; ac, si vendiderint, tenentur pretium receptum legitimis dominis restituere, utique post actualem possessorem et post gubernium.

6.ª Qui bona ecclesiastica detineant quocumque titulo, emptionis, donationis, hereditatis, etc., tenentur legitimis dominis restituere, tum bona ipsa, tum eorum fructus naturales et civiles; tantum sibi retinere possunt fructus industriales et subducere expensas ad eorum bonorum conservationem necessarias vel utiles.

Qui has obligationes juris naturæ rite perpendat, facile æstimare poterit quanta sit Ecclesiæ in eis relaxandis indulgentia.

318. — II. Romanus Pontifex, cum sit bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator, potest de iisdem bonis disponere prout expediens esse censuerit ad bonum animarum. Itaque, cum in actuali sensus moralis perversione impossibile sit Ecclesiæ ac entibus ecclesiasticis omnia sua bona recuperare, aliquando indulget, ut ea bona possint sub determinatis conditionibus acquisita retineri, quandoque et acquiri, quæ conditiones si adimpleantur, possint eorumdem bonorum detentoribus sacramenta Ecclesiæ concedi 9. — Præcipuæ dispositiones sunt sequentes:

1.ª Illi, qui acquisiverunt aut detinent bona ecclesiastica a fisco divendita, possunt tutâ conscientiâ in ea possessione permanere, dummodo Ordinario loci aut viris ecclesiasticis ab eodem designatis, syngrapham subscriptam tradant, qua declarent se suosque successores et heredes sequentibus obligationibus subjicere *a*) Retinendi eadem bona ad nutum Ecclesiæ, ejusdemque mandatis subinde parendi; *b*) conservandi ipsa bona et rem utilem in eis gerendi; *c*) adimplendi pia onera iisdem bonis adnexa (computando quæ personis vel locis piis tribuuntur a gubernio, titulo pensionis vel conversionis); *d*) subveniendi personis vel locis piis, ad quæ de jure ea bona pertinent (computando quæ ipsis titulo pensionis aut conversionis tribuuntur; *e*) monendi de his obligationibus successores et heredes 10.

2.ª Qui bona ecclesiastica immobilia acquisiverunt ac dein aliis vendiderunt, tenentur penes Ordinarium deponere tantummodo lucrum inde injuste perceptum, scandalum reparare, emptores et complices monere ut suæ conscientiæ consulant.

3.ª Qui acquisiverunt bona ecclesiastica mobilia primo usu consumptibilia, debent aliquam eleemosynam favore locorum piorum erogare, quatenus emerint pretio, quod judicio Ordinarii vel confessarii fuerit minus justo.

4.ª Qui acquisiverunt bona mobilia primo usu non consumptibilia, ut supellectiles et vasa sacra, debent quamprimum recurrere ad Ordi-

9) Qua ratione confessarius se gerere debeat cum hujusmodi possessoribus, sive in vita, sive præsertim in articulo mortis, quin obnoxius fiat pœnis in Codice pœnali sancitis *art. 193*, tractat GENNARI *Cons. mor. XV; LVI, Cons. can. VIII.*

10) Cf. responsum S. Pœnit. die 1 junii a. 1870, apud GURY II. *Num. 905.*

narium, cujus erit super iisdem rebus providere, disponendo, ut, si fieri potest, ad usus sacros iterum destinentur.

5.ª Qui bona ecclesiastica conduxerunt debent recurrere quamprimum ad Ordinarium; hic autem indulgebit illis, ut ea bona conducta sub directione ipsius retinere valeant, imposita aliqua eleemosyna favore personarum seu ecclesiarum, ad quas de jure pertinent, quatenus pretio minus justo conduxerint.

6.ª Demum S. Sedes enixe adhortatur omnes bonorum ecclesiasticorum illegitimos possessores et conductores, ut suæ conscientiæ consulant, petendo compositionem cum Ecclesia 11; atque ad hunc finem amplissimas concedit facultates Ordinariis; ut isti, salvis, quantum fieri potest, Ecclesiæ et entium ecclesiasticorum juribus, maxime præ oculis habeant et promoveant salutem animarum 12.

CAPUT V.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS

319. Restitutio perfecta in hoc est, ut omnis injuria illata ex integro reparetur, adeo ut perfecta reponatur æqualitas; ad hanc autem reponendam, præter ipsam substantiam restitutionis, necesse quoque est rationem habere circumstantiarum ejusdem: quarum, si una negligatur aut non plene servetur, numquam perfecta erit restitutio. Communiter tres apud theologos recensentur circumstantiæ: *a*) Persona, cui est restituendum; *b*) ordo, juxta quem est restituendum; *c*) modus, locus et tempus faciendæ restitutionis.

Patet agi hic de eo, qui vere tenetur restituere; seu generatim de auctore injuriæ formalis.

ART. I. — DE PERSONA CUI EST RESTITUENDUM

320. **Principia. I.** Restitutio *per se* fieri debet illi personæ, cui illata fuerat injuria.

II. Si restitutio fieri non possit ipsi personæ lesæ, juxta ejusdem voluntatem rationabiliter præsumptam restitutio ita fieri debet, ut in publicum bonum immediate vel mediate redundet.

III. Si restitutio ipsi personæ læsæ fieri non liceat, regulariter facienda est aliis, juxta quod lex naturalis dictat aut lex positiva decernit.

11) Quid sit *compositio* ex parte Pontificis tractat BALLERINI *Num. 388-394.*

12) S. Pœnit. 15 aprilis 1892, apud TUMM. *Num. 731, seqq.* De compositione ac de variis ejusdem modis cf. GENN. *Cons. mor. II. — IX*, et *Cons. can. VIII.*

321. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si ablata vel destructa vel utcumque deteriorata fuit res, quæ detinebatur a domino, ipsi domino facienda est restitutio; si res, quæ detinebatur legitime ab alio, ut a commodatario, depositario, etc., *per se*, seu regulariter, restituenda est detentori.

2.ª Si injuria, immediate uni personæ illata, alii vel aliis quoque damna intulit mediate, restitutio fieri debet, tum illi, tum isti vel istis: puta uxori, filiis, parentibus, etc.

3.ª Qui culpabiliter domum incendit ab inquilino habitatam, reparare debet damna, tum domini, tum inquilini; si domus ipsa assecurata erat, refundi debet societati assecurationis quantum ista solvit damnificatis.

4.ª Qui, cum posset ipsi personæ læsæ restituere, restituit aliis, puta pauperibus aut operi pio, non inde exemptus est ab obligatione restituendi ipsi personæ læsæ. Excipiendus casus, quo ejus læsio levis fuit, ac rationabiliter possit ejusdem personæ læsæ consensus in eam formam restitutionis præsumi.

5.ª Si persona, in suis juribus realibus læsa, mortua sit, nec ante mortem obligationem restituendi lædenti condonaveri, hic restituere debet heredibus ejusdem pro rata successionis singulorum: horum enim jura læsa fuerunt mediate. Ut res restituenda erogetur in suffragium animæ defuncti, necesse est quod rationabiliter præsumi possit consensus heredum; non defuncti, qui jam nullum dominium habet [1].

322. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si persona læsa non cognoscatur, aut, etsi nota, adiri non possit, restitutio facienda est erogando summam vel rem debitam in favorem pauperum vel alicujus causæ piæ [2]: si ipse damnificator sit vere pauper, aut pauperes habeat consanguineos, nil vetat quod eam rem sibi aut illis attribuat.

2.ª Si agatur de lucro simoniaco injusto, hæc erogatio in pauperes vel causas pias facienda est, saltem ex jure naturali.

3.ª Si res vel summa erogata fuit in pauperes, quando prudenter judicabatur fieri non posse, ut dominus inveniretur, vel ut ei jus suum restitueretur, jam pauperes absolutum dominium rei acquisiverunt; nec debitor ad quidquam erga dominum tenetur, si deinceps præter omnem prævisionem dominus inveniatur, eique possibile sit jus suum restituere.

323. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si læsa fuit societas in finem essentialiter malum tendens ex ipsa sui natura, ut esset societas massonica, societas a libertate cogitandi, etc., restitutio fieri non debet eidem societati, sed membris ejusdem, et, si id fieri non potest, pauperibus: eadem ratione, ac « inimico regis non est suus gladius restituendus ».

1) S. Pœnit. die 7 febr. a. 1899, apud *Monit. eccles.* XI. 440.

2) S. THOMAS *Qu. 62, art. 5;* S. LIG. *Num. 595.* — Verum, si agatur de re accepta et possessa in bona fide, ea spectari potest ut amissa a dominio definitive: cf. VERM. *Num. 167.* Consequenter eam suam facit possessor, ut rem inventam; si de bono immobili agatur, hoc acquirere poterit præscriptione.

2.ª « Si vero societas non sit essentialiter mala, quamvis quandoque pecuniam in malos usus impendat, ipsi restituendum est; nam legitime possidere potest, nec jure suo privatur propter quosdam abusus, quibus indulget ». Huc revocari possunt aliæ societates plures liberales, societates theatrales, ipsum gubernium, etc.

3.ª Si quis restituere debeat rem acceptam a filiofamilias, ab uxore, a religioso, vel a quacumque persona administrationem non habente, generatim potest, et *per se* debet, eam reddere patri, marito, superiori; excipe casum, quo id ipsi molestum sit, aut illi, a quo rem acceperat, nimis gravia afferat incommoda.

4.ª Qui debitis gravetur erga eum, qui sua bona creditoribus cedere coactus fuit, generatim ex lege civili prohibetur ea solvere creditori suo; at ea solvere debet illi, penes quem post factam bonorum cessionem voluntariam vel post sententiam declaratoriam ejusdem maneat eorumdem bonorum administratio et custodia.

324. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Cuinam facienda sit restitutio, quando debitor dubitat cuinam intulerit damnum?

Resp. Curandum omni diligentia ut dubium solvatur. Si hoc solvi non potest, distinguatur casus triplex: *a*) Si dubium versatur circa tres vel quatuor personas, generatim restitutio facienda est singulis pro rata, aut ipsi inducendi sunt ad compositionem. — *b*) Si dubium versatur inter plures vel plurimos, restitutio facienda est erogando in pauperes vel opera pia. — Verum *c*), si ipsi creditores plures sunt, ac omnes vel fere omnes degunt eo in loco, ubi pluribus damnum fuerat illatum, generatim restitutio facienda est incolis illius loci, e quibus probabiliter plures jam læsi fuerant: quod si damnum singulorum leve fuerat, restitutio fieri potest summam debitam erogando in pauperes loci illius. — Casus contingere potest de mercatore, qui mensuras vel pondera minuerat, merces adulteraverat, pretia auxerat, etc.: si ipse eodem in loco pergat merces vendere, vendat pretio minori; secus, eroget pauperibus illius loci. Ita communiter theologi ex quadam æquitate.

ART. II. — De ordine juxta quem est facienda restitutio

325. De ordine restitutionis faciendæ quæritur unice pro casu, quo quis pluribus debeat, nec omnibus valeat satisfacere: quæritur, nempe, quibus creditoribus hic debitor restituere debeat, aliis posthabitis aut etiam omissis. Quæstio hæc generalis est; spectat enim, tum debitorem ex furto aut ex damnificatione, tum debitorem ex contractu: ad eam autem solvendam plurimum conferunt ipsæ leges civiles; quæ, cum sint determinativæ juris in bonum commune, generatim censentur valere in foro conscientiæ.

326. **Principia. 1.** Inter omnes creditores, ex ipso jure naturæ præferendi sunt proprietarii rei in se exsistentis; exce-

pto casu, quo aliter lex civilis decernat in bonum commune [3]. Ratio est, quia hujusmodi res clamat ad dominum, qui super eam habet *jus in re*.

II. Succedunt creditores, qui a lege civili declarantur *privilegiati*, et quidem juxta ordinem privilegii; si plures gaudent privilegio ejusdem ordinis, singulis solvendum est pro rata [4].

III. Hisce succedunt creditores *hypothecarii*, juxta prioritatem hypothecæ; quippe quibus, non solum persona debitoris, sed et ipsa bona obligata sunt.

IV. Postremo veniunt creditores *communes*, seu *chyrographarii;* quibus regulariter restituendum est unicuique pro rata.

327. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1. Debitor ante omnia debita reddere debet res furtivas, inventas, depositas, commodatas, locatas, venditas ac non traditas emptori [5]. Non enim debet suis creditoribus solvere ex rebus alienis.

2.ª Si res in se exsistentes reddi suo domino non possint, hic præsumitur consentire, ut illæ, non in pauperes erogentur, sed a debitore in solutionem aliorum debitorum convertantur.

3.ª Pecunia, tum quæ debita sit ex contractu, tum etiam quæ accepta fuerit injuste, sive materialiter, sive formaliter, jam est in dominio possessoris: ergo non ea obligata est creditori, nec ea clamat ad creditorem: huic obligata est tantummodo ipsa persona debitoris [6]. Idem dicatur de quacumque re, quæ sit restituenda, ut æquivalens rei per se restituendæ.

329. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si heres solvere debeat, tum pro expensis funerariis, tum pro expensis ultimæ infirmitatis personæ defunctæ, ac nonnisi uni e duobus creditoribus satisfacere valeat, satisfacere debet exigenti expensas funerarias, quamvis inde impediatur quidquam solvere medico et pharmacopolæ.

2.ª Si idem aut medico tantum, aut tantum pharmacopolæ ex integro satisfacere valeat, neutri debet satisfacere ex integro, sed utrique solvere pro rata.

330. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum justitiam lædat debitor, qui, pressus a creditore communi, huic solvat, omisso privilegiato, vel privilegiatum ordinis inferioris præferat privilegiato ordinis superioris?

3) Vide quæ diximus *Num. 203 Qu. 1, 264, Qu. 2,* ex C. c. *art. 709,* et *Num. 265 Qu. 1,* ex *art. 703.* — Cf. Ball. *Num. 369.*

4) Cf. C. c. *art. 1952-1963.* — Plura apud Scavini *II. Num. 746-749.*

5) Ipse venditor rem mobilem venditam ac traditam, pretio non recepto, potest eam vindicare intra dies quindecim a traditione. C. c. *art. 1513.*

6) In Codice nostro pretium pro re vendita adhuc accipiendum nullo gaudet privilegio prælationis. Palm. ad Gury *Num. 705, 7.*

Resp. Quamvis opinio valde probabilis sit leges civiles in hac re habere vim obligandi in foro conscientiæ ante sententiam judicis, tamen non est sententia undequaque certa: hinc practice non est inquietandus debitor, qui ab ea recesserit. Consequenter ,nec sunt obligandi ad restitutionem creditores illi, qui, non servato ordine juris, curaverint sua credita quantocius recuperare.

331. *Circa Princ. IV.* — *Qu. un.* Utrum servandus sit aliquis ordo in restituendo creditoribus communibus?

Resp. 1.° Communiter admittunt theologi debita ex titulo oneroso solvenda esse ante debita ex titulo gratuito. Ratio est, quia promissio gratuita subintellectam hebere videtur conditionem: nisi impedimentum oboriatur; aliunde « nemo liberalis, nisi liberatus ».

2.° Item admittunt creditoribus prius petentibus satisfieri posse salvâ justitiâ etiam ex integro; justum enim videtur, quod vigilantibus sua vigilantia prosit.

3.° Creditores certi videntur esse præferendi incertis, pro quibus esset restituendum pauperibus; illi enim jus certum habent; isti, h. e., pauperes, nonnisi probabile ex præsumpta voluntate incertorum: insuper hi creditores incerti consentire debent debitori, ut primum se liberet a creditoribus certis, qui eum persequi non desisterent. Ceterum opinio quoque contraria probabilis est: hinc inquietandus non est debitor, qui pro rata, tum creditoribus certis, tum, pro incertis, pauperibus restituerit; nec ille, qui illis totum restituerit, istis nihil erogaverit: hinc neque illi, qui acceperint, obligandi sunt ad restitutionem.

4.° Quoad alios, quidam volunt, ex summa æquitate, creditores ex delicto præferendos esse creditoribus ex contractu oneroso; item pauperes ditioribus 7; anteriores posterioribus: alii id licere affirmant, quin sit necesse: alii putant omnibus æque solvendum esse pro rata; adeo ut debitor contra justitiam peccet, si cuipiam ex his solvat ex integro, aliis nihil 8. Itaque, saltem practice, certum est debitorem non teneri ad compensationem, si creditoribus solvit juxta ordinem æquitatis; eos vero, qui suum creditum totum recuperaverint, non teneri ad restitutionem, sive ordo ille servatus fuerit, sive non: recuperarunt enim id, ad quod jus habebant 9.

ART. III. — De modo, loco et tempore restitutionis

332. **Principia. 1.** Restitutio fieri debet eo modo, quo inter id quod creditor debet recipere, et id quod recipit, perfecta habeatur æqualitas; nec est necesse, quod ipse sciat sibi restitui aut

7) Pauperes præferendos esse vult S. Thomas *Opusc. 73, Cap. 18* circa finem: quia majus damnum passi sunt. — Cf. S. Lig. *Num. 687, 691.*

8) S. Ligorius *Num. 688-690;* Gury *706;* D'Ann. *193, 237;* Tanqu. *671.*

9) D'annibale *Num. 193, 42,* — Plura apud Zanin. *1489.*

a quo sibi restituatur, vel quod debitor sciat se restituere vel cui restituat.

II. Si restitutio fieri debeat ex re accepta, debitor restituere debet eam, ubi ea exsistit; ibi enim clamat ad dominum: si fieri debet ex acceptione vel damnificatione formaliter injusta, læsus in jure suo fieri debet indemnis, ubi ipse est: si fieri debet ex contractu, standum est conditionibus in ipso contractu statutis vel subintellectis [10].

III. Restitutio quælibet fieri debet quamprimum moraliter potest, et quidem obligatione *per se* gravi; adeo ut dilatio notabilis in materia gravi sit *per se* peccatum mortale. At, si restitutio fieri debeat ex contractu, servandæ sunt etiam quoad tempus conditiones in ipso contractu statutæ vel subintellectæ.

333. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª — Debitor satisfacit obligationi suæ per simulatam donationem suo debito æquivalentem: quod vero creditor putaverit donationem sibi fieri gratuitam, debiti solutionem non tollit [11].

2.ª Famuli, operarii, officiales, etc., restituere possunt suis muneribus incumbentes ultra quod ex officio tenerentur: ita et filii restituere possunt patri; etc.

3.ª Uxor, quæ propter prolem ex occulto adulterio susceptam teneatur damna suæ familiæ reparare, optime reparat, tum aliquid marito aut filiis legitimis donando ex bonis paraphernalibus, tum parcimoniæ in suo victu et vestitu studendo.

4.ª Qui summam debitam ad creditorem occulte transmittat, sive per confessarium vel aliam personam, sive per mandatum postale (*vaglia*) ficto nomine subsignatum, hæc autem ad creditorem reapse perferatur, suæ obligationi satisfacit.

334. *Ex Princ. II.* — 1.ª Qui rem inventam habeat ejusque dominum agnoscat, non tenetur eam domino remittere; satis est quod dominum ex caritate moneat, ac ipsius rem apud se retineat atque, ut bonus paterfamilias, custodiat.

2.ª Si inventor rei alienæ censeat opportunum esse eam ad dominum transmittere, sibi retinere aut exigere potest transmissionis expensas; quod si et res in transmissione ex toto vel ex parte pereat, domino perit. Idem dicatur de quavis re aliena in bona fide ex quocumque titulo detenta.

10) Cf. C. c. *art. 1249.*

11) At, si hic intuitu donationis acceptæ redonet aliquid, id restituendum videtur; intentio enim redonandi erat conditionata. MARC *Num. 1014.* — Forte excipiendus casus, quo nonnisi hoc modo restitutio possibilis sit.

3.ª Qui mala fide rem alienam acceperit ac possideat, eamdem vel ejus æquivalens debet domino restituere eo in loco, quo ipse nunc suam rem possideret; hinc ad eum locum eam trasmittere debet suis expensis et suo periculo. Idem dicatur de damnificatore.

335. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum debitor ex injuria formali teneatur ad restitutionem in casu, quo gravissimi ad transmissionem sumptus requirantur?

Resp. Regulariter *affirmative;* quia gravamen debitoris ex delicto converti non debet in gravamen creditoris innocentis. Excipiendus est casus, quo prudenter præsumi debeat creditor consentire, ut debitor novo hoc onere non gravetur, ac proinde restitutio aut differatur, aut fiat in pauperes vel causas pias: id autem præsumi posse videtur, quando expensæ notabiliter superant damnum, quod creditor ex privatione rei suæ pateretur. Ceterum necesse est attendere simul ad conditiones creditoris; qui, si valde pauper sit, ægre consentiet restitutionem, non sibi; sed aliis pauperibus fieri.

Qu. 2. Utrum debitor ex injuria formali teneatur iterum restituere, si rem ad dominum per aliam personam vel per publicum medium transmisit, ea vero quacumque ex causa ad illum non pervenit?

Resp. Regulariter *affirmative.* Quousque enim res ad illum non pervenit, perseverat inæqualitas seu injustitia: aliunde debitor ex delicto omnia rei pericula in delicto perpetrando suscepit [12]. Excipiuntur casus, in quibus debitor personam vel medium adhibuit ex electione aut consensu ejusdem creditoris. Imo S. Alphonsus non audet damnare ut improbabilem opinionem, quæ affirmat sufficere posse creditoris consensum rationabiliter præsumptum; qualis præsumi posse videtur, si eligatur confessarius, ut negotiorum gestor pro ipso creditore [13].

336. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quibus ex causis creditor differre possit restitutionem?

Resp. Certe differre potest quousque creditor eam exigere non potest, salva caritate. Juxta quosdam, differre etiam potest quamdiu, si restituat, multo gravius indigeret re restituta; et hoc etiamsi in illud rerum discrimen sese conjecerit culpa sua [14].

Qu. 2. Utrum debitor, qui potest et tenetur statim restituere, absolvi possit, antequam reapse restituerit?

Resp. a) Si non dat signa sufficientia dispositionis, h. e., actualis voluntatis restituendi, et quidem quamprimum moraliter potest, *negative.* — *b*) Si confessarius judicio prudenti judicat eumdem esse dispositum, seu habere veram voluntatem restituendi quamprimum, pro officio judicis eumdem absolvere poterit, et quidem quoties judicat eumdem

12) S. Ligorius *Num. 705;* Scav. *628;* Ball. *349, sequ.;* Marc *1013 Qu. 2.*

13) S. Ligorius *loc. cit.;* Lehmk. *1030;* Gen. *554;* Frass. I. *Nota 72:* hanc probabilitatem admittunt etiam Noldin *501;* Tanqu. *559.*

14) Cf. D'Annibale *Num. 223.* — Quandonam liceat a creditore vix potente restitutionem mediis legalibus extorquere, tractat Gennari *Cons. mor. CXLIX.*

esse dispositum. Quod si ex iterata semel et iterum, ac semper frustrata, promissione restituendi judicat ejusdem socordiam excitandam esse differendo absolutionem quousque ipse restituat, et hanc dilationem prudenter profuturam existimat, poterit pro officio medici hoc remedium adhibere. Caveat tamen, ne ad hoc judicium efformandum utatur hodie criteriis theologorum antiquiorum. — *c*) Demum, si dubitat de ipsa pœnitentis dispositione, ipsum extra casum necessitatis inabsolutum dimittat; at in casu necessitatis, etiam late sumptæ, absolvat conditionate [15].

Qu. 3. Utrum debitor differens restitutionem teneatur de damnis ex ipsa dilatione obvenientibus?

Resp. a) Si ipsa dilatio culpabilis est, *affirmative;* si vero est inculpabilis, et obligatio originem habet injuriam mere materialem aut contractum, certe *negative.* — *b*) Quod si dilatio sit inculpabilis, at obligatio restituendi orta sit ex injuria formali, disputant inter se theologi. Opinio communior et certe probabilior affirmat; quia culpabilis est ipsa causa prima damnorum: at nec dici potest improbabilis opinio contraria, huic argumento innixa, quod causa proxima damnorum est dilatio, hæc vero culpabilis non est [16]. Itaque confessarius hujus quoque opinionis rationem habeat, antequam obligationem restituendi, numquam non arduam, pœnitenti rite disposito imponat.

Qu. 4. Utrum ex dilatione restitutionis multiplicentur peccata?

Resp. Negative, si maneat semper eadem voluntas non restituendi, etsi debitor sæpius obligationem suam advertat: circumstantia dilationis tunc est circumstantia aggravans peccatum. — *Affirmative* vero, si debitor restituere statuat, at dein hanc voluntatem retractet; tunc pro iterata voluntate non restituendi multiplicantur peccata. Verum, cum id discernere sæpe difficile sit, satis erit confessario cognoscere a quo tempore omissa fuerit restitutio.

CAPUT IV.

DE CAUSIS DEOBLIGANTIBUS A RESTITUTIONE

337. Duæ sunt causarum deobligantium classes: aliæ enim obligationem exstinguunt; aliæ eam exsequi impediunt, sive ad tempus, sive in perpetuum. — E causis primæ classis omittimus *inventionem* ac *præscriptionem,* per quas sub determinatis conditionibus debitor aut rem alienam jam suam facit, aut ab obligatione solvendi liberatur: item quandoque huc pertinet etiam *accessio,* puta per alluvionem; item interitus rei in se debitæ ex ipsa re accepta.

15) De hisce distinctionibus agimus in Comment. *De judicio sacram. Cap. III.*
16) Lessius *XVI. 21;* S. Ligorius *Num. 680, 704;* Lehmk. *1032;* Noldin *503;* dummodo hæc damna saltem in confuso prævisa fuerint.

ART. I. — DE CAUSIS EXSTINGUENTIBUS OBLIGATIONEM RESTITUENDI

338. **Principia. I.** Obligatio restituendi exstinguitur per condonationem debiti factam a creditore; dummodo condonatio fiat ab eo, qui bonorum donandorum proprietatem habet et administrationem, et prorsus libere fiat.

II. Obligatio restituendi exstinguitur, non modo per solutionem debiti factam a debitore, sed etiam per compensationem, sive legalem, sive occultam, sibi ipsi factam a creditore.

III. Obligatio restituendi exstingui potest, sive partialiter, sive etiam totaliter, per compositionem factam a legitima auctoritate.

339. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Condonatione tacita frui potest filius, cui pater domesticum furtum exprobravit, nihil dicens de restitutione: item et famulus, quem de furto vel damnificatione convictum dominus dimisit, restitutionem expresse non exigens.

2.ª Si furtum vel damnificatio in rebus parvi momenti constiterit, debitor, si ipse valde pauper sit et creditor valde dives, poterit quandoque condonationem præsumere; facilius id poterit filius quoad res domesticas leviores. Tamen, quia condonatio est quædam donatio, non est tam facile præsumenda.

3.ª Obtinendæ a creditore condonationi, sive totali, sive partiali, pro pœnitente, opportune, et simul prudenter, se præstabit confessarius; tum quando debitor valde inops sit, tum quando prævideatur ex desidia aliisve causis levibus difficile restituturus esse.

4.ª Invalida est condonatio, quæ fiat a minori non emancipato, vel ab uxore quoad bona communia, vel generatim ab administratore quoad bona societatis vel familiæ; item, quæ fiat ab ente morali ecclesiastico sine beneplacito Apostolicæ Sedis aut Ordinarii vel legitimi Superioris 1: generatim excipe casum, quo de rebus parvi momenti agatur.

5.ª Invalida est condonatio, quam quis exigat vi vel metu aut minis; item ea, quam quis fraude extorqueat, ex gr., se pauperem et inopem simulando 2.

6.ª Injuste agunt mercatores, qui sub ementito prætextu impotentiæ concordias exigunt a creditoribus; qui proinde ideo tantum renuntiant parti crediti sui, quia timent amittere totum.

340. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si debitor, sui debiti inscius vel immemor, summam suo debito æquivalentem vel majorem donet creditori, censendus est suo debito satisfecisse; quod si hæc resolutio theoretica alicui dubia sit, practice loquendo, certe ad restitutionem rei *per se*

1) CODEX *Can. 534, 1530-1534, 2347.*
2) Cf. D'ANN. *221 Not. 1-4.* — Pro foro externo cf. quoque Cod. civ. *art. 1279-1284.*

debitæ ille non tenetur 3. Idem cum proportione dicatur, si summa donata inferior sit summâ debitâ; vel, si pro summa fuit donata res, aut pro re summa.

2.ª Si debitor summam debitam solvat creditori creditoris sui, in rigore justitiæ suo debito satisfacit, nec ad novam creditori immediato restitutionem tenetur 4: excipiendus est casus, quo per eam solutionem creditor immediatus non liberetur ex integro ab onere restituendi creditori suo, puta privilegiato aut hypothecario. Verum hæc forma restituendi invalida est, quando per legem civilem declaretur invalida; insuper numquam fieri debet sine rationabili causa.

3.ª Consequenter, si quis restituere debeat ærario status illius, qui bona Ecclesiæ usurpavit, suæ obligationi satisfacit restituendo Ecclesiæ; eo magis, quod status usurpans numquam suis erga Ecclesiam obligationibus satisfaciet.

341. *Ex Princ. III.* — 1.ª Pro debitis contractis ex injuria formali, quæ creditoribus veris restitui non possint, ac proinde in bonum pauperum et causarum piarum essent convertenda, debitor, difficultatibus restituendi oppressus, recurrere potest ad R. Pontificem; qui, ut supremus operum piorum administrator et dispensator, concedere potest debitori, ut, exigua parte in pias causas tributa, reliquam sibi servet 5. Tunc autem probabiliter in foro conscientiæ ad nihil deinceps tenetur, etsi restitutio legitimis creditoribus præter prævisionem possibilis fiat.

2.ª Eodem jure supremi administratoris et dispensatoris omnium bonorum ecclesiasticorum R. Pontifex concedere potest et solet, ut detentores bonorum ecclesiasticorum, qui, spectato jure naturali, omnia ea bona eorumque fructus deberent legitimis dominis restituere, magnam eorum partem, quandoque et omnia, sibi possint retinere; dummodo parati sint levia ea onera acceptare et exsequi, quæ ecclesiastica auctoritas eisdem imponenda censuerit.

342. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Utrum cessio bonorum importet debiti exstinctionem, saltem partialem?

Resp. *Cessio bonorum* (ital. *fallimento*) in hoc consistit, quod debitor, solvendis suis debitis impar, omnia sua bona et credita suis creditoribus renuntiat. Duplex est: alia *judiciaria;* et est privilegium a lege concessum debitori, ut propter debita non possit in carcerem detrudi: alia *voluntaria;* et est conventio inter creditores et debitorem, qua illi consentiunt in quotam sui crediti recipiendam, cum videant impossibile esse exigere totum. Itaque cessio bonorum in tantum exstingueret debitum, saltem partialiter, in quantum aut ipsa lex incessione judiciaria jus ulterius creditorum perimeret, aut ipsi creditores, cessionem volun-

3) Hanc satis probabilem habet S. Ligorius *Num. 700.* — Cf. et Ball. *419;* Gen. *558, 3.*

4) Lessius *Lib. II. Cap. 16 Num. 60, sequ.;* S. Lig. *700;* Gury *720.* — Verum hæc solutio in foro externo impugnari potest. Cod. c *art. 1291.*

5) De hoc jure Romani Pontificis fuse agit Ballerini *Num. 388-394.*

tarie acceptantes, ulteriora sua credita debitori decocto condonarent. — Porro: *a*) Lex civilis non intendit ullo modo debitorem liberare ab onere integrum debitum persolvendi; imo fraudes, quæ ab his debitoribus committantur, punit 6. — *b*) Generatim creditores, cum aut privatim omnia debitoris bona et credita inter se dispertiunt, aut inter se et cum ipso debitore de parte suorum jurium sibi solvenda conveniunt (*concordato*), non intendunt suis juribus adhuc exstantibus renuntiare, si forte debitor iisdem satisfacere aliquando valebit 7. Ceterum iidem possunt hisce quoque juribus renuntiare: at hæc renuntiatio præsumi tam facile non potest, cum sit vera donatio.

Qu. 2. Utrum, qui bona sua creditoribus cedit, possit sibi aliquid occulte reservare?

Resp. In cessione voluntaria, ipsi creditores consentire debent, ut sibi reservet necessaria sustentationi sui et familiæ. In cessione judiciaria, lex providet, ut ei relinquantur vestes, instrumenta artis et mobilia stricte necessaria, ac ex ejus bonis alimenta ei et familiæ necessaria suppeditentur 8: hinc regulariter ei non licet alia sibi per fraudes vel occulte reservare. Quin et ipsi ejusdem debitores, non illi, sed ejus creditoribus solvere debent; ac post sententiam declaratoriam cessionis, iidem debitores omnia sua debita declarare debent curatori administrandis bonis debitoris decocti deputato 9. — Ceterum auctoritas civilis, præsumens ipsum decoctum sibi nonnihil prospexisse, assignare solet minus, quam conveniens sustentatio requireret: exinde theologi, si ipse sibi nonnihil prospexit, eum de furto damnare non audent. At necessariis accensentur filiorum educatio, filiorum dotatio, imo et modesta pro futuro familiæ provisio.

343. *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Ad quid teneatur debitor, qui dubitat num creditori satisfecerit?

Resp. In casu dubii negativi, certe ei solvere debet. — Pro casu dubii positivi, seu quando rationes habentur probabiles *pro* et *contra*, si dubium solvi nequeat, tres habentur solutiones possibiles, ac omnes plus minus æque probabiles, quarum quælibet pro se graves habet rationes gravesque patronos. Prima affirmat eum teneri ad totum; secunda ad partem pro rata dubii; tertia ad nihil. Ratio prioris est, quia debito certo non satisfit per solutionem incertam 10. Ratio secundæ est ex naturali æquitate in re præsenti servanda; qua posthabita, certe alteruter,

6) Cod. comm. *art. 703, 815.* — De aliis regionibus LEHMK. *1035;* TANQU. *693.*

7) S. LIGORIUS *Num. 699;* GURY *719;* et *Casus 728-731;* MARC *1022;* LEHMK. *Casus 773;* ZANIN. *1498;* SABETTI *463 Qu. I;* FERR. *923.*

8) Cod. comm. *art. 564, 643.* — Cf. BER. *Num. 1918, seqq.*

9) Cod. comm. *art. 699.* — Utrum liceat debitori cum debitoribus suis ante sententiam convenire, tractat GENNARI *Cons. mor. LXXXIII,* et *Mon. eccles.* XVI. 184.

10) S. LIGORIUS *Lib. I. Num. 34, 35,* et *III. 700, VI. 447*: accedit D'ANN. *327.*

integrum jus habens, cogeretur integrum damnum subire 11. Ratio tertiæ est, quia obligatio solvendi in hoc casu non est nisi dubia, et consequenter nulla 12. Itaque ad prudentiam confessarii pertinebit pœnitentem debitorem ad primam, vel saltem ad secundam solutionem practice sequendam adhortari; at præferenti pro se tertiam denegare non poterit absolutionem.

ART. II. — De causis excusantibus a restitutione

344. **Principia 1.** A restitutione facienda excusant absolute: tum *a*) absoluta restituendi impossibilitas objectiva, eo quod damnum creditoris irreparabile est: tum *b*) obligationis ignorantia invincibilis ex parte debitoris.

11. Ad restitutione facienda, saltem pro parte, vel pro tempore, excusant: *a*) impotentia physica, eo quod debitor nec habet nec habere potest quod est restituendum; *b*) impotentia moralis, ex qua quis restituere non potest, nisi decidendo e statu suo legitime acquisito; *c*) grave damnum, quod ex restitutione obveniret debitori vel tertiæ personæ, propter quod creditor invitus esse non potest rationabiliter, quod restitutio omittatur aut saltem suspendatur.

345. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Non modo ad nihil tenentur homicida, mutilator, stuprator pro damno alteri in bonis corporis illato, sed nec detrahens, quando contingat jacturam famæ irreparabilem esse, eo quod crimen jam nimis est divulgatum.

2.ª Causâ ignorantiæ sæpe excusantur cooperatores a facienda restitutione in solidum.

3.ª Confessarius, regulariter, ex officio doctoris monere debet pœnitentem de obligatione restituendi; at, si prævideat monitionem forte obfuturam esse pœnitenti, quin ullatenus prosit creditori, prudenter eamdem omittet: id maxime attendendum cum moribundis.

346. *Ex Princ. II.* — 1.ª Pauperes, qui misere vitam agunt laborando, a facienda restitutione excusantur: hinc prudenter illis suggeret confessarius, ut studeant supernas benedictiones super suos creditores precibus implorare.

2.ª Si vir nobilis restituere non potest, nisi dimissis famulis et equis; vel civis primarius, nisi artem mechanicam exercendo; vel mechanicus, nisi vendendo instrumenta, quibus se suamque familiam susten-

11) Hanc cum Tamburini et Laymann tenet Ball. I. *De consc. Num. 171-173.* — Si et creditor dubitet, hanc probabilem habere videtur S. Lig. *Lib. I. 34.*

12) Hanc cum Viva et aliis tenent Waffelaert *De just. II. Num. 260, sequ.;* Gen. *Num. 602;* Ferr. *860.* — Hanc practice admittit etiam D'Ann. *327,* « quoad creditor, non ignarus obligationis, petat ».

tat; hi omnes suspendere poterunt restitutionem, usque dum absque hisce incommodis valeant.

3.ª Iidem tenentur luxum et generatim expensas minuere, ut compotes fieri possint ad restituendum, saltem in posterum et partialiter: hæc gravior est, si restitutio fieri debeat personæ conditionis inferioris, quæ laborando cogatur se et familiam sustentare, forte et misere: creditor enim hujusmodi rationaliter invitus est, quod debitor suus, luxui et voluptatibus indulgens, ipsi non restituat.

4.ª Si quis statum altiorem adeptus fuerit mediis iniquis, fraudibus, rapinis, etc., nunc autem debitis gravetur, hæc solvere debet, etsi exinde cogatur ad statum humiliorem, utpote suum, redire.

5.ª Si quis, juste dives, se ludis, crapulis, luxuriis in eam necessitatem conjecerit, qua restituere non poterit, nisi a sua honesta conditione descendens, adhuc ab obligatione restituendi excusatur [13].

6.ª Adultera non tenetur suam infamiam revelare, etsi hoc unicum medium sit, quo et maritus in bonis suis, et filii legitimi in suis juribus hereditariis non lædantur [14].

7.ª Qui pejerando causa fuit, qua quis coactus fuerit indebitum solvere, vel fuerit carceri damnatus ad annum, non tenetur suum perjurium fateri, in casu primo si carcerem timeat, in altero si pœnam mortis timeat aut carcerem perpetuum.

8.ª At, qui pejerando causa fuit, qua innocens carceri perpetuo aut morti damnatus fuerit, debet eum ab immerita pœna eximere, etiam sub periculo libertatis suæ aut ipsius quoque vitæ [15].

9.ª Quamvis fama sit bonum ordinis superioris præ bonis fortunæ, tamen, qui alium graviter in his læsit, tenetur cum levi suæ famæ jactura eumdem compensare.

347. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum debitor excusetur a restitutione, si restituendo in necessitatem extremam dilabi cogetur?

Resp. Ex sententia satis communi, *affirmative;* etiamsi res in se restituenda exsistat, et ipse quoque creditor in eadem necessitate extrema versetur. Ratio affertur, quia in ea necessitate debitor ille posset rem alienam accipere; ergo potest etiam acceptam retinere, eo magis quod ipsi favet possessio. Tamen excipiendus est casus, quo debitor rem illam abstulit alteri jam ea re extreme indigenti; ut, si quis ad sicarios fugiendos equum auferat alteri, qui, illi suo equo insidens, fugiebat persequentem: ratio est, quia in eo casu non licet rem alienam sibi occupare ob quamcumque propriam necessitatem. Idem dicendum censemus, si ille injuriam alteri intulit, non ablatione rei, sed damnificatione, quæ formaliter ab illa non differt; nam ipsum præceptum non fu-

13) Ligorius *Num. 702;* et recentes communiter.
14) Cf. Gousset *Num. 1022;* Frassin. I. *Nota 71 al Num. 197.*
15) Cf. D'Annibale *Num. 224, 17.*

randi, non tam intendit vitare emolumentum proprium, quam damnum proximi.

Verum quidam volunt esse respondendum *negative* universim, quotiescumque debitor restituere debeat ex injuria formali, creditor vero sit in extrema necessitate 16. Ratio eorum est, quia secus injuria formalis tribueret auctori suo jus prælationis super creditorem injuste damnificatum, quod absonum esse videtur.

Ceterum cuique licet opinionem primam amplecti; quæ certe probabilis est; imo, saltem extrinsece, longe probabilior quam alia.

Qu. 2. Utrum a restitutione facienda excusari quis possit ratione necessitatis gravis?

Resp. Præter casum, quo dilabi cogeretur in necessitatem extremam, de quo nuper dictum est, duo adhuc casus fingi possunt: *a*) Si creditor jam in necessitate gravi (et *a fortiori*, si in extrema) versatur, debitor autem tunc eâ non laboret, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere; ratio est, quia in pari necessitate melior est conditio creditoris; sive debitor ei debeat ex delicto, sive ex re accepta aut ex contractu. — *b*) Si tum creditor, tum ipse debitor jam in necessitate gravi versetur, res inter theologos controversa est. Alii enim affirmant debitorem teneri propter jus prævalens creditoris; alii vero negant, eo quod debitor restituere non potest, nisi cum gravissimo incommodo, ita ut quasi in gravissimam necessitatem se conjicere videretur 17. Certe utraque opinio probabilis est, et practice tuta. — At excipiendus est casus, quo res ipsa exstet in specie, aut creditor in eam necessitatem conjectus fuerit præcise per damnum ei illatum a debitore.

Qu. 3. Quantum debeat esse detrimentum debitori subeundum, ut, eo exstante, a restitutione facienda excusetur?

Resp. In primis non est habenda ceu detrimentum privatio rei vel summæ restituendæ aut usûs ejusdem. Relate ad detrimentum verum, ut essent expensæ transmissionis, venditio instrumenti vel animalis aut prædii pro leviori pretio, ut inde recipiatur summa restituenda, etc., diversum statuitur detrimentum necessarium pro diversa origine obligationis. Si hæc sit ex re accepta, communiter theologi dicunt duplum requiri, quam subeundum esset creditori ex jure suo non recepto. Si obligatio sit ex injuria formali, certe debet esse majus; communius doctores volunt esse quadruplum; quam opinionem non improbabilem habere videtur S. Alphonsus. Ceterum satis est esse impedimentum ejusmodi, sub quo creditor, ratione habita conditionis œconomicæ debitoris et suipsius, rationabiliter exigere non posset sibi fieri restitutionem. Quod si detrimentum notabile in transmissione rei consistat, hæc vendi poterit, ut transmittatur pretium; quod si adhuc damnum debitoris nimis grave sit,

16) S. Ligorius *Num. 534.* — Cf. Scavini *753;* Ferr. *856;* Ball. *404, sequ.*

17) S. Ligorius *Num 703.* — Cf. Gury *Num. 717;* Marc. *1019;* D'Ann. *224, 14.*

restitutio fieri poterit in causas pias 18. Certe si detrimentum debitoris non sit notabiliter gravius, restitutio fieri debet; quia in creditore habetur jus prævalens ad rem suam recuperandam: detrimentum vero, quod non sufficeret ad omittendam absolute restitutionem, sufficere potest, tum ut ea fiat ex parte, tum ut ea suspendatur, quousque absque tanto detrimento fieri poterit.

Qu. 4. Utrum, si restitutio ex motivo justo differatur et ex dilatione alia damna creditori obveniant, hæc quoque sint ei compensanda a debitore?

Resp. Negative, si obligatio orta est ex contractu, aut ex re accepta. Si vero orta est ex injuria formali, communius respondent: *affirmative;* eo quod horum damnorum causa fuit ipsa injuria culpabilis; saltem, si in ea patranda hæc damna fuerint aliquo modo prævisa 19. Alii tamen, et quidem probabiliter, negant; eo quod eorum damnorum causa vera est actualis dilatio inculpabilis. Ceterum in utroque casu res ipsa ab eo instanti, quo esset restituenda, fructificat domino; quare domino sunt certe restituendi fructus naturales et civiles, quos ipse ex possessione rei suæ percepisset.

348. **Monitum practicum.** — Quæstiones tractatæ aut indicatæ in præsenti sectione *De restitutione* ostendunt quam arduum sæpissime sit principia in se certa casibus particularibus applicare, ut inde discernatur, num in singulis exsistat, vel non, obligatio restituendi. Hinc patet gravissimam esse obligationem, qua confessarii tenentur, non modo principia generalia et certa scire ac tenere, sed et apprime cognoscere statum quæstionum inter theologos controversarum, ut inde conclusiones practice tutas deducere valeant, easque variis casibus occurrentibus juxta regulas prudentiæ applicare. Sicut enim *regulariter* tenentur obligationem restituendi pœnitentibus imponere, quando certa est, ita ab ea imponenda abstinere debent *absolute*, quando certa non est. — Porro « confessarius æque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem pœnitentes qui restituere tenentur, ac si obliget qui non tenentur » 20.

18) S. Ligorius *Num. 702;* D'Ann. *224, 13.*

19) S. Ligorius *Num. 670;* D'Ann. *226;* Tanqu. *694;* Ball. *329;* Gen. *556.*

20) S. Ligorius *Homo apost. Tract. X Num. 35.* — Cf. etiam Gury *Casus* I. *Num. 70;* Frassin. I. *Dissert. VI. Sulla restitutione.*

TRACTATUS QUARTUS
DE CONTRACTIBUS

34. Præ aliis modis acquirendi dominium aut quodcumque jus frequentior est *contractus;* qui, duce ipsa natura, in usus hominum inductus est ob insufficientiam saltem moralem cujuscumque hominis ad providendum omnibus suæ vitæ necessitatibus ex facultatibus sibi personalibus. Cum enim singulorum activitas sit valde limitata, nec simul possit ad plura ac diversa opera exercenda et perficienda sufficere, inde necessario fit, ut, qui agrorum culturæ incumbit, non valeat simul sibi et domum exstruere, et instrumenta artis confingere, et vestes consuere, et cibos parare, etc., Hinc quæ ipse sibi non valet suo labore acquirere, ea necesse habet a ceteris hominibus comparare, commutando cum illis fructus agrorum, quos terra ab eo exculta ultra suam suæque familiæ necessitatem producit. En origo *contractus.*

Eo ipso quod hic modus acquirendi quodcumque jus est ex ipsa hominis natura sociali, necesse est ut contractus subsit quammaxime dispositionibus determinativis publicæ auctoritatis: hinc sæpe necesse erit rationem habere hujusmodi dispositionum, quousque istæ non obstent juribus ordinis superioris, seu divini, seu ecclesiastici. Juxta methodum communem, agemus: 1. De contractibus in genere; 2. de contractibus in specie.

SECTIO PRIMA

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

350. *Contractus* in Jure nostro definitur « conventio duarum vel plurium personarum ad vinculum juridicum inter easdem constituendum, regendum, vel dissolvendum » [1]. — Dicitur: *a) Conventio,* seu unitio moralis voluntatum in unum idemque placitum manifestata. — Dicitur: *a) Conventio,* seu unitio moralis voluntatum in unum idemque placitum manifestata. — Dicitur: *b) duarum vel plurium personarum;* per quod indicatur necessitas perfectæ alteritatis inter contrahentes; sive hic sit unus et unus, sive unus et plures, sive plures et plures; quin et esse possunt personæ morales. — *c)* Objectum, in quod convenire debent duarum aut plurium personarum voluntates, est *vinculum juridicum;* scil.,

1) Cod. civ. art. *1098.* — S. Ligorius *Lib. III. Cap. III; 707, seqq.;* Carriere *De contractibus;* Ball. III. *Tract. VIII. P. III.;* Verm. *Quæst. VII.* — X.

obligatio ex virtute justitiæ, saltem pro una parte contrahentium, cui obligationi respondet pro altera parte acquisitio juris proprie dicti: quinimo tum obligatio, tum jus utrique parti gigni potest. — Dicitur *d)* ad vinculum juridicum *constituendum*, vel *regendum*, vel *dissolvendum;* ut indicetur vi contractûs vinculum induci posse, tum quoad originem sui, tum quoad sui conservationem; imo et ipsum vinculum dissolvi posse: quo in casu, cessante ex una parte obligatione, inducitur in alia obligatio abstinendi a suo jure ulterius exigendo. Ceterum nullus exsistit contractus, ex quo nulla exsurgat obligatio ex virtute justitiæ: effectus enim proprius cujuscumque contractus est *productio obligationis juridicæ*, cui respondet *translatio juris* in alium, pro quo habetur ejusdem *juris acquisitio*. — Demum e) additur *inter easdem personas*: licet enim contractus circa tertiam personam versari possit, tamen vincit tantum contrahentes (et heredes), exceptis casibus a lege positiva statutis 2.

351. Ex multiplicibus divisionibus contractuum eas tantum damus, quæ magis in posterum usui esse possunt:

1.° Ratione effectus, contractus dicuntur *unilaterales*, qui ex natura sua uni tantummodo parti obligationem pariunt; ut sunt promissio, donatio: dicuntur *bilaterales*, qui pariunt utrique; ut sunt emptio-venditio, locatio; isti habent rationem perfectam contractûs; illi minus perfectam.

2.° Ratione motivi seu finis, dicuntur *gratuiti* illi, quibus una pars in alteram jus transfert gratis, præ oculis habens alterius utilitatem absque proprio emolumento; ejusmodi sunt donatio et commodatum: *onerosi* illi, quibus utraque pars proprium commodum intendit, et propter hoc aliquam obligationem assumit; cujusmodi sunt emptio-venditio et locatio. — Patet hanc divisionem affinem esse præcedenti: tamen ab ea differt conceptu, et quandoque etiam re: ita bilaterales sunt omnes contractus onerosi, at etiam quidam gratuiti, ut commodatum.

3.° Contractus onerosi, ratione habita obligationis gignendæ, alii sunt *commutativi*, alii *aleatorii*. Dicuntur *commutativi*, seu *certi eventûs*, illi, e quibus obligatio respicit rem certam ac determinatam; ejusmodi est locatio domus pro tali pretio; *aleatorii*, seu *incerti eventûs*, sunt illi, e quibus obligatio oritur, sive quoad ipsam rem præstandam, sive quoad ejus quantitatem, dependenter a facto aliquo fortuito; ejusmodi sunt assecuratio, ludus, pensio vitalitia, etc.

4.° Ratione majoris vel minoris perfectionis, sunt *consensuales* illi, qui perficiuntur omnemque suam vim habent ex sola partium conventione; quales sunt promissio, et ex jure nostro ac fere omnibus modernis venditio: sunt vero *reales*, qui tantum traditione rei perficiuntur, quales sunt mutuum, depositum, etc.

5.° Ratione modi contrahendi, sunt *solemnes*, qui formalitatibus a

2) C. c. *art. 1127, 1130.* — Cf. D'Ann. II. *Num. 417;* Tanqu. *642.*

jure requisitis ineuntur: *simplices,* qui fiunt per meram partium contrahentium consensionem [3].

6.° Denique, præter contractus proprium nomen habentes, ut sunt venditio, donatio, mutuum, etc., dantur et contractus *innominati;* qui ad quatuor revocantur: *a) Do ut des — b) do ut facias — c) facio ut des — d) facio ut facias.* — Verum hæc distinctio modo magis historica, quam moralis, est.

7.° Distinctio inter contractus *stricti juris,* et contractus *bonæ fidei,* ex Jure nostro exsulare videtur: certe ad forum conscientiæ parum pertinet; nisi quod contractus unilaterales strictioris sunt interpretationis, quam bilaterales [4].

CAPUT I.

DE REQUISITIS AD VALIDITATEM CONTRACTUS

352. **Principium.** Ad validitatem cujuscumque contractus quinque elementa concurrere debent: *a)* Subjectum capax contrahendi; *b)* contrahentium consensus; *c)* objectum determinatum et aptum; *d)* causa licita; *e)* forma legitima. Constat ex consensu theologorum et confirmatur ex Jure nostro [1].

353. **Resolutiones.** — 1.ª Quamvis contractus hisce elementis præditi validi sint, tamen adhuc possunt esse illiciti *per accidens,* utpote alicui virtuti contrarii.

2.ª Cum ipsum jus civile ad valorem objectivum contractuum nihil amplius requirat, contractus hisce elementis præditi objective, et proinde in ipso foro conscientiæ, validi esse debent.

3.ª Consequenter formalitates in contractibus ineundis præscriptæ ita necessariæ sunt, ut contractus iisdem carentes in foro externo sustineri non valeant, ac insuper per sententiam judicis ita rescindi valeant, ut in ipso foro conscientiæ omnem valorem amittant; at non videntur invalidi esse, saltem per se et omnes, ipso facto. — Ceterum de hisce inferius.

ART. 1. — DE SUBJECTO CONTRACTUS

354. **Principia. 1.** Ex ipso jure naturali sunt incapaces contrahendi illi, qui non habeant usum rationis et aliquam con-

3) De distinctione inter contractus *nudos* et *vestitos,* vide BALL. *Num. 14 16.* — Distinctio hæc quoad voces in codicibus hodiernis non habetur; at forte habetur quoad rem. Cf. PALM. ad Baller. *Num. 17. Nota.*

4) C. c. *art. 1024;* item *art. 1131-1134.* — Cf. D'ANN. *Num. 408, 6.*

1) C. c. *art. 1004.* — Ex Jure nostro dabimus dispositiones summarias et præcipuas tantum: relate ad dispositiones secundarias, exceptiones, etc., conferantur scriptores de Jure civili.

tractus ineundi cognitionem. Ratio est, quia isti non possunt obligationem juridicam assumere, aut velle suum jus in alios transferre.

II. Illi ipsi, qui ex jure naturali capaces essent contrahendi, se per contractus obligare, saltem firmiter, non valent, nisi simul gaudeant capacitate juris positivi : porro hac in casibus ab ipsa lege expressis destituuntur : *a*) Minores ; *b*) interdicti ; *c*) inhabilitati ; *d*) demum omnes, quibus lex vetat determinatos contractus [2].

III. Perfecta capacitate contrahendi gaudere possunt etiam personæ morales [3]. Personæ autem morales, quæ jus exsistendi ac possidendi habent ab Ecclesia, capacitatem contrahendi habent ab ipsa Ecclesia, præter aut etiam contra statuta legis civilis.

355. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Incapaces præsumuntur contrahendi pueri ante septennium, et habitualiter amentes : item incapaces sunt furiosi et ebrii eo tempore, quo sui compotes non sunt.

2.ª Præ quibusdam contractibus majoris momenti sunt ex ipso jure naturæ incapaces, non modo semi-fatui et semi-ebrii, sed et qui naturam obligationis assumendæ cognoscere non possunt ; ex. gr., pueri decennes quoad matrimonium.

3.ª Quoniam sæpe arduum est limites definire convenientis capacitatis subjectorum præ diversis contractibus, opportunum et vix non necessarium est, quod hujusmodi limites a publica auctoritate definiantur, sive per ipsam legem, sive per sententias judiciales in casibus particularibus.

356. **Expositio.** *Princ. II.* — 1.° Qui subsunt patriæ potestati (filii minores non emancipati), vel tutori (minores non emancipati, patria potestate deficiente), generatim incapaces sunt cujuscumque contractus : qui subsunt curatori (minores emancipati, deficiente patria potestate), absque adsistentia aut consensu curatoris incapaces sunt cujuscumque actus excedentis administrationem suorum bonorum ordinariam.

2.° Uxor invalide contraheret circa bona dotalia et communia, quorum non habet administrationem : at de bonis suis quibuscumque, etiam dotalibus, disponere potest per testamentum absque ulla dependentia a marito.

3.° Interdicti, h. e., majores vel minores emancipati, qui declarati fuerint *interdicti* per sententiam judiciariam, sunt in statu tutelæ ; relate ad contractus æquiparantur minoribus subjectis tutori, ac generatim absque ejus adsistentia vetantur graviores quasdam obligationes assumere [4].

2) De personis moralibus vide C. c. *art. 2, 433, 434.*
3) C. c. *art. 1105, 1106.* — Cf. et CODEX *Can. 1495, seqq.*
4) De prædictis omnibus Cod. civ. *art. 137-319, 1399, 1438,* etc.

4.° Per sententiam judiciariam declarari possunt *inhabiles* relate ad quosdam contractus illi, qui, aut mentis imbecillitate, aut prodigalitate laborant: hisce datur curator, sine quo ea tantum negotia legitime agunt, quæ simplicem suorum bonorum administrationem non excedunt 5.

5.ª Generatim, qui administrationem gerunt bonorum alterius personæ physicæ vel moralis, vel de ea participant, prohibentur super iisdem bonis in proprium favorem contrahere, et quidem sub pœna nullitatis: istæ prohibitiones sunt strictissimæ interpretationis; hinc quorum bonorum vetatur emptio, non vetatur conductio 6.

357. **Resolutiones.** — *Ex Princ. III.* — 1.ª Ad Ecclesiam, minime vero ad statum, pertinet statuere quænam sint entia ecclesiastica capacia possidendi et contrahendi; item, *per se*, determinare quænam sint conditiones et formalitates servandæ, sive ad liceitatem contractuum, sive ad eorum validitatem. Verum de his alibi.

2.ª Contractus ab his entibus initi juxta dispositiones Ecclesiæ validi sunt, et personas, sive physicas, sive morales cum iisdem contrahentes obligant in foro conscientiæ; licet quandoque facultas non detur sustinendi ejusmodi contractus in foro laicali.

3.ª Ex ipsis contractibus inter personas physicas ineundis unus est, Matrimonium, præ quo, si inter christianos contrahatur, ad Ecclesiam spectat, et quidem *exclusive*, determinare, tum capacitatem contrahentium, tum formalitates ad ipsam ejus validitatem servandas. Hinc juxta leges Ecclesiæ, et juxta eas tantum, definire debet quænam sit vera hujus viri uxor, quinam sint ejus legitimi filii.

358. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quid importet alicujus subjecti incapacitas ad contrahendum?

Resp. 1.° Si incapacitas sit ex jure naturali propter defectum usus rationis, ipse contractus invalidus est, neque ullam parit obligationem etiam comparti capaci. Idem *per se dicendum*, si subjectum incapax est naturaliter, eo quod nullam habet cognitionem obligationis assumendæ; at in praxi plures occurrunt difficultates, de quibus dicemus, ubi de singulis contractibus.

2.° Si incapacitas sit ex jure positivo, obligatio assumpta a contrahente capaci *per se* valida est; obligatio assumpta a contrahente incapaci valida est, at non firma; nempe ipse contractus per sententiam tribunalis rescindibilis est ex parte ipsius incapacis, aut aliorum interesse habentium pro ipso; minime vero arbitrio compartis capacis 7. Lex enim cavere vult periculum, ne quis, imbecillitate personæ incapacis abutens, ipsam inducat ad contractum sibi perutilem, at illi noxium. Casus essent: si quis summam notabilem det mutuam minori cum fœnore post

5) C. c. *art. 339*: his æquiparantur surdi-muti, et cæci a nativitate; *art. 340*.
6) Vide C. c. *art. 300, 1054, 1533, 1457, 1458*, etc. — D'Ann. *409, 8*.
7) Cf. D'Annibale *Num. 409*. — Ex C. it. incapaces jus habent ad rescissionem, quia *incapaces*.

majorem ætatem restituendam; vel feminam conjugatam inducat ad sua bona paraphernalia obliganda; vel ab interdicto equum emat; etc.

Excipiuntur casus: *a*) Si pars incapax dolose se capacem esse simulaverit, vel se habere legitimam auctorizationem; *b*) si incapax post adeptam capacitatem contractum jampridem initum ratihabuerit; *c*) si agatur de rebus manualibus parvi momenti, ut communiter theologi admittunt et ipse sensus communis confirmat.

Qu. 2. Utrum incapax, aut alius pro ipso, possit in conscientia rescissionem contractus invocare, licet in actu contrahendi sufficienter cognoverit et voluerit obligationem assumere?

Resp. Excepto casu, quo dolose se capacem esse aut se esse auctorizatum simulaverit, *affirmative;* et quidem, sive contractus in ipsum injustus fuerit, sive non injustus: utitur enim privilegio legis; quæ, cum sit juris determinativa et lata in bonum commune, justa est et valet in ipso foro conscientiæ 8. Hinc, si quis equum vendiderit minori, cogi potest ad equum recipiendum et ad reddendum pretium; quod si equus penes minorem, pretio nondum soluto, perierit, venditor pretium exigere non potest. Item, si femina conjugata creditoribus mariti aut fratris sua bona personalia sine auctorizatione mariti obligaverit, illis decoctis non tenetur e bonis suis creditoribus eorumdem satisfacere; qui, si juridice petant, certe sententiam contrariam referent 9. Demum, si interdictus summam mutuatam acceperit, ac dein in expensas voluptuarias eamdem consumpserit, eam restituere non tenetur, etsi deinceps restituere valeat.

Verum, juxta dicta superius, quandoque haberi potest obligatio restituendi, etiam rescisso legaliter contractu; nempe, aut ex injusta rei alienæ detentione, aut ex injusta damnificatione.

359. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Quænam sunt entia moralia ecclesiastica prædita capacitate contrahendi?

Resp. Sunt omnia et sola ea, quæ capacia sunt possidendi bona temporalia. Porro ex his duplex classis habetur: *a*) Quædam, dum habent exsistentiam et capacitatem possidendi ab Ecclesia, recognoscuntur ab ipsa civili auctoritate; quæ tamen per veram juris usurpationem prætendit eorumdem capacitatem, sive possidendi, sive acquirendi, pro lubito moderari. Ejusmodi sunt Diœceses, Ecclesiæ parochiales, beneficia, seminaria, quædam confraternitates, quædam opera pia. — *b*) Alia sunt, quæ et exsistentiam et perfectam possidendi et contrahendi capacitatem habuerunt et habent ab Ecclesia; quibus tamen civilis auctoritas, nedum recognitionem legalem denegat, sed nec ipsum jus exsistendi permittit. Ejusmodi sunt in Italia congregationes religiosæ et opera pia suppressa per leges 15 julii a. 1866 et 17 julii a. 1890; item alia instituta erecta

8) Hanc sententiam probabiliorem habet S. LIGORIUS *Num. 757.* — Cf. NDLDIN *519;* TANQU. *658, sequ.* Verum minores ex Codd. gall. et belg. jus habent ad rescissionem contractuum, *per quos læsi fuerint;* GURY *765;* GEN. *580.*

9) Aliter censent FERRERES *Num. 904;* GURY *Casus 775.* At certe, si mala fide egit ea femina, ficte sua bona obligans, tenetur tamquam damnificator.

et ab Ecclesia approbata, sive ante, sive post prædictas leges suppressionis. Porro omnia hæc entia, quidquid contra statuat civilis auctoritas, veram capacitatem possidendi et contrahendi habent ab Ecclesia, quæ est *regnum Dei* in terris.

Hinc: *a*) Contractus, tum alienativi, tum acquisitivi, qui ab ente ecclesiastico recognito fiant absque auctorizatione gubernii, validi sunt in conscientia, et obligant sive ipsum ens, sive eos, qui cum illo contraxerunt. — *b*) Inito contractu, neque ipsi contrahentes, neque eorum successores, nec heredes, aut alii pro ipsis, possunt salvâ conscientiâ ejusmodi contractum impetere, neque ejusdem petere rescissionem sub eo prætextu, quod gubernii auctorizatio habita non fuit. — *c*) Nisi obstent motiva specialia, administratores horum entium curabunt in suis contractibus auctorizationem gubernii obtinere; tum, ut periculum molestiarum evitent, tum, ut valeant contractum in ipso foro externo sustinere; at, ubi opportunum et possibile est gubernii vigilantiam (dicunt: *tutelam!*), sive in acquirendo, sive in alienando eludere, eludere in conscientia possunt ac debent: non inde contractûs validitas aut invaliditas pendet. — *d*) Iisdem rationibus validi sunt contractus omnes, tum alienativi, tum acquisitivi, qui fiant ab entibus ecclesiasticis a civili auctoritate non recognitis: quibus insuper impossibile est gubernii auctorizationem habere. Proinde quotquot cum hisce entibus contraxerunt, contractus initos servare tenentur; ac proinde graviter peccant, tum ipsi, tum eorum heredes omnesque interesse habentes, qui eos in foro laicali impugnare audeant, sub eo prætextu quod ens ecclesiasticum non recognitum incapax est: hoc valet, tum de contractibus emptionis aut venditionis, tum maxime de testamentis. — *e*) Nullius valoris sunt quoad forum conscientiæ recentes decisiones Curiarum cassationis. Proinde quicumque iis inixus audeat jura entium moralium ecclesiasticorum impetere, aut eadem entia ad transactionem adigere, rei sunt peccati mortalis gravissimi, ac tenentur ad restitutionem et omnium damnorum compensationem. — *f*) Administratores horum entium ecclesiasticorum tenentur *sub gravi* leges Ecclesiæ super hisce contractibus servare, nominatim dispositiones Juris novissimi.

ART. II. — De consensu contrahentium

360. *Consensus* in hoc consistit, quod quis vere aliquid velit, cum sufficienti cognitione et advertentia illius objecti, quod velle dicitur.

Principium. De essentia cujuscumque contractus est quod uterque contrahens vere velit contrahere. Ratio est, quia sine hac volitione haberi nequit translatio juris aut assumptio obligationis. Hinc consensus *anima contractûs* esse dicitur.

Resolutiones. — 1.ª Qui ficte contrahit, hic fingit contrahere, at non contrahit; ac proinde obligationibus illius contractus *per*

se non tenetur. Tamen fictio in foro externo probanda est; non enim præsumitur, nisi ex adjunctis facile perceptibilis fuit.

2.ª Qui, extra casum coactionis, ficte contrahat, alterum contrahentem decipit injuste; proinde erga ipsum de illata injuria ac de damnis inde provenientibus tenetur: quod si reparatio fieri nequeat nisi per verum consensum, ad hunc præstandum tenetur ratione damnificationis.

3.ª Vere, non ficte, contraxit ille, qui contrahere voluit cum intentione non implendi obligationem vi contractûs assumptam: consequenter ad hanc implendam tenetur vi ipsius contractus.

361. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum valide contrahat ille, qui contrahere quidem intendat, at non intendat obligationem assumere?

Resp. Quidam theologi affirmant; nam, qui vult contrahere, ipso jure obligatur, quamvis ipse obligari nolit [10]. — Alii negant; eo quod intentio sese obligandi est de essentia contractus: quare, qui illam excludit, contrahere non vult, sed fingit [11]. — Alii demum censent intentionem contrahendi subsistere posse cum intentione non sese obligandi, quando contrahens in falsa opinione versetur circa ipsam naturam obligationis assumendæ. Casus esset, si quis matrimonium contrahere velit sine intentione obligandi se ad servandam conjugi fidem, quam non putat ad essentiam matrimonii pertinere. Quo in casu communiter dicunt quærendum quænam intentio in mente et in voluntate contrahentis prævaluerit [12]. — Quod si contrahens intendat contrahere cum proposito non implendi, contractus (puta matrimonium) valet.

Qu. 2. Utrum consensus utriusque partis contrahentis simul coëxsistere debeat?

Resp. Generatim necesse et satis est, quod unius partis volitio perseveret quousque volitio alterius accedat; ad hoc autem sufficit, quod volitio semel edita non fuerit retractata. — Ceterum res melius patebit, ubi de singulis contractibus agemus.

§ I. — De qualitatibus consensus.

362. **Principia.** Ad validitatem contractûs consensus debet esse liber ac deliberatus; scil.: *a*) quoad intellectum, procedere debet a sufficienti cognitione et advertentia obligationis contractus ac ejusdem objecti; *b*) quoad voluntatem, præditus esse debet ea voluntarietate, quæ ad actum perfecte humanum requiritur. Ratio est, quia actus non perfecte humanus nequit esse fundamentum obligationis perfectæ [13].

11. Idem consensus debet esse: *a*) externus, h. e., signis sen-

10) Lessius et alii, apud S. Ligorium *Num. 710.*
11) S. Ligorius *Num. 710;* D'Ann. *412, 45.*
12) Ballerini *Num. 19, sequ.;* Gen. I. *585,* II. *459.*
13) Cf. De Lugo *De justitia et jure. Disp. XXII. Num. 40, seqq.*

sibilibus manifestatus; *b*) mutuus, h. e., ab utraque parte positus et manifestatus circa eumdem contractum et idem objectum.

363. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Contractus, qui fiat cum consensu semideliberato, sive propter habitualem mentis infirmitatem, sive propter actualem actus imperfectionem ex subita ira, aut ex occursu repentino, etc., invalidus est.

2.ª Contractus, quem quis ineat, sive cum ignorantia perfecta, sive cum cognitione aut advertentia valde imperfecta obligationis propriæ illius contractus, generatim habendus est ut nullus.

364. *Ex Princ. II.* — 1.ª Licet quandoque leges positivæ quoad quosdam contractus exigant consensum verbis ab utraque parte expressum, et forte alias quoque formalitates, tamen *per se* sufficiens est quælibet ejusdem manifestatio per nutus, per traditionem manus, per inclinationem capitis, etc.

2.ª Ipsa taciturnitas quandoque haberi potest ceu manifestativa consensus, juxta illud: « Qui tacet consentire videtur ». Verum taciturnitas illius partis, cui contractus onerosus est, non habetur ut manifestativa consensus, si illa, aut facile contradicere non potest, aut, si dissentit, dissensum aperire non tenetur. Facilius ut talis habetur taciturnitas illius, cui contractus est favorabilis.

3.ª Qui recipiat folia et periodica ab editoribus libere transmissa cum declaratione quod qui ea non remittunt, pretium solvere debeant, *per se* nec pretium solvere tenetur, nec folia aut periodica remittere; ejus enim silentium consensui non æquivalet. E contra tenetur, qui hujusmodi pactum in programmate propositum acceptaverit; dein vero post unum vel alterum annum ab associatione cessare velit [14].

4.ª Eo quod contractus inter duas partes perficitur, ideo necesse est quod una pars rem proponat alteri, et hæc rem propositam acceptet, suamque acceptationem manifestet: quin, si contractus utrinque onerosus sit, requiritur, tum propositio, tum accepattio ex utraque parte.

5.ª Qui alteri rem exhibet, promittendo venditionem, locationem, etc., quamdiu exhibitio ab altero acceptata non fuit, jure potest ab exhibitione recedere.

6.ª Si Titius, librum tradens Sempronio, illum commodare intenderit, Sempronius vero ut sibi donatum habeat, liber nec donatus, nec *per se* commodatus est: tamen eo ut commodato uti potest Sempronius, quia quod minus est in majori continetur [15].

365. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum, si contractus fiat inter præsentes, ad ejus valorem satis sit, quod una pars promittat, altera acceptet; an vero necesse sit, quod et hæc altera repromittat?

Resp. 1.° Si agatur de contractibus bilateralibus, ut essent emptio-

14) Cf. GASPARRI *Quæst. mor. Num. 123;* TANQU. *622.*
15) Aliæ applicationes apud D'ANNIBALE *Num. 411, 34;* ALB. *136. III.*

venditio, locatio-conductio, matrimonium, *per se* sufficere videtur acceptatio; quippe cui naturaliter inest et repromissio.

2.° Si agatur de contractibus unilateralibus (non gratuitis), ut esset promissio vendendi vel locandi, aut viceversa promissio emendi vel conducendi, videtur ad eorum valorem requiri et repromissionem; eo quod *per se* subsistere potest acceptatio sine repromissione, seu absque onere adnexo repromissionis. Ita nec vera sponsalia habentur, si unà pars alteri matrimonium promittat, hæc vero promissionem acceptet, non repromittens 16.

Qu. 2. Utrum, si contractus fiat inter absentes, contractus perficiatur actu, quo secundus promissionem prioris acceptat, an vero actu, quo ejus acceptatio (vel repromissio) priori innotescit?

Resp. 1.° Contractus gratuiti videntur perfici sola acceptatione; quam offerens præsumere debet, quousque ei constet de opposito. Ita, si quis rem ut donatam ad alterum transmiserit, hic eam videtur suam facere per solam acceptationem, ac si ea, durante transmissione, nullius fuerit 17.

2.° Verum circa contractus onerosos, spectato solo jure naturali, non una est theologorum opinio. Quidam tenent sufficere acceptationem aliquo signo externo manifestatam, licet ea nullatenus significata fuerit priori proponenti. Ratio eorum est, quia, cum consensus proponentis moraliter perseverare censeatur, per consensum alterius externe manifestatum satis habetur utriusque voluntatis conventio.

Alii tenent solam acceptationem, spectato jure naturali, non sufficere; hoc autem eo argumento, quod utriusque voluntates convenire debent modo humano, et proinde sensibiliter. Consequenter, si quis alteri per epistolam proposuerit domum vendendam vel locandam, quousque per litteras vel nuntium acceptationem illius non cognoverit, poterit salvâ justitiâ per telegraphum propositionem factam revocare; neque alter ullatenus conqueri potest, etsi testem suæ acceptationis epistolam miserit, quæ casu fortuito deperdita fuerit. Idem dicatur de petente domum emendam vel conducendam.

Verum isti ita tenendum esse docent, *spectato solo jure naturali*. Duos enim casus excipiunt: *a*) Si proponens assignavit alteri tempus ad suum consensum sibi significandum, injuste ante hoc tempus a contractu proposito recederet. - *b*) Si contractus ejusmodi sit, qui *vi consuetudinis* etiam inter absentes sola acceptatione perficitur, jam ante communicatam proponenti acceptationem valet, neque hic potest ab eodem recedere. Præter contractus gratuitos, huc spectant etiam quidam onerosi: ita, si quis mercatori per litteras committat determinatam vini mensu-

16) S. Ligorius *VI. Num. 836;* D'Ann. *411, 32;* Lehmk. *1061, sequ.* — De sponsalibus modo res plana. Codex *Can. 1017.*

17) De Lugo *Disput. XXII. 27.* — Cod. c. *art. 1057* statuit donationem valere a die, quo ejus acceptatio notificata est donatori; at hoc extendi non debet ad donationes manuales.

ram pretio certo ac definito ad se transmittendam; vel sartori, ut sibi vestem conficiat; etc. — Demum *c*) omnes admittunt in ipso foro conscientiæ standum esse legibus civilibus, si quid super hanc rem decernant [18].

§ II. — De vitiis oppositis consensui.

366. Vitia opponi possunt consensui, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis.

Ex parte intellectus opponitur *error*. — *a*) Hic potest versari circa speciem contractus vel substantiam objecti ejusdem, et dicitur *substantialis*: si versatur circa qualitates, dicitur *accidentalis*: nisi qualitas *reductive* fiat substantia, quo in casu error ipse fit substantialis: hæc distinctio ex parte objecti refertur ad personam in contractibus, quorum objectum persona sit. — Item *b*) potest esse ipse error causa contrahendi; et tunc dicitur *antecedens* vel *efficax*: quod si etiam cognita veritate contractus fieret, dici solet *concomitans*. — Demum *c*) error quilibet in uno contrahente potest originem habere ex dolo alterius contrahentis; at etiam potest esse ab eo prorsus independens: *dolus* vero heic intelligitur, non bonus, seu solertia quædam, puta qua petatur pretium majus, quam reapse exigitur; sed *malus*, seu fallacia ad alium decipiendum adhibita.

Ex parte voluntatis, consensui obesse potest *vis* vel *metus*, qui uni e contrahentibus [19] ab alio contrahente vel a tertia persona incutiatur; ac potest esse sive justus, sive injustus; item incuti potest ad finem extorquendi consensum, vel sine ulla relatione ad consensum. Quin imo metus quilibet, etiam ab intrinseco vel a causa naturali procedens, si talis sit, qui usum rationis perturbet, opponi potest consensui etiam ex parte intellectus.

PUNCTUM I. — *De errore ac dolo*

367. **Principia. 1.** Propter defectum consensus invalidum reddit contractum error, sive juris, sive facti; ille, si est causa unica aut principalis contrahendi; iste, si versatur circa speciem contractus aut substantiam objecti [20], sive in se, sive reductive.

11. Error accidentalis in uno contrahente causatus ex dolo alterius contrahentis et antecedens reddit eumdem contractum saltem rescindibilem ad arbitrium contrahentis decepti. Ratio est, quia

18) Cf. De Lugo *Num. 29;* Lehmk. *1061;* D'Ann. *411, 35;* Noldin *533;* Scav. *375, 3;* Gen. *587* et *Casus 334.*

19) Cf. C. c. *art. 1313.* — Cum coactio seu vis in interiorem consensum voluntatis cadere non possit, « ideo quantum ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus ». S. Thomas *In IV. Sent. Dist. XXIX. Qu. 1, art. 1.*

20) C. c. *art. 1108-1110.*

contrahens dolosus jus quidem in alterum vi contractus transmisit, ipse vero ex sua actione injuriosa nullum jus acquisivit : confirmatur etiam ex jure positivo [21]. Excipiendus est casus, quo agatur de tali contractu, qui, si per se nullus non sit, non est ullo modo rescindibilis.

111. Error accidentalis in uno contrahente ex dolo alterius causatus, ex quo factum sit quod alter sub determinatis conditionibus contraheret, contractum quidem nec invalidum nec rescindibilem facit ; sed contrahenti decepto jus tribuit reducendi stipulationem ad eas conditiones, præter quas nonnisi ratione doli contraxerat.

368. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si quis filio fratris sui portionem substantiæ suæ reliquerit unice ex eo, quod putabat se ad hoc vi legis teneri, ea dispositio invalida est, nec heredes legitimi tenentur eam heredi putatitio tribuere.

2.ª Si cui volenti vinum, oleum pro vino vendatur, invalidus est contractus, licet emptor, etsi novisset esse oleum libenter emisset.

3.ª Si inter duos conveniat de ineundo circa domum contractu, quem unus ceu venditionem habet, alter ceu locationem, ea conventio prorsus nulla est.

4.ª Si sacerdos pannum emat pro veste sibi conficienda, aut vinum pro Missis celebrandis, eique sub noctu detur pannum cæruleum, aut vinum arte chimica confectum, utraque emptio invalida est. Attamen, si error prorsus independens fuit a venditore, hic jus habet ut indemnis fiat.

5.ª Si quis equum donet Sempronio, eo quod ipsum falso putat filium esse amici sui, donatio invalida est. At valida est equi venditio, quæ cum ea falsa opinione Sempronio fiat.

6.ª Invalidum est matrimonium, quod quis contrahat errans circa personam : ex eodem errore invalida essent et sponsalia. At neque illud, neque ista invalida sunt, si erret circa ejusdem personæ ætatem, valetudinem, substantias, etc., nisi his qualitatibus suum consensum alligaverit [22].

369. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis, ad locandam absenti domum rusticandi causa, ipsius domus dotes, situm et alia adjuncta ita amplificaverit, ut vix dici nequeat eumdem esse mentitum omnino, alter vero absens consenserit, ille nullatenus jus habet quod iste domum suis oculis visam conductam teneat : at, si iste eam tenere velit, ille nihil potest objicere, etsi ob imprævisam occasionem ea locatio ipsi molesta evaserit.

2.ª Si quis domum locatione acceperit deceptus dolo proxenetæ

21) C. c. *art. 1115.* — Forte nimis concisus CODEX *Can. 104* : de dolo *Can. 103 § 2* statuerat quod actus ex illo sunt validi, at rescindibiles.

22) Aliæ applicationes apud GURY *Casus Num. 779-782;* LEHMK. *Casus 801-807;* NOLDIN *536.* — Cf. CODEX *Can. 104, 1083.*

absque ulla alterius contrahentis participatione, excepto casu erroris substantialis, jus non habet exigendi a domino rescissionem contractus; sed actionem habet contra auctorem doli. E contra, si proxeneta locatarium deceperit ex conventione cum domino, locatarius jus habet rescindendi contractum et exigendi ab utroque reparationem damnorum.

3.ª Matrimonium contractum propter errorem accidentalem, etiam ex dolo alterius contrahentis, neque invalidum est, neque rescindibile; etiamsi verum esset, quod contrahens deceptus, si rei veritatem compertam habuisset, minime contraxisset. Hanc omnimodam firmitatem et indissolubilitatem exigit ipsa hujus contractus natura.

370. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si œnopola ad pretium vini augendum falso edicat illud esse plurium annorum vel talis loci, aliquis vero exinde pretium solverit majus quam secus solvisset, contractus valet; dummodo vinum ad scopum mentis sufficienter conducat: hic tamen, si pretium nondum solvit, non tenetur solvere totum promissum; si solvit, jus habet ut sibi restituatur excessus supra pretium, quod intra limites pretii justi solvisset.

2.ª Si emptor fraudem nullatenus advertit, adhuc œnopola peccavit, graviter vel leviter, prout gravis vel levis fuit excessus pretii accepti supra verum vini venditi valorem; atque hujusmodi excessum *sub gravi* vel *sub* levi tenetur emptori restituere.

371. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum error circa substantiam reddat ipso facto invalidum contractum, quando causatus fuit ex dolo alterius contrahentis?

Resp. Affirmative, propter ipsum errorem substantialem. Consequenter, *per se* loquendo, nullus est contractus pro utroque contrahente: at contrahens dolosus, utpote auctor injuriæ in alium, hanc reparare tenetur, ac generatim reparare non poterit nisi se obligatum habens, si alter velit.

Qu. 2. Utrum quandoque contractus invalidus fiat propter errorem accidentalem?

Resp. 1.° Si error fuit mere concomitans, quatenus etiam cognita veritate contractus initus fuisset, *negative;* licet quandoque contractus ad limites æquitatis reduci debeat.

2.° Si error fuit *efficax*, quatenus cognita veritate contractus initus non fuisset, certe habendus est ut invalidus contractus gratuitus; quippe qui, ex liberalitate proveniens, omnimodam requirit spontaneitatem. — Quoad contractus onerosos, distinguendum esse videtur: *a*) Si agatur de errore *facti*, in contrahente errante duæ habentur volitiones: una, qua vult substantiam contractus; alia, qua non vult qualitatem accessoriam. Porro tum jus ab alio contrahente acquisitum, tum bonum commune, tum ipsa æquitas naturalis, postulare videntur, ut habenda sit ut subsistens volitio prior, ut cessans alia: secus enim vix ullus contractus inter homines validus et firmus esset; quod in damnum publicum cede-

ret 23. — *b*) Si agatur de errore *juris*, codex noster decernit contractum nullum esse, quoties error fuit causa unica aut principalis contrahendi; quod in ipso foro conscientiæ teneri posse censemus. Ita, si quis ætate major alteri domum vendat, eo quod se ad hoc teneri existimat ex assumpta in ætate minori obligatione, ea venditio est invalida; nisi a venditore post depositum errorem ratihabita fuerit.

372. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum rescindibilis sit quilibet contractus onerosus, qui fiat ex dolo circa qualitatem accidentalem?

Resp: 1.° Si dolus commissus fuit a tertia persona, sine ulla participatione alterius contrahentis, contractus habendus ut validus; cum ei non obstet, nisi error contrahentis decepti, qui error accidentalis est. Tamen iste contrahens actionem habet contra auctorem doli.

2.° Si dolus commissus fuit ab altero contrahente, vel non sine ipsius participatione, distinguendum est: *a*) Si dolus proprie causam dedit contractui, quatenus unus e contrahentibus absque subdolis artibus alterius omnino non contraxisset, contrahens deceptus proprie quoad substantiam contrahere voluit; proinde contractus non est proprie nullus, et deceptor eo tenebitur, si velit deceptus. Tamen non tenetur ipse deceptus erga decipientem, cui actio injusta decipiendi nullum jus peperit. Hinc deceptus poterit a contractu recedere, etiam ante sententiam judicis. — *b*) Si dolus non fuit proprie causa, qua alter contraheret, sed causa, qua alter contraheret sub determinatis conditionibus, contractus generatim habetur ut validus pro utroque contrahente; nisi quod contrahens deceptus jus habet reducendi stipulationem contractus ad eas conditiones, præter quas nonnisi ratione doli contraxerat.

Qu. 2. Utrum nullus proprie sit contractus gratuitus initus ex dolo circa qualitatem accidentalem?

Resp. Generatim *affirmative*, quoties error ex dolo causa fuit unica aut principalis, qua quis alteri gratis promiserit aut donaverit. Ratio est, quia in his contractibus perfecta spontaneitas requiritur; neque præsumendum est voluisse quempiam sese obligare ex mera liberalitate, non exsistente ea conditione, sine qua non promisisset vel non donasset 24.

Qu. 3. Utrum, qui fictione paupertatis eleemosynas extundunt, ad eas restituendas teneantur?

Resp. a) Si quis extra casum veræ paupertatis ab aliquo divite summam notabilem fallaciis extundat, hanc accipit sub conditione non vera; ergo eam debet restituere illi, a quo accepit. — *b*) Si quis, repositas habens summas conspicuas, se pauperem simulans ostiatim mendicet, eleemosynas acceptas, etiam exiguas, retinere non potest; sed eas erogare debet in alios vere pauperes vel in causas pias. — *c*) Si

23) Ceterum nec improbabilis est opinio, quod errans errore accidentali efficaci possit a contractu recedere, dummodo alteram partem indemnem faciat. LESSIUS *Lib. II. Cap. 17, Num. 23;* GEN. *Num. 589;* VERM. *308.*

24) De dolo in contractibus plura habent BALLERINI et PALM. *Num. 77-98.*

quis eleemosynas ordinarias extundat exaggerando suas necessitates, vel etiam se pium et probum simulando, forte accipit invalide; at generatim qui eleemosynas dederunt, non præsumuntur post factum exigere restitutionem, sive sibi, sive pauperibus faciendam, licet veritate comperta eleemosynas non dedissent [25].

PUNCTUM II. — *De vi ac metu.*

378. **Principia. I.** Metus adeo gravis, ut metuens, rationis usu turbato, incapax fiat alicujus actus perfecte humani, reddit invalidum quemcumque contractum, quem metuens in eo statu ineat. Ratio est, quia intentio sese obligandi in eo statu, aut nulla fuit, aut certe dubia; porro in utroque casu obligatio ex eo actu proveniens saltem dubia est, et consequenter nulla.

II. Metus quilibet, usum rationis minime perturbans, qui, injuste ab extrinseco illatus, fuerit causa unica aut principalis assumendi obligationem contractus gratuiti, hujusmodi contractum nullum et invalidum reddit. Ratio est, quia natura contractus gratuiti postulat, ut consensus ex liberalitate prorsus spontanea procedat.

III. Metus absolute aut respective gravis, at usum rationis minime perturbans, qui uni contrahentium ab altero injuste incutiatur ad extorquendum consensum in contractum onerosum, ipsum contractum reddit rescindibilem ad arbitrium illius, qui metum passus est: quod si iste consentire finxit, jam ipse contractus in se est nullus. Ratio in casu priori, est ex injuria ab auctore metus alteri illata [26]: in altero, ex defectu consensus.

IV. Nullus metus ab intrinseco proveniens, vel juste incussus a causa extrinseca libera, contractum irritum aut rescindibilem ex se reddit, nisi talis fuerit, qui usum rationis perturbaverit. Ratio est, quia in utroque casu contrahens ex illo metu sufficientem servat libertatem in contrahendo; et in altero casu nulla ei infertur injuria, ex qua titulum habere possit rescindendi contractum.

374. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Invalidum est, aut certe valde dubium est votum, quod quis instante naufragio emittat

25) Cf. BUSEMBAUM apud S. LIG. *III. Num. 622;* BERARDI *1655.*

26) Cf. S. THOMAM *2. 2. Qu. 89 art. 7 ad 3.* — Cohæret C. c. *art. 1111-1113.* — CODEX *Can. 103* habet et infectos actus, qui ponantur ex vi extrinseca, cui resisti non possit.

ex metu adeo gravi, ut ille fere nesciat quid voveat vel faciat.

2.ª *Per se* idem dici debet de promissione, qua quis in iisdem circumstantiis faciat illi personæ, a qua efficaciter in eo discrimine juvari sperat. Dicimus: *per se;* difficile enim adeo usus rationis intercipitur, ut ille obligationem satis non percipiat ac velit.

375. *Ex Princ. II.* — 1.ª Votum, quod quis emittat ex gravi metu eidem injuste incusso ad extorquendum votum, certe invalidum est. Probabiliter idem dicendum est in foro conscientiæ etiam de voto, cujus causa fuit metus injustus levis.

2.ª Qui alteri aliquid donat aut promittit unice ex eo, quod secus mala gravia et injusta ab eo sibi vel suis timet, invalide donat: imo idem dicendum videtur, si mala timeat levia, aut gravia ex fundamento levi, adeo ut metus sit levis etiam respective 27.

3.ª Idem dicendum videtur, si metus dans causam contractui incussus fuit injuste a tertia persona, nullatenus eo participante, in cujus utilitatem facta fuit donatio vel gratuita promissio.

376. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si quis latroni mortem minitanti marsupium cedat aut promittat, licet sincere cedere aut promittere intendat, cessionem vel promissionem revocare pro arbitrio potest: quod si reapse tradiderit, ei licebit uti occulta compensatione.

2.ª Quod si ad mortem vitandam ficte promisit se summam pecuniæ in loco determinato depositurum ea promissio jam in se nulla est, vero consensu deficiente.

377. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Validum est votum, quod quis emittat timore morbi, incendii, naufragii, aggressionis, etc.; dummodo talis non sit, qui voventem incapacem faciat actus perfecte humani.

2.ª Valida est promissio, qua stuprator se obligat ad virginem violatam ducendam ex timore denuntiationis juridicæ sibi secus a patre virginis violatæ impendentis.

3.ª Si quis in incendio vita periclitans, aut ab inimico oppressus, alicui ut sibi subveniat, summam pecuniæ promittat, hac promissione *per se* tenetur. Dicimus: *per se;* quia posset esse reducibilis *per accidens*, si alter summam exorbitantem exegerit.

4.ª Si quis alteri in furto deprehenso minetur eum penes dominum læsum vel judicem denuntiare, nisi sibi summa aliqua detur, contractus valet; imo valet etiam, si ille denuntiationem minatus fuerit sine intentione faciendi; quo in casu juri denuntiandi propter summam oblatam cessisset.

5.ª Diximus « ex se ». Contractus potest esse rescindibilis aliunde aut ex jure positivo; præsertim contractus matrimonialis.

378. **Quæstiones.** — *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum metus levis injustus, uni contrahenti ab altero ad extorquendum consensum incussus, rescindibilem faciat contractum onerosum, cui causam dedit?

27) Gury *Num. 783, sequ.;* Ball. *99-103.* — Aliter Verm. *313.*

Resp. Sententia communior et probabilior negat; præsertim eo quod ejusmodi contractus firmos esse exigat publica commercii tranquillitas; cum nimis frequentes sint casus metus levis in contractibus: insuper alii quoque rationi hæc opinio innititur, quod generatim metus levis non censetur causam dare contractui in materia gravi [28]. At, admissa hac hypotesi in se possibili, graves auctores contractus hujusmodi rescindibiles esse volunt; eo quod metus, etiam levis, injuria est, et injuria nullum suo auctori jus parere potest [29]. Ceterum nec invalidum nec rescindibile est Matrimonium ex metu levi contractum.

Qu. 2. Utrum rscindibilis sit contractus onerosus initus ex metu reverentiali?

Resp. Certe *affirmative*, si metus ille, aut ex adjunctis, aut propter pericula cum eo connexa, haberi debeat ceu gravis; secus vero, probabilius *negative*. Huc accedere possunt preces importunæ et blanditiæ, quæ metum aliquem, quandoque et gravem, inferre possunt [30].

Qu. 3. Utrum, quando contractus rescindibilis esse dicitur, ad eum rescindendum sententia judicis requiratur?

Resp. Quando rescindibilis esse dicitur ratione injuriæ uni contrahenti ab altero illatæ, hæc sententia necessaria utique est pro foro externo: minime vero pro foro conscientiæ. Ratio enim, qua jus rescissionis asseritur illi contrahenti, cui injuria (per metum vel dolum) ab altero illata fuit, est præcise jus reparationis pro injuria accepta; quod jus est ab ipsa rei natura. Hinc est quod, dum pro foro externo actio judicialis etiam pro casu injuriæ præscribitur quinquennio [31], pro foro interno jus perpetuum est. Quare, qui injuriam passus est, semper potest ab altero rescissionem contractus privatim exigere; ac, eo renuente, uti potest occulta compensatione.

Quando vero contractus rescindibilis sit ratione diversa ab injuria, puta ex incapacitate subjecti, *per se* sententia judicis requiritur: at qui jus habet petendi juridice rescissionem, potest huic juri ex privata conventione cum altero contrahente renuntiare; quo in casu uterque pactis illius conventionis tenetur.

379. *Circa Princ. IV. — Qu. un.* Utrum nullus aut saltem rescindibilis sit contractus onerosus initus ex metu gravi et injusto proveniente a tertia persona, absque ulla participatione alterius contrahentis?

Resp. Si metus ille adeo gravis fuerit, ut usum rationis in contrahente perturbaverit, contractus nullus est propter defectum consensus. Si metus adeo gravis non fuerit, certe contractus rescindibilis est per sententiam judicis [32]; insuper, qui metum subiit, actionem habet in

28) S. Ligorius *III. Num. 718*, et *Homo apost. X. 125*; Marc *150*.

29) De Lugo *XXII. Num. 135, seqq.*: Ball. *107, seqq.*; Gen. *592, IV.* — Obstare videretur Codex *Can. 103 § 2.*

30) Cf. Ballerini *Num. 106-113*; Alb. *140*.

31) Ex C. c. *art. 1300.* — Hæc præscriptio opponi potest etiam in foro conscientiæ; excepto casu, quo contractus rescindibilis sit ratione injuriæ formalis.

32) C. c. *art. 1111.* — Cf. Marc *Num. 1052*; D'Ann. *413*.

auctorem ejusdem; at interim contractus videtur habendus esse ut validus, eumque ceu talem habere potest alter contrahens, qui injuriæ particeps non fuit 33. — Ceterum, si metus incussus a tertia persona fuit mera occasio contrahendi, contractus evidenter validus et firmus est. Ita qui, a latronibus oppressus, alteri auxilium ferenti mercedem promisit, eam solvere tenetur.

ART. III. — De objecto contractus

380. *Objectum* contractus intelligitur quidquid potest esse materia, circa quam inter duos contrahentes fieri possit conventio. Porro patet in genere materiam conventionis esse posse quidquid potest esse objectum juris per voluntatem contrahentium transmissibilis; ejusmodi vero potest esse, tum *res* aliqua, tum aliqua *actio* vel actionis *omissio*. Verum ad hanc materiam habendam in concreto necesse est eam quibusdam conditionibus præditam esse.

381. **Principia. I.** Ad validitatem contractus, quæcumque sit ejus materia, necesse est : *a*) quod ea sit determinata in se, vel in specie, aut saltem determinabilis [34]; ac insuper *b*) neque naturâ suâ, neque ulla lege ab hominum commercio vel a determinatis contractibus excludatur.

II. Ad validitatem contractus, cujus materia sit res aliqua, necesse est : *a*) quod ea sit exsistens, saltem in spe, ac insuper *b*) saltem alteruter e contrahentibus super ipsam jure a se alienabili fruatur.

III. Ad validitatem contractus, cujus materia sit actio vel omissio, necesse est : *a*) quod ea sit honesta et licita quoad substantiam, ac *b*) possibilis, tum physice, tum moraliter.

382. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si quis cum altero contraheret de grano ipsi donando, vel de servitio ipsi præstando absque ulteriori determinatione, contractus invalidus esset: validus esset contractus, quo se obligaret ad donandum ei granum pro sustentatione ipsius et familiæ per annum, vel ad servitium ipsi præstandum quousque ob infirmitatem egebit, vel ad pensionem solvendam quousque vivet.

2.ª Injuste et invalide quis pretium exigeret ad ostendendam viam

33) S. Ligorius *Num. 717;* Ball. *Num. 114.*

34) Quidam addunt etiam conditionem, quod res vel actio aut omissio sit *pretio æstimabilis;* quæ conditio cum diversa sit pro diversitate contractuum, eam exponemus de singulis contractibus agentes. Interim adverte materiam esse posse etiam rem spiritualem, modo absit simonia. Cf. *Lib. III. Num. 80-88;* Tumm. *739.*

transeunti; vel judex ad ferendam sententiam justam, vel elector ex officio ad eligendum dignum præ indigno.

3.ª Invalide quis venderet aut emeret sacramenta, indulgentias, beneficia; at sacerdos obligationem e justitia assumere potest celebrandi et applicandi Missam ad intentionem præbentis eleemosynam.

4.ª Invalide aliquis privatus emeret vel venderet vias publicas, pontes, flumina, etc.; quippe quæ vi legis ab hominum privato commercio excluduntur: at auctoritas publica posset eadem commercio exponere.

5.ª Invalide quispiam renuntiaret successioni nondum apertæ, vel super ea stipularetur; sive cum eo de cujus hereditate agitur, sive cum aliis, illius etiam intercedente consensu [35]: hereditas hæc non est objectum aptum.

383. *Ex Princ. II.* — 1.ª Nullus est contractus de re, quæ nec exsistit, neque exstitura prævidetur aut speratur. Ita invalide contraheretur Venetiis de domo Romæ locanda, si tempore contractus ea incendio perierat; invalide pauper contraheret de donatione ingenti et vix non absurda.

2.ª Tamen validus esset contractus de domo in annum futurum locanda, de uvis anno futuro percipiendis, de pensione vitalitia solvenda, etc.

3.ª Invalida est venditio rei furtivæ, vel rei inventæ et nondum in dominium inventoris translatæ, etiamsi in bona fide sint et venditor et emptor.

4.ª Valide quis alienare potest jus servitutis prædialis, vel usus-fructus: invalide vero jus usus, vel servitutis personalis; item jus utendi schedula ferroviaria sub ea conditione concessa quod prosit uni eidemque personæ eunti et redeunti: at ea jura non potest in alios transferre, saltem *per se*.

5.ª Beneficiatus invalide beneficium alienaret, locaret, aut servituti subjiceret: valide disponeret de fructibus.

6.ª Rector ecclesiæ, sine beneplacito Apostolicæ Sedis, invalide alienaret objecta votiva altari vel statuæ aut sacræ iconi, cujuscumque valoris sint, donata; sive persona donatoris obierit, sive adhuc vivat et alienationi consentiat [36]. Nec alienationem legitimam aut validam facit utilitas vel necessitas suæ ecclesiæ.

7.ª Religiosus peccat contra justitiam, si pecunias aut res sibi ad usum datas a Superiore in alios usus impendat: pro donandis rebus sacris minoris momenti, numismatibus, imaginibus, etc., præsumere potest Superioris licentiam.

384. *Ex Princ. III.* — 1.ª Invalidus est contractus, quo mandatarius ex mercede se obliget ad inimicum mandantis occidendum, vel

35) C. c. *art. 1118, 1460.*

36) Congr. Conc. 12 julii 1919, et 14 jan. 1922 ad III, apud *Acta Ap. Sedis* XI. 416 et XIV 159. — Cf. *Monit. eccles.* XXXIV. 105.

judex ad sententiam injustam ferendam, vel femina ad fornicandum, vel elector ad deputatum vel consiliarium irreligiosum eligendum, etc. — Consequenter:

2.ª Qui aut mercedis promissionem, aut ipsam mercedem accepit, non tenetur crimen perpetrare, imo hoc perpetrare prohibetur; ac proinde, a crimine abstinens, tenetur promissæ mercedi renuntiare, aut jam acceptam restituere.

3.ª Qui promissam mercedem nondum dedit, crimine non perpetrato, eam dare non tenetur: qui dederit, crimine non perpetrato, jus ad eam recipiendam habet, quod sub debitis conditionibus sibi recuperare poterit etiam per occultam compensationem.

4.ª Validum, quamvis illicitum, est matrimonium initum ab eo, qui est ligatus voto simplici castitatis, aut sponsalibus cum alia femina; item venditio libri prohibiti, commissio vestis die festo conficiendæ.

5.ª Invalidum est votum illius, qui voverat Lauretum pedes peregrinari, si medicus edicat hujus voti exsecutionem impossibilem esse, aut certe valde periculosam.

6.ª Si quis se obligavit ad vendendos alteri modios frumenti centum, at dein propter imprævisa infortunia nonnisi quinquaginta vendere possit, hoc alteri vendere tenetur; minime vero tenetur alios quinquaginta pro eo emere, nisi expresse hanc quoque obligationem sibi assumpserit.

7.ª Si quis obligationem legitime assumptam culpabiliter impossibilem reddat, hic vere fit alterius contrahentis damnificator injustus; ac proinde tum de injuria, tum de damnis erga ipsum tenetur.

385. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. un.* Utrum materia aliunde jam debita possit esse objectum novæ obligationis ex contractu?

Resp. a) Si ea materia debita erat ex virtute diversa a justitia, *affirmative*. Ita adolescens ex pecunia accepta a patruo sese obligare potest ad Missam die festo audiendam; item potest quis seipsum voto obligare ad accipiendam in Paschate Communionem. — *b*) Si ea materia debita erat ex virtute justitiæ, at personæ diversæ ab ea, erga quam nova obligatio justitiæ assumenda est, iterum *affirmative;* dummodo obligatio nova nihil deroget priori, et in novo quoque contractu justitia servetur. Ita, si quis te conduxerit ut pro ejus negotio ad locum dissitum pergas, simul poteris ab alio quoque conduci, et mercedem accipere; non modo pro diverso utriusque negotio perfuncto, sed et pro uno eodemque itinere ad utriusque utilitatem suscepto. — *c*) Si agatur de materia ex justitia alicui jam debita, generatim theologi negant circa eamdem materiam assumi posse novam obligationem ex contractu oneroso; ac proinde docent ejusmodi contractum esse nullum. Ita, si judex pro sententia justa ferenda pretium accepit, hoc restituere tenetur, etiamsi acceperit a persona diversa ab ea, pro qua sententiam tulit 37. Bene autem

37) Cf. S. Ligorium *Lib. III. Num. 862;* Gury *757;* Marc *1036, Qu. 2.*

poterit esse materia contractus gratuiti: imo debitor sese obligare poterit ex nova promissione, et quidem sub pœna conventionali, ad satisfaciendum creditori suo tempore præstituto [38].

ART. IV. — De causa contractus

386. *Causa* contractus dicitur ratio, propter quam aliquis contrahendo sibi vinculum juridicum assumit. Dicitur autem causa *motiva*, seu stricto sensu *causa*, ea, quæ est finis intrinsecus et simul primarius contractûs, ac proprie voluntatem movet ad contrahendum: *impulsiva*, quæ est finis secundarius, ac voluntatem, jam ad contrahendum determinatam, ad contrahendum libentius impellit. Causa contractibus gratuitis communis est voluntas benefaciendi; causa communis contractibus onerosis est utilitas percipienda ex re, de qua contrahitur: in illis causa refunditur in consensum; in his immediate in objectum, et quandoque, mediante objecto, in consensum [39]. Prout causa refunditur in consensum, potest esse *vera*, vel *non vera*: prout refunditur in objectum, potest esse *licita* seu *honesta*, vel *illicita*, h. e., aut ex se aut ex lege *moraliter mala*.

387. **Principia. I.** Si causa contrahendi non exsistat, aut vera non sit, nulla ex eo contractu exsurgit obligatio [40].

II. Contractus, cujus causa sit moraliter mala, nullam parit obligationem. Ratio est, quia, si contractus unilateralis est, pars, quæ obligationem rei malæ præstandæ suscepisset, eam præstare ex ipsa lege naturæ prohibetur: si contractus bilateralis est, cum ex modo dictis non teneatur pars, quæ obligationem malam suscepisset, nec altera tenetur [41].

388. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si testator causam extrinsecam et *per se* secundariam designaverit ceu unicam causam suæ dispositionis testamentariæ, hæc autem falsa esse comprobetur, dispositio non valet [42].

2.ª Non valet obligatio assumpta solvendi summam ex legato patris, si dein constet legatum factum non fuisse, aut fuisse revocatum; imo nec valet ejusdem summæ facta solutio.

3.ª Nulla est transactio innixa documentis, quæ deinceps falsa esse comprobentur [43].

38) S. Ligorius *Lib. IV. Num. 216.*

39) Patet hanc materiam tractari potuisse in articulis ad consensum et objectum pertinentibus: at maluimus ordinem sequi Codicis nostri civilis.

40) C. c. *art. 1119.*

41) Cf. Vermeersch *Num. 292, seqq.*; Noldin *538.* — Cohæret C. c. *art. cit.*

42) C. c. *art. 828.*

43) C. c. *art. 1775.* — Plura apud Zanin. *Num 1248.*

4.ª Legatum, quod quis reliquerat alicui, quia, se absente, sua negotia gessit, validum est, etsi illius negotia non gesserit: causa enim motiva legati præsumitur fuisse voluntas benefaciendi 44.

389. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si Titius cum Cajo convenit de mercede ad occidendum Sempronium, Cajus non tenetur, imo et prohibetur suam partem exsequi ac proinde, si a Titio mercedem acceperat, eam restituere tenetur.

2.ª Si quis, exceptis casibus excipiendis, sese obligaverit ad opus servile die festo præstandum, hoc præstare non tenetur; ac mercedem forte acceptam restituere debet. Idem dicitur de quibuscumque operibus præstandis contra legem divinam vel ecclesiasticam.

3.ª Invalidæ sunt conventiones derogantes juribus, quæ quibusdam tribuuntur a Jure civili; ex. gr., filiis, ascendentibus aut conjugi quoad portionem legitimam.

4.ª Si contractus fiat contrarius articulo Juris civilis non obliganti in conscientia, contractus ille, ex eo solo titulo (causæ aut materiæ illicitæ) haberi nequit tamquam invalidus 45; at minime sustineri poterit in foro externo. Id maxime dicatur de venditionibus aut dispositionibus testamentariis in favorem entis ecclesiastici a statu non recogniti, de legatis in suffragium animæ propriæ aut animarum Purgatorii, etc.

390. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum in contractu, cujus causa vel materia est moraliter mala, si unus contrahens actionem malam in favorem alterius præstitit, hic quoque teneatur contractum pro sua parte implere?

Resp. 1.° Si causa mala est utrinque, *negative*. Si quis feminæ conjugatæ promittat se ejus maritum eidem invisum necaturum, dummodo ea sibi sui usum permittat, etsi hæc suam partem exsecuta fuerit, alter suam exsequi prohibetur: ergo certe non tenetur.

2.° Si contractus ex una tantum parte malus sit, multiplex habetur theologorum sententia.

Sententia prima, tum olim, tum hodie communior, respondet: *affirmative*. Ratio fundamentalis est, *a*) quod actio mala jam præstita, quamvis, prout mala est, nulla sit digna mercede, tamen digna est, prout auctori suo est laboriosa et periculosa, alteri autem grata et utilis; ergo si merces promissa fuerat, hæc ex justitia rependi debet. — *b*) Insuper per ipsam præstationem illius operis mali novus initus fuit contractus innominatus « *facio ut des* », vel « *facio ut facias* »; vi cujus ex *facto* unius contrahentis oritur in altero obligatio justitiæ *dandi* vel *faciendi*, dummodo id dare vel facere malum non sit: porro id in hypothesi malum non est 46. — *c*) Accedit responsum S. Pœnitentiariæ, quæ declaravit mere-

44) Cf. D'ANNIBALE *Num. 301, 15.*
45) Cf. VERMEERSCH *Num. 292, Nota 1.*
46) BALLERINI *Num. 61-74;* LEHMK. *1053, sequ.;* VERM. *293-296.*

tricem a confessario *hortandam* esse, at *non cogendam*, ad pretium meretricii in opera pia [47].

Juxta hanc sententiam, si quis promissa mercede consecutus fuerit a sicario sui inimici occisionem, a femina suæ libidinis satisfactionem, a typographo impii libri impressionem, a causidico causæ iniquæ tuitionem, etc., mercedem pactam solvere debet ex justitia, eamque altera pars jure exigere potest, eâque negata, sibi consulere potest occulta compensatione.

Sententia opposita respondet: *negative*. Ratio ejus præcipua est, *a*) quod contractus initus jam ab initio invalidus est, nec proinde firmari potest post operis positionem ex una parte. — *b*) Accedit, quod hujusmodi contractus irritatur, non solum a Jure canonico, sed et a Jure civili [48]; idque omnino requiri videtur, ne impii ad malum statim perpetrandum excitentur, ut jure pactam mercedem exigere valeant [49]. — *c*) Quoad alterum contractum innominatum, hic non videtur solido fundamento inniti.

Juxta hanc sententiam, si quis promissa mercede a sicario sui inimici necem obtinuerit, non tenetur eidem pactam mercedem solvere, nec sicarius eam jure exigere valet, nec eâ negatâ, sibi consulere potest occulta compensatione; imo et acceptam mercedem tenetur restituere: ac ita de ceteris casibus. Imo, si quis die festo alteri vestem consuerit, videretur exigere ab eo non posse mercedem, nec ille ad eam solvendam teneri.

Sunt theologi recentes, qui, utrâque sententiâ simpliciter propositâ, utramque admittunt esse probabilem, et quidem jure [50]. Inde aliqui deducunt *in praxi* standum esse pro libertate [51]. Alii vero, et plures, dicunt favendum esse possessori [52]: juxta hos, qui promisit et nondum dedit, dare non tenetur; qui accepit, non tenetur restituere; quod alterum ut certum habetur a Doctore Angelico [53], et confirmatur ex citata responsione S. Pœnitentiariæ. — Quidam tamen ex istis admittunt utriusque opinionis probabilitatem in omnibus casibus, excepto casu meretricis; pro quo omnino tenendam esse docent sententiam primam; ac illud Juris romani afferunt, quod « licet turpiter faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix ». Idem dicunt de promisso virgini defloranda matrimonio.

47) S. Pœnit. 23 apr. 1822. — Cf. GEN. *Num. 584, Casus 332;* BALL. *61, seqq.*

48) C. c. *art. 1104, 1115, 1119, 1160,* etc.

49) Cf. GOUSSET I. *Num. 653;* CARRIERE *333;* FRASSIN. *Nota 74 al Num. 203,* et *78 al Num. 219.* In eam adhuc inclinat TANQU. *Num 648.*

50) Primam probabiliorem, alteram probabilem habet S. LIGORIUS *Num. 712,* et *Homo apost. X 123*: utriusque probabilitatem affirmant GURY *760;* BER. *1739;* et alii: licet probabilitatem secundæ negaverit BALL. *locc. citt.*

51) Cf. FERRERES *Num. 895. Qu. 7;* NOLDIN *538;* SABETTI *479.*

52) Ita D'ANNIBALE *Num. 301, 27;* MARC *1036;* GEN. *584.*

53) S. THOMAS *2. 2. Qu. 32, art. 7,* et *62, art. 5, ad 5.* Ceterum cui restituat? « Absurdum enim est et contra mentem legum ut illi fiat restitutio, quem potius leges punire, quam juvare, intendunt ». S. LIG. *Num. 712*

Demum nemini dubium, quod, si res ad forum externum deferatur, judex eum, qui pretium accepit, ad restitutionem damnabit; tunc vero iste ad restituendum tenebitur in ipso foro conscientiæ. Ita recentes omnes.

Qu. 2. Utrum mulier teneatur ex justitia reddere munus viro, qui ad hunc finem illud dederat, ut eam ad peccandum alliceret?

Resp. Negative. Cum enim nullum pactum intercesserit, munus illud haberi potest ceu liberalis donatio. Ceterum ad se eo munere spoliandam teneri forte potest aliunde; puta, ex caritate erga seipsam, ne illius muneris præsentia turpia foveat desideria; aut ex caritate erga donantem, ut omnis peccandi spes eidem adimatur [54].

Qu. 3. Utrum, instantibus electionibus politicis, possit elector pecunias a candidato offerente acceptare, dein vero eidem non suffragari, vel suffragari ejusdem adversario?

Resp. 1.° Profecto acceptare licebit, si intentio offerentis hæc sit, ut per eas largitiones animos electorum sibi favorabiles reddat: nullus enim habetur contractus. Porro generatim loquendo, hæc et non alia potest esse intentio offerentis. Etenim ipse novit, aut nosse debet, contractum veri nominis super suffragia ferenda fieri non posse; utpote qui ex lege omnino illicitus est. Idem novit aut nosse debet factum lippis et tonsoribus notum, quod electores satis plures, pecuniis ab uno candidato acceptis, pro suo lubito suffragium ferunt; nec pauci sunt, qui ab utroque acceptant.

2.° Si candidatus, aut per se, aut per proxenetas, sub ea expressa conditione pecunias promittat aut tradat, quod electores acceptantes se obligent ad suum suffragium in ejus favorem ferendum, ipse vero muneris suscipiendi sit prorsus indignus, electores non videntur posse tuta conscientia pecunias sub ea conditione acceptare; hinc, sicut assumere nequeunt actionis turpis obligationem, ita nec jus acquirere valent summæ promissæ vel traditæ. Forte excipiendus erit casus, quo, præter lenocinium pecuniæ, a candidato, vel ab alio pro ipso, adhibeantur minæ vel metus gravis, quo elector ad suffragium indigno præbendum moraliter adigatur: hoc enim medium injustum jus tribuit electori accipiendi pecunias, quin suum suffragium obligatum habeat. Quod si candidatus dignus sit, contractus ille, quamvis legi civili contrarius, non videtur esse moraliter malus; cum electores jus quidem habeant, minime vero ex justitia commutativa habeant obligationem accedendi ad urnas [55]; accedentes autem non teneantur suffragium suum huic vel illi, etiam digniori, præbere [56].

Qu. 4. Utrum electores quas acceperint a candidato pecunias retinere possint?

54) De Lugo *XVIII. 50;* S. Lig. *712;* Gury *760, Casus 765.*

55) Genicot *Num. 359;* Verm. *Num. 84, 96.*

56) Obligatio, quæ generatim habetur, est ex justitia legali, qua quis erga Ecclesiam et societatem civilem obstringitur. Cf. Genn. *Cons. mor. CLII.*

Resp. 1.° Si suffragium in favorem illius candidati tulerunt, *affirmative;* etsi pro indigno tulerint et graviter peccaverint.

2.° Si suum suffragium illi candidato denegarunt, retinere eas pecunias possunt, quoties verus contractus non intercessit; vel, si intercessit, fuit ipsis per minas vel gravem timorem impositus. — Quod si contractus verus, et quidem libere initus, intercessit, non videtur qua ratione possint eas pecunias sibi retinere. — Cui ergo restituant? — « Probabilius et communius tenent erogandum esse pauperibus vel causis piis: absurdum enim est et contra mentem legum, ut illi fiat restitutio, quem potius leges punire, quam juvare, intendunt ».

ART. V. — DE FORMA CONTRACTUS

391. *Forma* contractus communiter intelligitur externa manifestatio consensus. Quamvis jure naturæ forma quælibet sufficere valeat, tamen jura positiva statuere possunt, et reapse statuunt, pro quibusdam contractibus formam, seu solemnitates speciales, sive ad valorem vel firmitatem contractuum, sive ad concedendam iisdem actionem in foro externo.

Tum Ecclesia, tum auctoritates civiles, circa singulos contractus suo juri obnoxios formas seu solemnitates in eis servandas determinarunt. Ecclesia pro contractu matrimoniali inter baptizatos formam determinavit, de qua alibi agemus. Circa alios contractus, generatim acceptat formas a civilis loci auctoritate statutas: « Quæ jus civile in territorio statuit de contractibus, tam in genere, quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem jure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur; nisi juri divino contraria sint, aut aliud jure canonico caveatur » [57]. Quæ forma Jure italico in singulis contractibus requirantur, dicemus agentes de singulis.

Ex solemnitatibus in contrahendo requisitis, dicuntur *substantiales* quæ contractui vel contrahenti specialia privilegia vel prælationes conferunt. — De hisce posterioribus conferantur jurisperiti: de prioribus sequentia statuimus:

392. **Principia. 1.** Tum Ecclesia, tum auctoritas civilis, in materia sibi subjecta possunt ineundo contractui solemnitates præscribere; quæ si desint, contractus ex se et ex jure naturæ validus fiat invalidus, et quidem ante quamcumque judicis sententiam. Ratio est, quia hujusmodi potestas, tum Ecclesiæ, tum civili auctoritati, necessaria est ad procurandum in proprio ordine bonum commune [58].

57) CODEX *Can. 1529.* — De exceptionibus dicemus suis in locis.
58) Diserte hoc demonstrat VERMEERSCH *Num. 326, 327.*

11. Jus italicum, ac generatim Jura moderna, præscribendo ineundis contractibus solemnitates, hanc vim iisdem tribuere intendunt, ut ad eorum juridicam probationem requirantur, ac insuper contractus iisdem carentes per sententiam judicis ita irritari valeant, ut in ipso foro conscientiæ suo valore destituantur [59].

393. **Resolutiones.** — *Ex Princ.* — 1.ª Defectu formæ vel solemnitatum, regulariter invalidum est matrimonium, quod non contrahatur coram Ordinario vel parocho intra fines sui territorii et duobus testibus [60].

2.ª Eodem defectu formæ invalida sunt in ipso foro conscientiæ sponsalia, quæ, præter casus in Jure novissimo prævisos, non contrahantur per scripturam subsignatam a partibus et, vel a parocho aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus.

3.ª Eadem esset intentio legis civilis quoad formam matrimonii [61]. Verum, cum in hac materia auctoritas civilis competes non sit, ac proinde sic dictum *matrimonium civile* non sit veri nominis contractus, ipsæ formalitates præscriptæ non aliam habere possunt efficaciam, quam ut matrimonio iisdem carenti effectus civiles non attribuant.

4.ª Eadem est legis civilis intentio quoad formalitates sponsalium; et forte non prorsus inefficaciter.

394. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum contractus initi absque formalitatibus a jure positivo civili præscriptis habendi sint ut ipso facto invalidi in foro conscientiæ?

Resp. Quæstio ad hoc unice reducitur: quænam sit intentio legis in iis formalitatibus præscribendis. Porro veteres theologi et canonistæ, inquirentes de intentione Juris romani, in tres vel quatuor abibant sententias [62]. Recentes juxta tenorem Codicum modernorum in eam sententiam generatim inclinant, quod legum intentio non sit hujusmodi contractus ipso facto et immediate irritare, sed aut iisdem negare juridicam in foro externo probationem, aut eos irritabiles reddere per sententiam judicis [63]. — Nos unice spectabimus Jus italicum, omissis iis, quæ omnino incompetenter statuit circa matrimonium. — Jamvero:

In Jure italico non videntur formalitates præscribi ad ipsam validitatem contractuum in se, sed ad probationem juridicam consensûs partium contrahentium. Sane elementa essentialia ad validitatem cujuscumque contractus recensentur tantummodo quatuor: Capacitas subjecti, consensus ejusdem, objectum aptum, et causa vera ac licita. Ergo quæ-

59) Cf. PALMIERI ad Baller. III. *Num. 172* Nota *a;* VERM. *332;* GEN. *594.*
60) CONC. TRID. *Sess. XXIV. Cap. I. De reform.;* CODEX *Can. 1094.*
61) Cf. quoad matrimonium C. c. *art. 93, 1381, 1382;* quoad sponsalia *art. 53, 54, seqq.*
62) Cf. S. LIGORIUM *Num. 711;* FERRERES *921;* SCAVINI *380.*
63) VERMEERSCH *Num. 329;* LEHMK. *1073;* GEN. *594;* NOLDIN *356;* et alii.

cumque ulterius requiri dicantur, non videntur requiri ad ipsam validitatem objectivam contractus, sed ad hoc ut ipse juridice probari, et juridice sustineri possit 64. Hinc objective et in foro conscientiæ hujusmodi contractus validi esse videntur; non modo quoties Jus formam determinatam præscribit *sub pœna nullitatis;* sed etiam quando edicit contractus eâ formâ destitutos esse *nullos,* prout statuit circa donationes, quæ non fiant per actum publicum 65. Hi contractus essent *civiliter nulli,* objective et in foro conscientiæ *validi* 66. — Tamen:

1.° Si in contractu aliquo, ut communiter fit in onerosis, de quibus agit *art. 1314,* inter partes conveniat, ut non intendant pacisci, nisi quatenus actus sit etiam civiliter validus, actus, qui sit civiliter nullus, nullus quoque est in foro conscientiæ; hoc autem ex defectu consensûs. Inde est quod quæstio proprie fit de testamentis et de contractibus gratuitis.

2.° Tum quoad contractus gratuitos, tum quoad onerosos, communiter consentiunt theologi eos posse juridice impugnari tutâ conscientiâ ab eo, cujus interest: accedente autem sententia judicis irritante, habendos esse ut invalidos in ipso foro conscientiæ. Ratio est, quia ex communi interpretatione hæc est intentio legis: quæ si hanc efficaciam non haberet, induceretur perpetua et positiva contrarietas inter ordinem legalem et moralem; ipsum jus cuipiam a lege concessum exigi non posset sine peccato, et qui legitime nullum jus habet in re aliqua posset eam tuta conscientia tenere ut suam 67.

Hinc, qui testamento informi institutus sit legatarius, potest sibi retinere rem legatam quam penes se alio titulo habeat, puta depositi: at sibi accipere nequit rem legatam, vel pro ea sibi occulte compensare, quando heres vere possidere incipiat patrimonium defuncti 68: imo etiam in primo casu rem legatam heredi tradere debet, quando legatum judicialiter declaratum fuerit irritum.

Qu. 2. Utrum qui rem possidet ex contractu (vel actu) informi, teneatur eam alteri cedere ad ejus petitionem privatam?

Resp. Ex virtute justitiæ, *negative*: contractus enim, quo rem possidet, validus est, quousque per sententiam judicis irritetur. Ceterum, si contractus evidenter careat forma substantiali et proinde certissime sit a judice irritandus, ex virtute caritatis erga alterum et erga seipsum teneri potest ad molestias et expensas judicialis quæstionis evitandas.

Hinc patet, illi, cujus interest contractum irritari, nefas esse, omissa judiciali petitione, sibi per occultam compensationem providere, vel rem ipsam ex eo contractu sibi debitam sumere. Etsi enim contractus sit

64) Cf. BERARDI Num. 1723; PALM. ad BALL. loc. cit. ALBERTI 145.

65) Cf. C. c. *art. 1314*: vide et *art. 1310, 1056.* — Adverte quod *caput V* inscribitur: *Della prova delle obbligazioni.... Della prova per iscritto.*

66) « Etsi certi contractus in Codice civili dicantur simpliciter *irriti* seu *nulli*, vi legis civilis tamen nulli constituuntur civiliter tantum ». NOLDIN *Num. 356, 3.*

67) Cf. PALMIERI ad Baller. *loc. cit.*; VERM. *Num. 337.*

68) Cf. quæ diximus *Num. 248 Resol. 2,* et VERMEERSCH *333* cum *Nota.*

certissime a judice irritandus, tamen quousque irritetur validus est ac jus possessori tribuit rem sibi servandi ut suam; porro cum hoc jure componi non potest alterius jus ad eamdem sibi sumendam.

Quapropter fere omnes theologi recentes admittunt practice favendum esse possessori; quæ est ipsa S. Alphonsi sententia, licet ex diversa ratione deducatur 69.

395. **Scholion.** — *De interpretatione contractus.* — Si forte forma initi contractus obscura sit, hæ normæ interpretandi adhibendæ sunt 70:

1.ª Potiusquam litera, spectanda est voluntas contrahentium, ex qua proprie gignitur obligatio. Si quis dimidiam alterius domum locatam habuerit francis quingentis, dein anno sequenti dicat: « etiam hoc anno domum eodem pretio accepto », domus intelligenda est dimidia.

2.ª Si verba duplicem sensum admitterent, ille sensus, quo contractus efficax esset, præferendus est ei, quo esset inefficax. Si testator, qui unicum filium habuit sibi post genitos duos filios præmortuum, heredes instituat suos filios, intelligendus est instituisse nepotes.

3.ª Generatim in quolibet contractu, nisi fuerint expresse exclusa, subintelliguntur comprehendi ea omnia, quæ comprehendi exigunt natura contractus vel rei, consuetudo in ea regione communiter recepta, et ipse sensus communis. In venditione subintelligitur obligatio resarciendi emptorem in casu evictionis; in concessione juris hauriendi aquam e suo puteo includitur jus accessus ad eumdem; in locatione domus subintelligitur pretium solvi quolibet anno vel semestri anticipate; si quis contractui apposuerit conditionem: « si filius meus ab Helvetia redierit », contractus valet etsi redierit e Germania.

CAPUT II.

DE EFFECTIBUS CONTRACTUUM

396. Ex data notione contractûs, duplex est cujuscumque contractus effectus; nempe: *a*) obligatio ex virtute justitiæ ab alterutro vel ab utroque contrahente assumpta, prout contractus unilateralis est vel bilateralis; *b*) et jus ab alterutro vel ab utroque contrahente acquisitum. Nobis agendum est de primo effectu; quippe qui necessario ab altero gignitur, quique aliquid dandum, vel faciendum aut omittendum importat. — Itaque dicemus: *a*) De obligatione per ipsum contractum inducta; *b*) de

69) S. Ligorius *Lib. III, Num. 711* id tenendum esse docet ex utriusque præcedentis opinionis probabilitate, « eo quod, cum possessio jus certum tribuat, nequit possessor spoliari, nisi constet de jure alterius ». Cf. Ball. *Num. 24.* — Consequens (non consequentiam) admittunt Palm. *loc. cit.;* D'Ann. I. *213, 10,* II. *414;* et alii.

70) C. c. *art. 1131-1139.* — Cf. D'Annibale II. *Num. 331-333;* Ojetti ad v. *Contractus De interpr.;* Ber. *1721;* Zanin. *1250.*

eadem obligatione, prout quandoque juramento firmatur; c) de eadem obligatione quandoque per adjectas conditiones limitata.

ART. I. — De obligatione propria ipsius contractus.

397. **Principia. I.** Quilibet contractus, requisitis essentialibus munitus, contrahentibus infert obligationem ex virtute justitiæ, et proinde *per se* gravem, dandi vel faciendi aut omittendi id, quod fuit objectum contractus: ipse enim contractus vim legis habet inter ipsos contrahentes [1].

II. Obligatione alicujus contractûs teneri non potest alius ab ipsis contrahentibus: nisi is, aut natûra, aut lege vel privata voluntate, locum teneat illius contrahentis, qui obligationem contractus assumpsit.

III. Omnis contractus, requisitis essentialibus munitus, contrahentes obligat, non modo ad objectum in contrahendo expressum, sed etiam ad consectaria, quæ inde derivant juxta æquitatem naturalem, usum locorum et leges positivas.

398. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Obligatio contractus suam vim obligandi in foro conscientiæ non amittit ex eo, quod in foro externo probari non possit. Hæc enim obligatio naturalis provenit immediate ex ipso consensu contrahentium. — Hinc:

2.ª Qui, scientes contractum venditionis sub forma determinata faciendum esse, declaraverint sese velle per contractum informem obligare, hi sese vere obligarunt ex justitia; nec venditor potest rem venditam denegare, eo quod emptor eam in foro externo repetere non valet: idem dicendum de locante, de conducente, etc.

3.ª Qui seipsum obligavit contractu ad arbitrium alterius contrahentis rescindibili, obligatione contractus tenetur, quousque alter ipsum rescindi postulaverit et obtinuerit: ita, si quis contraxerit cum minore, cum femina conjugata, etc.

4.ª Contrahens, qui obligationem susceptam culpabiliter exsecutus non fuerit, aut non rite et suo tempore, peccat contra justitiam; insuper tenetur de iis damnis, quæ ordinarie sequi solent, ac proinde saltem in confuso prævideri poterant: quod si ab initio pœna conventionalis statuta fuerat aut arrha tradita, ad illam solvendam, ad hanc amittendam, ordinarie tenetur, etsi obligationem exsequi omiserit inculpabiliter.

399. *Ex Princ. II.* — 1.ª Obligatione contractus (vel voti) initi a præsidibus nomine personæ moralis ab iisdem repræsentatæ, ipsa per-

1) C. c. *art. 1123, 1124.* — Cf. D'Ann. *Num. 418;* Noldin *539;* et omnes.

sona moralis tenetur; ac proinde obligationem exsequi tenentur ejusdem præsides, etiam futuri.

2.ª Filius teneri potest obligatione contractus super sua bona initi a patre; item quicumque sub cura vel tutela alterius est, teneri potest contractu inito a curatore vel tutore.

3.ª Filii, si hereditatem a parentibus accipiant, tenentur, qua heredes, debita ab iisdem contracta persolvere 2.

4.ª Si ille, qui suam domum alteri ad novennium locaverat, ante hunc terminum decedat, eo contractu tenetur heres: idem dicendum, si decedat qui mutuum vel commodatum acceperat; qui pretium rei emptæ, vel mercedem operario conducto non solverat; etc.

5.ª Generatim quicumque suorum negotiorum generalem gestionem alicui commiserat, tenetur contractibus ipsius nomine initis ab isto.

6.ª Qui alteri actionem tertiæ personæ obligavit, proprie seipsum obligavit ad indemnitatem alteri contrahenti præbendam, si hæc persona actionem ponere recuset.

400. *Ex Princ. III.* — 1.ª Qui alteri vestem sibi conficiendam commisit, eam jam confectam non debet ex futili motivo respuere, ac ita sartori pretium conventum denegare.

2.ª Si dominus fundi colonum partiarium ab eodem colendo dimittere velit, debet eidem dimissionem intimare tempore juxta consuetudinem illius loci consueto.

3.ª Qui rem alteri vendat, eidem pro casu evictionis respondere debet ejusque damna debet reparare, etsi de hac obligatione nihil conventum fuerit in contractu 3.

ART. III. — De confirmatione contractus per jusjurandum

401. Jusjurandum vel juramentum in re præsenti, est « invocatio Dei in testem et fidejussorem obligationis assumptæ »: in testem actualis intentionis sese obligandi et implendi; in fidejussorem vel, melius, quasifidejussorem realis impletionis futuræ. Hujusmodi juramentum adnecti potest: *a*) contractui in se valido et firmo, seu non rescindibili; *b*) contractui invalido, sive ex jure naturæ, sive ex jure positivo; *c*) contractui valido, at rescindibili. — Jura moderna juramentum quoad contractus non curant: de eo ne verbum quidem habent.

402. **Principia. 1.** Si juramentum adnectatur contractui valido et firmo, obligationi justitiæ jam productæ a contractu addit obligationem ex religione: hæc autem obligatio sequitur naturam contractus, cui adjicitur; ideoque admittit omnes conditiones in eo inclusas vel subintellectas.

2) De obligationibus filiorum debitoris obærati, Ferreres *Num. 924.*
3) Scavini *Lib. II. Num. 379, 381.* — C. c. *art. 1485, sequ.*

II. Si juramentum adnectatur contractui, cujus impletio, aut ex jure naturali, aut ex jure positivo, esset moraliter mala, ipsum juramentum invalidum est; quippe quod nequit esse vinculum iniquitatis.

III. Si juramentum adnectatur contractui, qui sit ipso facto irritus, sive ex jure naturali, sive ex jure positivo, non inde ipse contractus firmatur; neque jurans obligatione justitiæ ligatur, neque alteri contrahenti jus ullum acquiritur.

403. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I* . — 1.ª Qui contractum validum et firmum et juratum implere recuset, duplici peccato peccat, utroque *per se* gravi: altero contra justitiam, altero contra religionem.

2.ª Si alter contrahens juri per contractum juratum acquisito renuntiaverit, alter nec obligatione justitiæ, nec obligatione religionis contractum exsequi tenetur.

3.ª Mutuo sponsorum consensu dissolvi possunt sponsalia, etsi firmata fuerint juramento.

4.ª Qui juramento firmet propositum præstandi quidpiam in favorem alterius, nullum alteri jus tribuit, etsi ei propositum et juramentum manifestaverit.

404. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si quis matrimonium promiserit Cajæ, ac dein promiserit ac juraverit Titiæ, tum altera promissio, tum adnexum juramentum invalidum est.

2.ª Si res promissa mala fuerit leviter, puta mendacium, punitio subditi immoderata, etc., invalidum est juramentum, quo firmare quis voluerit promissionem.

3.ª Si quis promiserit et juraverit donationem faciendam monasterio vi legis civilis suppresso, valent et obligant, tum promissio, tum juramentum; ea enim donatio non est moraliter mala.

4.ª E contra invalida est promissio etiam jurata lædendi jura, quæ super hereditatem filiis legitimis et uxori conferuntur a lege civili.

405. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si quis, condito testamento, alicui promittat et juret se numquam illud revocaturum, dein vero revocaverit, hæc revocatio valida est; ille autem, cui testamentum favebat, nullum jus prætendere potest, nec potest sibi consulere per occultam compensationem.

2.ª Eo quod donatio, naturâ suâ irrevocabilis, revocabilis est ex jure positivo propter filios deinceps susceptos, si quis promisit donatario et juravit se factam donationem non revocaturum, eam vero susceptis filiis revocaverit, revocavit valide, ac proinde donatarius tenetur rem donatam restituere.

3.ª Nullius valoris est alienatio vel quæcumque stipulatio super

hereditatem personæ adhuc viventis, licet ea alienatio vel stipulatio firmata fuerit juramento.

4.ª Omnes actus, qui fiant a persona inhabilitata vel interdicta, etsi fuerint juramento firmati, manent invalidi; quippe qui ex jure positivo irriti sunt ipso facto.

5.ª Contractus, qui ratione erroris vel doli vel gravis metus sunt in se ipsis irriti, per adjectum juramentum non fiunt validi, neque juramentum jus aliquod tribuit alteri contrahenti.

406. **Quæstiones**. — *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Utrum juramento firmentur contractus ex lege positiva rescindibiles?

Resp. 1.° Si agatur de contractibus circa causas sacras vel alias quascumque, quæ subsunt legibus Ecclesiæ, *affirmative*. Jus enim romanum statuebat propter additum juramentum contractus omnes per se rescindibiles adeo firmari, ut propter reverentiam divini nominis habendi essent ut validi et firmi. Porro Ecclesia in hisce causis utitur adhuc dispositionibus Juris romani [4].

2.° Si agatur de contractibus, qui subsunt legibus Juris civilis, theologi recentes non una eademque ratione respondent. Ex communiori sententia negandum est hujusmodi contractus in se ipsis immediate et proprie firmari per adjectum juramentum: non modo, quando eorum rescindibilitas inducta fuit intuitu boni communis, sed etiam quando concessa fuit in utilitatem privatam contrahentium; nam, juxta Codices modernos, nullus contractus in ipsa ratione contractus mutatur per additum juramentum [5]. Hinc censemus, nec mutuum contractum a minore, nec suorum bonorum obligationem factam ab uxore sine auctorizatione mariti, nec contractus formis legalibus destitutos per additum juramentum immediate et in seipsis irrescindibiles fieri. Inde tamen non sequitur nullius valoris esse promissiones factas a minore de jure naturæ capaci (vel ab uxore, vel a contrahente per contractum informem) non invocandi initorum contractuum rescissionem; quando hi contrahentes jus habuissent invocandi rescissionem, hoc autem jus totum cessisset in personalem utilitatem eorumdem. Multo minus sequitur nullius esse valoris juramentum hisce promissionibus adjectum. — Insuper evidenter teneri possunt iidem de injuria ac de damnis ex ea derivantibus, si mala fide egerunt, sive in contrahendo, sive in promittendo se non usuros esse jure rescissionis.

Qu. 2. Utrum validum sit et obligationem religionis inducat juramentum, quo quis contractum irritum, aut jure positivo rescindibilem firmavit?

Resp. 1.° Si juramentum emissum fuit ad firmandum contractum irritum ex jure naturali, *negative*: item, saltem probabiliter, *negative*, si ad firmandum contractum irritum ex jure positivo: eo quod juramen-

4) Hæc statuta videri possunt apud BERARDI *Num. 1765, seqq.*
5) Cf. NOLDIN *Num. 540, 4 a;* D'ANN. *429, 15 seqq.;* LEHMK. *1079.*

tum, utpote accessorium, sequitur naturam actus, cui adjicitur 6. Tamen quoad alterum, quidam theologi censent hoc juramentum valere, ac proinde obligare ex religione, excepto casu, quo contractus ita irritus sit, ut ejus impletio sit moraliter mala, quamvis ex sola dispositione legis positivæ: ratio est, quia juramentum semper impleri debet, quoties sine peccato fieri potest. Ita nulla est obligatio juramenti, quo quis firmaverit promissionem matrimonii personæ, cui cognatione spirituali ligatur; vel quo quis se obligaverit ad donationem jurium filiorum læsivam. At, si quis alteri cum juramento promiserit se numquam revocaturum esse testamentum in illius favorem conscriptum, hic, juxta plures, ad testamentum non revocandum tenetur ex virtute religionis; quin imo, si ea promissio jurata onerosa fuit, puta, quia illius intuitu promissarius alimenta promittenti usque ad mortem repromisit, vi juramenti jus promissarii firmatum est, ac proinde promittens, tum ex religione, tum etiam ex justitia a testamento revocando prohiberi videtur 7: ratio est, quia testator juri sibi a lege concesso renuntiare potest. Idem dicendum videtur de donatione vel quavis stipulatione jurata super hereditatem personæ nondum defunctæ; de promissione jurata solvendi usuras injustas 8; imo et de promissione libere facta et jurata exsequendi contractum dolo vel metu gravi extortum; etc.

Ceterum evidenter nullum jus acquiritur promissario, si juramentum a contrahente extortum fuit per fraudem vel per metum injustum.

2.° Si juramentum libere emissum fuit ad firmandum contractum ex jure positivo rescindibilem, juramentum irrescindibilem non reddit ipsum contractum: sed videtur obligatoriam reddere ex religione exsecutionem contractus, et multo magis promissionem factam a contrahente non utendi jure rescissionis; dummodo hoc jus a lege concessum fuerit in utilitatem privatam contrahentis, ipse vero huic juri renuntiaverit sciens volens. Ita, si minor mutuum contraxerit, suamque restituendi obligationem juramento firmaverit, dein vero, majorem ætatem adeptus, recusaverit summam acceptam restituere, hic graviter peccare videtur contra religionem; item peccare videtur contra religionem, si violet promissionem juratam non invocandi rescissionem contractus 9. Verum hæc obligatio ex religione personalis est, et proinde ad heredes non transit. Quinimo neque ipsa obligatio personalis est undequaque et omnibus theologis certa; præsertim, si contractus respiciat media, quibus minor,

6) Bucceroni *Instit. morales I. Num. 969* universim statuit: « Juramentum est irritum, si actus ipse irritus ipso facto sit, sive jure naturali, sive jure positivo ».

7) Ita sentire videtur D'Ann. *Num. 429.* — At juramentum de non revocando testamento invalidum habetur, eo quod hæc renuntiatio sub quacumque forma prohibeatur. Cf. Bucc. *Op. cit. Num. 960.*

8) Hæc dicitur esse sententia *communis* apud Noldin *Num.* 540,3; qui addit: « Omnino probabilis videtur sententia quæ juramentum in hoc casu invalidum dicit atque a solvendis usuris injustis prorsus deobligat ».

9) S. Ligorius *Lib. IV. Num. 177, 757;* Marc *1059;* Tanqu. *663;* quibus *theoretice* consentimus.

uxor, etc., cupiditatibus indulgeant et rem familiarem dissipent; quo in casu ipsum juramentum bonis moribus adversari videretur [10].

3.° Si ipsum juramentum a contrahente extortum fuit per metum injustum, sententia communior erat, juramentum ipsum invalidum esse. At forte aliter Jus novissimum: « Jusjurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest » [11].

ART. III. — De limitatione obligationis per conditiones

407. *Conditio* est « circumstantia contractui a contrahentibus adjecta, a cujus exsistentia pendere volunt valorem contractus ». Multiplex est conditionum distinctio: *a*) Alia est *de præterito;* alia *de præsenti;* alia *de futuro*: in materia contractuum hæc postrema est proprie dicta *conditio.* — *b*) Ista iterum subdistinguitur, ut alia sit *potestativa,* quæ tota est in potestate illius, cui imponitur; alia *casualis,* quæ ab ejus voluntate prorsus independens est; alia *mixta,* quæ non tota ab ejus voluntate dependet, puta quod ille uxorem ducat puellam determinatam. — *c*) Conditio dicitur esse *suspensiva,* si contrahens obligari non vult, antequam ea exsistat; *resolutiva,* si vult obligationem jam contractam subsistere, usquedum conditio exsistet, qua dein cessante cessare seu *resolvi* vult suam obligationem. — *d*) Conditio potest esse de re *possibili,* vel *impossibili;* de re *bona,* vel *mala*: vel, ut alii dicunt, de re *possibili,* vel *impossibili physice* seu *facto,* vel *moraliter* seu *jure* [12]. — *e*) Demum alia est *positiva,* in faciendo; alia *negativa,* in omittendo.

408. **Principia. I.** Conditio de præterito vel de præsenti, si vere exstitit aut exsistit, facit contractum esse validum, etsi conditionis exsistentia a contrahentibus ignoretur.

II. Conditio suspensiva de futuro casuali possibili ita valorem contractus suspendit, ut, eâ in posterum impletâ, contractus absque novo contrahentium consensu valeat; interim contrahentes obligat ad exspectandum ac non impediendum conditionis appositæ eventum [13]: deficiente vero conditione, jam contractus censendus est invalidus fuisse ab initio.

III. Contractus initus cum conditione resolutiva validus est ab initio, ac validus perseverat usquedum ea conditio non impleatur; hac vero impleta, ipse contractus absque ulla judicis sententia dissolvitur in radice, ac si numquam validus fuisset.

10) Cf. Ballerini II. *VI. De juram. Num. 91;* Gen. *599;* Gury *792;* Lehmk. *1079.*

11) Codex *Can. 1317* § *2.* — Cf. Ferreres *Num. 928;* Gen. *599, 600.*

12) Cf. D'Annibale *Num. 300, 8.* — De obligationibus conditionalibus agit Cod. civ. *art. 1157-1172.* Vide et Alberti *Num. 149, 150.*

13) Hæc obligatio interpretanda est stricte. — Cf. D'Ann. *Num. 309, 24.*

IV. Conditio de re impossibili, aut de re moraliter mala, ipsum contractum nullum reddit [14]; at, si apponatur matrimonio vel testamento, habetur ut non apposita.

409. **Resolutiones.** — *Ex Prnc. II.* — 1.ª Sponsalia, quæ quis ineat cum femina sub conditione quod ejus maritus obierit, si deinceps constet eumdem jam antecedenter mortuum esse, valent ab ipso die, quo fuerunt contracta.

2.ª Idem dicendum, si sponsalia quis ineat sub conditione de præsenti « si es virgo, si dotem significatam vere habes », etc.

3.ª Qui domum rusticandi causa alicui locet sub ea conditione, quod ejusdem procurator eam jampridem alteri non locaverit, non potest interim eam locare tertio, vel eam vendere, etc.

410. *Ex Princ. II.* — 1.ª Sponsalia valent, si apposita fuit conditio quod parentes intra bimestre consensuri sint, hi vero reapse intra hoc tempus consentiant; nec interim alterutri sponso licebat a fide sub ea conditione data recedere.

2.ª Si quis domum suam lite impetitam alteri vendat, sub conditione « si litem vicero », dominium illius domus ipse interim servat; at, victa lite, contractus ipso jure perficitur ab initio; ideoque, si res interim melior aut deterior fiat, emolumentum vel damnum *per se* cedit emptori [15].

3.ª Si res vi contractus debita ante impletam conditionem integre aut partialiter pereat ex culpa debitoris, hic tenetur generatim de damnis erga creditorem: quod si absque culpa debitoris integre pereat, ex lege positiva obligatio habetur ut non contracta [16].

4.ª Si testator summam alicui legaverit sub conditione, si ipsius neptem in uxorem duxerit, hæc autem, patruo defuncto, aut obierit, aut legatario nubere renuerit, ad nihil erga istum tenentur heredes.

5.ª Generatim conditio habetur ut adimpleta, etiam quando ideo non impletur, quia eam impleri impedivit debitor, qui se ipsum sub ea conditione obligaverat [17].

411. *Ex Princ. III.* — 1.ª Si materia contractus initi sub conditione resolutiva jam tradita fuerit, impleta conditione, restituenda est, et quidem in eo statu, in quo erat ab inito contractu.

2.ª Verum, si res melior evaserit aut fructus naturales attulerit,

14) C. c. *art. 1160.* - De conditionibus appositis matrimonio vel testamento dicemus suis in locis.

15) Quoad fructus interim perceptos, inspicienda est mens contrahentium: si de ea non constet, viderentur, impleta conditione, tradendi emptori; eadem ratione, qua, non verificata conditione, si domus ab initio tradita fuisset emptori, hic et domum et fructus restituere deberet venditori. Contrarium æquius habet D'Ann. *Num. 309, 22.*

16) C. c. *art. 1163.* — Plura Zanin. *Num. 1197;* D'Ann. *307-309.*

17) C. c. *art. 1169.* — At cf. Ballerini ad Gury *Num. 796, 3.*

hæc quoque emolumenta restituenda sunt: si culpâ detentoris res deterior evaserit hic tenetur de damnis; secus, si absque ejus culpa.

3.ª Conditio resolutiva subintelligitur in omni contractu bilaterali pro casu, quo altera pars suæ obligationi non satisfecerit; tamen ex lege positiva ea non resolvit contractum, nisi officio judicis 18; si fuerit expresse apposita, resolvit ipso jure.

412. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Conditio de non facienda re impossibili non reddit invalidum contractum: quod *a fortiori* dici debet de conditione non faciendi rem malam.

2.ª Conditioni de re mala æquiparatur conditio de non facienda re, quæ sit absolute bona; puta, si quis summam alicui legaverit sub conditione quod non fiat religiosus, vel hæretico sub conditione quod non fiat catholicus.

3.ª Legatum relictum viro incredulo vel hæretico sub conditione quod fiat catholicus validum est, ipsumque heredes solvere debent, quamvis id obstet legibus hodiernis libertatem conscientiæ propugnantibus: tantum in foro laicali sustineri non poterit.

413. **Scholion.** — **I.** *De ipsis conditionibus implendis.* — 1.° Conditiones impleri debent eo sensu, quo prudenter æstimandum est appositas fuisse a contrahentibus. Hinc, potius quam verba, attendenda est eorumdem contrahentium voluntas; et, quamvis regulariter implendæ sint in sua forma specifica, h. e., ut verba sonant, tamen implendæ sunt æquivalenter, quando constet hoc sensu æquivalenti appositas fuisse. Ita legatum relictum puellæ sub conditione « si nubat », ei tradi debet, etsi ingrediatur monasterium 19; at, si relictum ei fuerat sub conditione « si nupserit nepoti testatoris Joanni », solvi non debet eidem religionem ingredienti aut nubenti Sempronio.

2.° Conditiones potestativæ habentur tamquam impletæ, quando ipse, qui sub eisdem sese obligaverat, quominus implerentur impedivit. Insuper quæcumque sit conditio, creditor ante ejusdem impletionem exercere potest omnes actus ad sua jura tuenda ordinatos 20.

414. **II.** *De aliis clausulis qualificativis contractus.* — Hæ clausulæ communiter recensentur quatuor: *Modus, causa, demonstratio, dies.*

1.° *Modus* ex communi doctrina intelligitur finis, quem unus e contrahentibus, rem tradens, imponit alteri, qui et rem et obligationem finis acceptat. Ita, si quia alteri decem francorum millia tradat, ut hic ecclesiam ædificet; vel, si quis viduus uxorem ducat, ut hæc filiorum prioris matrimonii curam gerat.

2.° *Causa* est motivum, propter quod quis contrahit; et communiter indicatur per particulam « *quia* »; ex. gr.; « do tibi francos mille,

18) C. c. *art. 1165.*
19) S. Ligorius *Num. 930.* Si relictum fuit puellis indeterminatis, dubitatur.
20) Cf. C. c. *art. 1169, 1171.*

quia mihi amicus es »; vel « contraho tecum, quia bona valetudine polles ».

3.° *Demonstratio* est expressa qualitas personæ vel materiæ, per quam persona quæpiam vel materia determinatur, ita ut a ceteris secernenda sit; ex gr.: « vendo tibi domum eam, quam tali via, sub tali numero possideo »; vel: « duco in uxorem te, quæ es primogenita Sempronii ».

4.° *Dies* est designatio temporis, quo contractus, ab initio quidem validus, mandandus est exsecutioni; ex. gr.: « dabo francos mille ecclesiæ parochiali die festo patroni, vel tempore vindemmiæ, vel quando pater meus morietur ». Quod si dies designatus non sit certe futurus, ejus appositio habetur ceu conditio contractus; ex. gr. si dicat: « dabo francos mille, quando contrahes matrimonium ». Hinc in casu priori obligatio valet ab initio, ac, defuncto ipso contrahente, ea tenet heredes: in altero, si contrahens ante verificatam conditionem moriatur, ad nihil heredes tenentur.

5.° Hisce affines possunt dici aliæ clausulæ; *locus*, rei vel pecuniæ *qualitas*: rei *mensura, pondus, volumen, forma*, etc. Item obligatio ipsa potest esse *alternativa, facultativa, divisibilis* vel *indivisibilis*, etc. Quid judicandum sit de valore et de obligatione contractus sub una vel pluribus ex hisce formis vel clausulis initi, si contingat, aut eas quandoque impossibiles vel turpes esse, vel circa eas ipsos contrahentes errare, vel ea ab alterutro e contrahentibus non impleri, generatim deduci debet ex principiis superius positis, quæ speciatim applicanda erunt, cum de singulis contractibus agetur.

415. **III.** *De clausulis pœnalibus appositis contractui.* — Præcipuæ duæ sunt: *Arrha*, et *pœna conventionalis*.

1.° *Arrha* vocatur id, quod unus e contrahentibus jam in contractu ineundo dat alteri, sive in majorem securitatem exsecutionis contractus, sive in cautionem damnorum quæ ex omissa vel dilata exsecutione possent alteri contrahenti obvenire. Nisi contrahentes aliter convenerint, arrha datur ea lege, ut is, qui non exsequitur contractum ipsam amittat, si dederit; duplam solvat, si ab altero receperat. Ceterum arrhæ omissio communiter non liberat contrahentem ab obligatione exsequendi contractum; quod si contractus mutuo consensu dissolvatur, aut ejus exsecutio ex gravissimis causis impossibilis evaserit, arrha restituenda est.

2.° *Pœna conventionalis* est novus contractus accessorius contractus principalis; per quem alter contrahens alterum de exsecutione suæ obligationis certum reddere intendit, obligando seipsum ad aliquid ei tribuendum, sive pro omissa exsecutione contractus principalis, sive pro mora in exsequendo: item ea statui potest tamquam compensatio damnorum creditoris ex non impleta obligatione principali. Cavendum vero est, ne ea pœna sit immodica. Quocumque titulo de ea conventum fuerit, si corruat obligatio principalis, corruit et accessoria; puta, si quis equum sub pœna conventionali vendiderit, quem ignorabat esse mor-

tuum: e contra nullitas clausulæ pœnalis non importat nullitatem obligationis principalis 21.

CAPUT III.

DE CESSATIONE OBLIGATIONIS CONTRACTUS

416. Obligatio vi contractus assumpta cessare potest modis novem, qui sunt: *Solutio, novatio, remissio, compensatio, confusio, rei debitæ interitus, annullatio* et *rescissio, verificatio conditionis resolutivæ, præscriptio* 1.

1.° Modus ordinarius et naturalis est *solutio*, seu proprie ipsa obligationis exsecutio per solutionem summæ aut rei debitæ, vel per præstationem debitæ actionis. Si materia contractus sit res vel pecunia, necesse est quod ea sit ipsa quæ debetur, ac sit in proprietate et administratione solventis; ceterum obligatio exstingui potest etiam per solutionem factam pro debitore a tertia persona: si sit actio, hæc præstanda est ab ipso debitore, nisi creditor consentiat eam sibi præstari ab alio. Solutio rei aut summæ, vel actionis præstatio, regulariter fieri debet ipsi creditori, aut ejus procuratori vel mandatario: quandoque fieri potest, quandoque etiam debet, creditoribus ejusdem, nominatim si ipse sua bona et jura suis creditoribus cessit.

Utrum quis obligationi assumptæ satisfacere teneatur, quando dubitat num jam eidem satisfecerit, disputavimus superius.

2.° *Remissio* seu *condonatio* creditoris, quæ dicitur etiam *acceptilatio*, fieri potest, tum expresse, tum tacite; quandoque, at raro, præsumi quoque potest. Tamen necesse est fieri ab eo, qui suorum bonorum et jurium administrationem habet, ac insuper fieri scienter et prorsus libere 2.

3.° *Novatio* obligationem ex contractu assumptam exstinguit, vel potius transmutat. Ea tripliciter contingit: *a*) Per substitutionem novi debiti in locum prioris; puta, si quis summam hucusque detentam ut depositum, nunc retineat ut mutuum: *b*) per substitutionem novi debitoris in locum prioris; *c*) per substitutionem novi creditoris, cui creditor prior sua jura transmittit. — Patet novationem esse novum et verum contractum, ac proinde eam fieri non posse, nisi inter personas capaces contrahendi.

4.° *Compensatio*, ea, quæ *legalis* dicitur, seu « debiti et crediti ad invicem contributio », tunc habetur, cum duo sibi ad invicem debitores sunt: hæc compensatio debita exstinguit juxta modum et in casi-

21) C. c. *art. 1209, 1212, 1220.* — Cf. Berardi *Num. 1756.* Dari potest et pœna recessûs.

1) De singulis C. c. *art. 1236-1311.* — Cf. Berardi *Num. 1778-1799.*

2) Utrum cessio bonorum habenda sit ceu partialis condonatio ex parte creditorum, disputavimus *Num. 342.*

bus a lege determinatis, et quidem ipsis quoque debitoribus insciis. Ceterum etiam compensatio *extralegalis* seu *occulta* exstinguere potest debitoris obligationem, juxta quod alibi vidimus.

5.° *Confusio* in hoc consistit, quod debitum et creditum in eamdem personam conveniant; ex. gr., si debitor fiat heres creditoris sui, aut creditor heres sui debitoris.

6.° Rei debitæ *interitus*, sive realis, sive æquivalens, eo quod res aut amissa fuit aut extra commercium posita, si contigerit absque culpa debitoris, istius obligationem exstinguit. Codex excipit casum, quo agatur de re furtiva relate ad ipsum furem [3].

7. *Annullatio* seu *rescissio* contractus evidenter fieri potest per contrariam ipsorum contrahentium voluntatem. At insuper fieri potest legitime per sententiam judicis in materia sibi subjecta, et quidem quoad ipsum forum conscientiæ. Fieri autem potest, tum per sententiam declarantem contractum fuisse irritum in se, tum per sententiam irritantem contractum in se validum, at non firmum, seu rescindibilem: ita annullari possunt contractus initi ex errore vel metu; rescindi possunt contractus formis legalibus destituti, aut qui initi fuerint a minore, ab uxore, etc. Ut vero rescissio proprie dicta legitima sit, oportet in primis, quod contractus, sive expresse, sive tacite, ratihabitus non fuerit cessante errore vel metu, vel a minore post adeptam majorem ætatem, vel ab uxore post mortem mariti, etc.; et quidem cum cognitione juris obtinendæ rescissionis; insuper, necesse est quod non præterierit tempus utile, h. e., quinquennium post cessatum impedimentum. At contractus informes nullatenus ab iisdem contrahentibus ratihaberi possunt; excepto testamento, quod scienter ratum habuerint aut exsecutioni mandaverint heredes. Matrimonium vero declarari quidem poterit irritum, utique ab Ecclesia; quandonam irritari, seu dispensari, possit, videbimus in tractatu *De Matrimonio*.

8.° *Verificatio conditionis resolutivæ* ipsum contractum resolvit, ejusque obligationem exstinguit. Ita, si venditor rem venditam non tradiderit, nec tradere velit, emptor non tenetur ejus pretium solvere.

9.° *Præscriptio*, si debitis conditionibus prædita sit, eximit possessorem ab onere restituendi rem, quæ heri erat alterius, hodie vero sua; item ipsum liberat a debito, vel a quacumque obligatione, qua hucusque tenebatur. — De qua re diximus alibi.

3) Quoad forum conscientiæ, diximus *Num. 269 Resol. 3.*

SECTIO ALTERA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

417. Contractus particulares ad duas vel tres classes supremas reduci possunt. Alii enim sunt *gratuiti;* alii *onerosi*: horum autem, alii sunt *certi eventûs* seu *commutativi;* alii *incerti eventûs* seu *aleatorii.* — Nos de principalibus tantum agemus.

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

418. *Gratuiti* in genere dicuntur contractus illi, qui in gratiam vel utilitatem unius contrahentis fiunt ex alterius liberalitate. Hinc eorum notio generatim indicat eos nullum gravamen inferre contrahenti, in cujus gratiam ab altero ineuntur; tamen ex eis quidam aliquod eidem onus imponunt, qui proinde dicendi sunt bilaterales. Communi usu theologorum dicuntur contractus gratuiti unilaterales: *Promissio, donatio* et *testamentum,* quod ratione analogiæ ad speciem quamdam donationis revocatur; dicuntur et vere sunt bilaterales: *Commodatum, mutuum, depositum* cum *sequestro, mandatum* et *negotiorum gestio.* — Nos, forte primi, distinguimus mutuum in *simplex* (gratuitum), et *fenerativum* (onerosum).

CAPUT I.

DE PROMISSIONE

419. *Promissio* definiri solet « contractus, quo aliquis se obligat gratuito ad aliquid alteri tribuendum, vel aliquid in alterius gratiam faciendum aut omittendum ». Prior dicitur *promittens* seu *promissor;* alter *promissarius.* Nomen *promissio* generale quidem est et extendi potest ad omnes contractus etiam onerosos (puta, si emptor libri librario dicat: « promitto quod cras pretium deferam »); proprie tamen accipitur sensu determinato, quo quis se gratis obligare dicitur. Hinc dici quoque solet promissio *simplex, liberalis* vel *gratuita;* ut distinguatur a promissione *mutua* et *onerosa*: est *mutua* ea, quæ a promissario exigit repromissionem, ut sunt sponsalia; *onerosa,* quæ promissario ad rem promissam consequendam onus imponit, puta quod in concursu opus perfectius præ ceteris exsequatur, vel quidpiam præstet in favorem promittentis vel tertiæ personæ [1]. — Eo ipso quod promissio, quamvis gratuita, est

1) Promissionibus onerosis accensendæ quodammodo sunt *remuneratoriæ;* supponunt enim a promissario quidpiam jam præstitum fuisse in favorem promittentis. — Cf. De Lugo *Disput. XXIII. Num. 100.*

facta *alteri*, differt a *proposito*, etiam in favorem alterius concepto et externe expresso: hoc enim contractus omnino non est, sed mera voluntas vel intentio præsens dandi vel faciendi vel omittendi aliquid in posterum; neque *per se* ullam infert proponenti obligationem erga alterum. Ita Petrus non promisit, sed proposuit, cum dixit Christo: « Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo ».

420. **Principia. I.** Promissio quælibet veram infert promittenti obligationem erga promissarium; dummodo *a*) ex parte promittentis ea sit deliberata, spontanea et manifestata; *b*) ex parte promissarii sit acceptata, sive expresse, sive tacite; *c*) ex parte objecti sit de re possibili et honesta.

II. Promissio, quæ aut mutua sit, aut onerosa, promittentem obligat ex justitia, et proinde obligatione *per se* gravi. Ratio est, quia inter duos contrahentes habetur hinc inde vera translatio et acquisitio juris.

III. Promissio liberalis *a*) promittentem communiter obligat ex fidelitate, et proinde obligatione *per se* levi; *b*) quandoque eum obligare potest ex justitia, et proinde obligatione *per se* gravi. Ratio prioris est, quia naturalis turpitudo promissionis liberalis non servatæ hæc est, quod promissor infidelis oppositionem ponat inter promissa et facta, ac ita seipsum indignum faciat aliorum fiduciâ; hæc autem turpitudo gravis non est. Ratio alterius est, quia in facultate promitentis est quod per promissionem velit in promissarium transferre verum jus habendi id, quod ipsi promissum fuit [2].

421. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si domina suam intentionem ancillæ aperueruit relinquendi eidem legatum, quod dein morte repentina correpta exsequi non valuit, ancilla non potest rem vel summam illam sibi surripere: nulla enim interfuerat promissio.

2.ª Invalida est, non modo promissio, quæ fiat ab homine amente vel ebrio, sed et quæ fiat a semifatuo vel semiebrio. Promissio ficta non obligat *per se;* at obligare potest *per accidens*, ratione damnorum, quæ ex non servata promissione obvenire possent promissario; dummodo non sit injusta.

3.ª Nulla oritur obligatio ex promissione inscripta epistolæ, quæ ex quocumque motivo non fuit promissario consignata, aut ab eodem lecta non fuit.

2) Cf. De Lugo *Disput. XXIII. Num. 14, 91;* Lessius *II. Cap. XVIII. 55, 58;* Ball. *123-130;* Verm. *290;* Gen. *607.*

4.ª Si res promissa fiat impossibilis, aut illicita, aut promissario inutilis, omnis obligatio cessat; item, si rerum mutatio contingat impræ-visa, quæ prævisa promissionem prudenter fieri impedivisset: item, si promissarius moriatur; nisi ex adjunctis pateat promissorem sua promis-sione illius familiæ aut heredibus favere voluisse 3.

422. *Ex Princ. II.* — 1.ª Sponsalia obligant *sub gravi* utrumque sponsum ad fidem alteri servandam ex justitia; ita et quælibet alia pro-missio et repromissio in materia gravi.

2.ª Si quis testatori, qui in testamento in ipsius favorem condendo legatum informe inserere volebat, promisit se fideliter legatum illud so-luturum esse, ipsum solvere tenetur ex justitia.

3.ª Obligat ex virtute justitiæ promissio, etiam quando onus pro-missario impositum est in ipsius utilitatem: ita patruus, qui nepoti horo-logium promisit, si studiis incumbens annuale periculum superaverit, con-ditione a nepote impleta, horologium ei dare debet ex justitia.

4.ª Idem dicendum etiam si promissarius se obligaverit ad opus jam aliunde debitum; puta ad non blasphemandum per hebdomadam, ad Missam die festo audiendam: imo, etsi ad opus jam tertiæ personæ debitum ex justitia; puta ad sua debita creditoribus solvenda.

423. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Utrum ad va-liditatem promissionis necessaria sit ex parte promissarii acceptatio?

Resp. Certe *affirmative*, si promissio fuit onerosa, etiam in solam utilitatem promissarii; si fuit gratuita, iterum *affirmative*, si promittens sese obligare intenderit ex justitia: si ex mera fidelitate, negat Balle-rini, eo quod in isto casu promittens debet sibi, non alteri; cum non vere contrahat 4: at forte non inverisimile est, quod promittens ne sibi quidem debitor fieri velit, quousque promissarius non acceptavit; hinc generatim theologi censent acceptationem semper requiri.

424. *Circa Princ. III.* — *Qu. I.* Undenam definiendum sit, utrum promissor ex justitia teneatur, an ex fidelitate tantum?

Resp. Res pendet ab ejus intentione; qua voluerit in promissarium transferre jus ad rem, vel non. Si hanc ipse determinare non valeat, quærendum utrum (in materia gravi) sese ita obligare voluerit, ut pro-missa non servans peccaturus esset graviter, vel leviter: in primo casu censendus est sese obligare voluisse ex jutitia; in altero ex fidelitate. Item censendus est sese obligare voluisse ex justitia, quoties promissio-nem firmavit juramento, aut coram testibus promisit, aut per actum pu-blicum. Demum sese obligare debuit ex justitia, quoties omissio rei (vel actionis aut omissionis) promissæ damnum afferre potuisset ipsi promis-sario. Casus essent: Si medicus promittat se gratis curaturum esse infir-mum; ex quo fit, ut alii medici non vocentur: si quis furi promittat se

3) S. Thomas *2. 2. Qu. 110, art. 3 ad 5.* — Lehmk. *1082.*
4) Ballerini *Num. 132.* — At cf. quoque D'Annibale I. *158. bis, 24.*

ipsius delictum nemini revelaturum; ex quo fit, ut ille securus et sine cautelis incedat: si filius major cuipiam promittat se post mortem patris (nihil relinquentis) soluturum esse debita a patre contracta; ex quo fit, ut alter summam pecuniæ patri mutuam tribuat: etc.

Qu. 2. Quænam si materia gravis in omissione rei promissæ?

Resp. a) Si promissio fuit ex fidelitate, nulla datur materia *per se* gravis; cum fidelitas *per se* obliget *sub levi*. — *b)* Si promissio fuit ex justitia, generatim auctores admittunt materiam longe graviorem requiri, quam in furto; plures quadruplam esse volunt 5; quia promissor agit de proprio, fur de alieno 6. Ceterum in his agitur de amissione utilitatis ex promissione debitæ promissario: at, si præterea ex ea amissione sequantur alia damna, quæ a promittente aliquo modo prævisa fuerint, etiam de his promissor tenetur erga promissarium, tamquam damnificator injustus.

Qu. 3. Utrum ex promissione simplici jus aliquod acquiratur promissario?

Resp. 1.° Si promissio obligat ex fidelitate, promissarius acquirit jus fidendi: quod si promissio dein non servetur, promissarius jus habet non fidendi promittenti.

2.° Si promissio obligat ex justitia, nullum promissario acquiritur *jus in re;* at acquiritur *jus ad rem,* ex quo res ipsa danda est. — Hinc: *a)* Promissarius non potest rem sibi accipere, nisi ea sponte detur; eam petere debet a promissore, vel, eo defuncto, ab heredibus; at eo ipso quod jus ad illam habet, si ea injuste denegetur, poterit eam vel aliam sibi occupare titulo compensationis. Tamen adverte quod promissio simplex *præsumenda* est esse ex fidelitate. — *b)* Si promissio est *realis,* h. e., pro objecto habet rem dandam, defuncto promissore, obligatio promissionis servandæ transit ad heredes 7; nisi constet promissorem voluisse seipsum tantum personaliter, non vero heredes, obligare. — *c)* Si res alicui promissa, etiam ex justitia, alteri donetur aut vendatur, donatio aut venditio valida est; tamen est illicita, nisi forte ipsa obligatio promissionis cessaverit. — *d)* Si res uni promissa promittatur alteri, hæc altera, promissio, nedum illicita, sed et invalida est, nisi obligatio promissionis prioris cessaverit.

Defuncto promissario, communiter cessat obligatio promissionis: excipe, si hæc facta fuit intuitu filiorum vel familiæ.

5) Apud S. Ligorium *Num. 720.* — Ball. *loc. cit.* et alii.

6) In æstimanda gravitate rei spiritualis promissæ attendendum est ad communem æstimationem; non habetur ut materia gravis auditio unius Missæ; forte nec celebratio. Lacroix apud Alberti *Num. 166 Nota 1.*

7) Hoc valere dicunt theologi etiam de obligatione ex fidelitate; at si obligatio promissoris *per se* levis est, heredum levior erit. Imo nullam *per se* inesse heredibus docet Bucc. *Op. cit.* Num. 981. Insuper pro his facilius dari possunt causæ exstinguentes obligationem, aut ab ea excusantes.

CAPUT II.

DE DONATIONE

425. *Donatio* definitur « actus spontaneæ liberalitatis, quo quis actualiter et irrevocabiliter se privat aliqua re in favorem alterius eamdem rem acceptantis » [1]. Prior dicitur *donans;* alter *donatarius.*

a) Hæc donatio proprie dicta appellari solet donatio *inter vivos;* ab ea distinguitur donatio *mortis causâ;* quam quis facit intuitu mortis secuturæ, et per quam donans transfert in donatarium rei donatæ dominium sub ea conditione: « si in hac infirmitate vel in hoc periculo moriar, aut si ante mortem donationem non revocavero ». — *b*) Donatio proprie dicta potest esse *liberalis,* aut *remuneratoria;* prout fit ex pura virtute liberalitatis aut benevolentiæ; vel simul ex virtute gratitudinis propter beneficia, quæ donatarius donanti contulerat. — *c*) Item donatio potest esse omnino *gratuita* et *unilateralis,* aut simul *bilateralis;* prout nullum, vel aliquod onus donatario imponit. — *d*) Spectato objecto, donatio potest esse *manualis,* vel *contractualis* seu *non manualis.* Dicitur *manualis,* quæ pro objecto habet rem mobilem, puta horologium, librum, vestem, etc., aut etiam pecuniam, dummodo non agatur de summa notabili: dicitur *contractualis,* quæ pro objecto habet rem immobilem aut pecuniæ summam ingentem. — *e*) Demum, spectato modo, donatio fieri potest *absolute,* vel *conditionate,* et quidem sub conditione, sive suspensiva, sive resolutiva.

ART. I. — De donatione proprie dicta, seu inter vivos

426. **Principia. I.** Donatio, legitime facta, per ipsum contrahentium consensum transfert actualiter et irrevocabiliter dominium rei donatæ a donante in donatarium.

II. Ex parte objecti donandi, *a*) ad validitatem donationis requiritur, quod illud sit proprium donantis; *b*) ad ejusdem justitiam requiritur, quod neque creditorum, neque heredum aut aliorum quorumcumque jura lædantur.

III. Ad validitatem donationis, quantum spectat ad ipsum actum donandi, requiritur: *a*) ex parte donantis, quod actus procedat ex spontanea liberalitate; *b*) ex parte donatarii, quod habeatur donationis acceptatio.

IV. Ad validitatem donationis, quantum spectat ad perso-

1) C. c. *art. 1096.* — Agunt De Lugo *Disput. XXIII;* Lessius *Lib. II. Cap. XVIII. 77, seqq.;* S. Ligorius *Num. 721-743;* Ball. III. *313-181;* D'Ann. *514-521;* Ferr. *938-952;* Sen. *609, sequ.;* Noldin *548-551.*

nas contrahentes requiritur, quod, tum, ex jure naturali, tum ex jure positivo, donans ac donatarius capaces sint : ille donandi, iste acceptandi.

427. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Facta donatione, res donata fit propria donatarii, qui super ea ante ejusdem traditionem jus in re acquirit: quare, si donans tradere renuat aut irrationabiliter differat, donatarius, dummodo ceteræ conditiones habeantur, clam eam sibi occupare potest, vel se occulte compensare.

2.ª Donans, facta donatione, rem donatam regulariter statim tradere debet; interim graviter (in materia gravi) peccat, si eam destruat, alienet, aut sive positive, sive negative per negligentiam culpabilem, deteriorem faciat.

428. *Ex Princ. II.* — 1.ª Administrator alicujus familiæ vel communitatis non potest ex earumdem bonis donationes facere, nisi hæ sint remuneratoriæ, aut leviores largitiones in eleemosynas; circa quas facile præsumi potest familiæ aut communitatis consensus.

2.ª Idem multo magis dicendum de famulis et ancillis circa bona familiæ, cui inserviunt; et hoc etiamsi agatur de subveniendo suis parentibus aut consanguineis. Idem, cum debita proportione, dicendum de filiis et uxoribus quoad donationes ex bonis familiæ.

3.ª Invalida est donatio rei furtivæ, aut cujuscumque rei alienæ bona fide detentæ, quæ nondum fuerit legitime præscripta. At, si res mobilis fuit uni donata et non tradita, dein alteri donata et tradita, donatarius bonæ fidei potest ex jure positivo eam sibi retinere; donator autem tenebitur erga donatarium priorem.

4.ª Valida quidem, at injusta, est donatio facta a debitore, qui inde impar fit suis creditoribus satisfacere.

5.ª Valida nunc est, at *per se* illicita et injusta, donatio, qua pater, aut sibi impossibilem reddat convenientem suæ familiæ sustentationem, aut filiorum jura ad portionem hereditatis lædat.

429. *Ex Princ. III.* — 1.ª Donatio, quæ facta fuerit *ex errore* circa qualitatem substantialem, sive rei donandæ, sive personæ donatarii, invalida est; nec donans eam tradere tenetur, nec donatarius, si accepit, eam potest tenere: e contra, valida potest esse donatio, quæ fit *cum errore* circa qualitatem accidentalem.

2.ª Largitio eleemosynæ, præsertim in re aut summa notabili, quam quis faciat mendicanti realiter non indigenti, invalida est; non est invalida largitio, quam quis faciat inopi, quem falso putat pium esse ac probum.

3.ª Nec valida est largitio pecuniæ, quam quis faciat mendico, secus minitanti infamationem, aut frugum combustionem, etc.: multo minus, quam faciat impostori, secus minitanti divinas vindictas, aut maleficia; et similibus.

4.ª Si donatarius, aut recuset donationem, aut coram ipso donatore

verbis vel factis vel ipso silentio ostendat se non curare donationem, donatio non valet.

430. *Ex Princ. IV.* — 1.ª Puer, etiamsi habeat usum rationis, invalide donaret objectum quoddam ex materia vel arte vel antiquitate pretiosum, et quidem suum, cujus pretium nosse non potest.

2.ª Ex ipsis bonis paraphernalibus invalide uxor faceret donationes non manuales, puta alicujus summæ ingentis; valide e contra donationes manuales, dummodo res donata sua sit.

3.ª Filius, qui studiorum causa habet a patre pecunias, vestes, libros, etc., valide aliquid ex his donaret pauperibus, amicis, sociis.

431. **Quæstiones.** — *Circa Princ. 1.* — *Qu. 1.* Utrum aliquando donator revocare possit donationem?

Resp. Affirmative in casibus sequentibus: *a*) Si donatio facta sit sub conditione resolutiva, et hæc verificetur; puta, quod donatio nulla sit, si donatarius præmoriatur donatori: conditione hac verificata, bona redeunt ad donatorem. — *b*) Si donatarius se ingratum exhibeat in donatorem, ipsius vitæ attentando, sævitias aut graves injurias ei inferendo, vel eidem alimenta indebite denegando. — *c*) Si donator donationem faciens nullos habuerit descendentes, dein vero filios habeat, sive legitimos, sive illegitimos, at per subsequens matrimonium legitimatos. Ita quidem ex Jure civili 2; cujus dispositiones cum in hac materia justæ sint, valent etiam in foro conscientiæ: hinc jure revocationis donator (vel alius pro eo) uti potest, etiamsi huic juri jampridem renuntiaverit. — *d*) Insuper donator revocare potest donationem quousque donatarius donationem non acceptavit; puta, si donavit per epistolam, revocare potest per telephonium.

Qu. 2. Utrum revocari possit donatio facta Ecclesiæ vel operi pio propter ingratitudinem prælati vel præsidis, aut propter filios posterius habitos?

Resp. Motivo ingratitudinis prælati vel præsidis numquam id licet; eo quod donatio principaliter facta est Deo, qui nequit esse ingratus 3. Motivo supervenientis prolis, theologi admittunt revocari posse has quoque donationes, si ,et quatenus, lædere videntur legitimam filiorum; secus vero, et ulterius, non posse.

Qu. 3. Utrum motivo ingratitudinis donatarii revocari possit donatio firmata juramento?

Resp. a) Si juramento firmata fuit ipsa donatio tantum, *affirmative*. Ratio est, quia donatio subintellectam habebat conditionem: « «nisi donatarius fuerit ingratus »; quare hæc eadem conditio subintelligebatur

2) C. c. *art. 1078-1086.* Tamen propter ingratitudinem et natos liberos non fiunt revocabiles donationes remuneratoriæ et donationes factæ intuitu determinati matrimonii; ex *art. 1087.* — Cf. D'Ann. *Num. 520.*

3) Codex *Can. 1536* § *4;* qui edixerat § *1*: « Nisi contrarium probetur, præsumendum ea quæ donantur rectoribusecclesiarum, etiam religiosorum,, esse ecclesiæ donata ». — Cf. De Lugo *Num. 175-194;* Lig. *739.*

quoque juramento. — *b*) Si juramento firmata fuit promissio non revocandi motivo ingratitudinis, adhuc probabilis est opinio hoc juramentum non obligare: eo quod promissio illa bono communi ac bonis moribus adversatur.

432. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quænam sunt bona, quæ donari possunt?

Resp. Ea bona, quæ possunt esse objectum contractûs, quæque propria sint donantis, et quidem præsentia; et hæc in quavis quantitate, si donator heredes necessarios non habet. Verum habentur ut præsentia ea, quæ donator habet in spe determinata, ex gr., fructus hoc anno ex hoc prædio colligendos, reditus alicujus capitalis proximo semestri percipiendos, etc.; excepta spe futuræ hereditatis, circa quam omnis stipulatio nulla esset.

Qu. 2. Quid agendum, si donator per donationes jura heredum læserit?

Resp. Donationes illæ *reducendæ* sunt intra eos limites, qui ea jura intacta esse sinant. Quia vero reductionem postulare ad ipsos heredes pertinet, ideo donatarius potest interim retinere quod accepit. Insuper theologi censent huc non pertinere donationes manuales, nisi de summa prorsus immodica agatur.

Qu. 3. Utrum donatarius teneatur bona donata restituere, si donator, ære alieno gravatus, per eam donationem jura creditorum læserat?

Resp. 1.° Si ipse, nihil sciens de conditione obærata donatoris, donationem bona fide accepit, *negative*: neque enim tenetur ex re, quæ donatoris erat et nunc est sua; neque ex acceptione, quæ materialiter tantum est injusta.

2.° Si donatorem ad ea bona sibi donanda ipse scienter induxit, ipse reus est cooperationis culpabilis ad actionem injustam alterius, ac proinde tenetur læsionem jurium creditoris resarcire; quod adæquate non faciet, nisi per restitutionem: ceterum ad hanc læsionem resarciendam teneretur etiamsi induxisset ad donationem tertiæ personæ faciendam, vel ad indulgendum vitiis.

3.° Si donatarius, non quidem induxit, sed conscius conditionis donatoris donationem accepit, controvertitur: alii censent eum, ut veram causam, cooperatum adhuc esse contractui injusto: alii putant causam veram et unicam contractus fuisse voluntatem donantis, donatarium vero fuisse mere causam *per accidens* vel occasionem. Hinc illi docent donatarium ad restitutionem teneri; hi vero minime [4]. — Ceterum absque dubio tenetur, si agatur de re in individuo clamante ad dominum; item, si agatur de bonis, quæ creditoribus obligata sint per hypothecam.

433. *Circa Princ. III.* — *Qu. 1.* Quænam sit forma faciendæ donationis?

4) De Lugo *Disp. XX. Num. 116;* S. Lig. *722;* Noldin *548.* — Lessius *Cap. XX. 168;* D'Ann. *423;* Gen. *610.*

Resp. Ex jure naturæ nulla forma specialis requiritur ad valorem donationis: satis est haberi mutui consensus manifestationem, sive verbis, sive scriptis, etc. Ex Jure nostro positivo, ad validitatem requiritur, quod donatio fiat per actum publicum, seu notarilem; secus civiliter nulla est. Attamen hæc dispositio, tum ex se, tum ex praxi tribunalium civilium, non attingit donationes manuales: insuper ipsæ donationes contractuales haberi possunt ut validæ, donec a judice rescindantur; at sententia vim habet in foro conscientiæ. — Hæc forma communiter servanda quoque erit in donatione, quæ fiat enti habenti exsistentiam ab Ecclesia; secus enim impossibile erit donationem sustinere ac tueri in foro civili: at *per se* donatio valet, etsi eis careat; neque ullius valoris esset sententia contraria judicis.

Qu. 2. Quænam dicendæ sint donationes *manuales*?

Resp. Illæ quæ fiunt *de manu ad manum;* quæ, nempe, consistunt rebus mobilibus, pecuniis, vel titulis non nominativis. Quantum ad entitatem summæ pecuniæ vel titulorum, norma definitiva non datur: at potest esse manualis etiam donatio summæ magni momenti, ratione habita conditionis œconomicæ donatoris; quod præsertim attendendum est, si agatur de donatione remuneratoria.

Qu. 3. Utrum ad validitatem donationis requiratur ex parte donatarii acceptatio, hujusque significatio facta donatori?

Resp. 1.° Certe acceptatio requiritur jure, tum naturali, tum positivo: hinc donatio nondum acceptata revocabilis est; et quidem, etsi fuerit juramento firmata.

2.° Num requiratur acceptationis significatio facta donatori, controvertitur. Quidam affirmant, eo quod secus non habetur conventio [5]: alii, et longe plures, negant ex solo jure naturali requiri, eo quod in contractibus gratuitis voluntatum conventio habetur per solam acceptationem externatam, quæ a donante generatim præsumi debet. Juxta priores, donator posset donationem revocare, quousque sibi notificata non fuerit donatarii acceptatio; juxta posteriores, id posset, puta per telephonium, antequam res ipsa donata vel donationis nuntius aut epistola ad donatarium pervenerit, aut epistola ab hoc lecta fuerit.

Ex jure positivo acceptationis significatio requitur; et, si donatio facta sit absenti, nullum habet effectum, antequam acceptatio notificata fuerit donanti. Verum hæc disposito positiva non spectat donationes manuales: quoad alias, non videtur in foro conscientiæ urgenda ante sententiam judicis. — Si donatio fiat donatario præsenti, acceptio rei donatæ habetur ut acceptatio donationis.

Acceptatio fieri potest ab ipso donatario, si capax est actus acceptandi; aut ab eo, qui ipsum repræsentet, sive ejus voluntate, sive natura, sive lege: pro donatario nondum nato ipsa lex acceptat.

5) Cf. S. Ligorium *Homo apost. Num. 130;* Gury *811;* Lessium *XVIII. 43;* Ball. *144.*

Qu. 4. Utrum acceptatio requiratur ad validitatem donationis factæ Ecclesiæ, monasterio, hospitali aut cuicumque operi pio?

Resp. a) Si donatio facta sit sub forma promissionis factæ Deo, *negative*: esset enim votum: ita, si quis promittat Deo donare calicem Ecclesiæ. — *b)* Si donatio facta sit immediate Ecclesiæ aut cuicumque causæ piæ, respondent satis communiter theologi: *affirmative;* eo quod acceptatio est de essentia donationis, ac proinde ipsa Ecclesia vel causa pia acquirere jus non valet, nisi acquirere velit 6.

Qu. 5. Utrum valida sit acceptatio, si ante eam mortuus fuerit donator?

Resp. Certe probabilis est sententia affirmans; eo quod adhuc sufficienter videtur haberi conjunctio moralis voluntatum donantis et donatarii. Hinc, si donatarius jam rem donatam accepit, certe obligandus non est ad eam restituendam heredibus donantis. Ceterum, cum opposita sententia probabilitate non careat, nec obligari possunt heredes ad eam rem tradendam, si a donante tradita non fuit 7. Ex Jure nostro in casu ipsa donatio evanescit; nec irrationabiliter, eo quod donans eo tempore non est rei donandæ dominus; domini jam sunt heredes.

Qu. 6. Utrum, si donatarius ante acceptationem obierit, hæc fieri possit ab heredibus?

Resp. Solutio pendet a voluntate donantis. Si ea expressa habeatur, ei standum erit: si secus, præsumendus est voluisse se exhibere liberalem erga donatarium, et forte erga filios ejusdem; minime vero erga heredes extraneos.

434. *Circa Princ. IV.* — *Qu. 1.* Quinam sunt capaces donandi?

Resp. Illi omnes et soli, qui præter capacitatem juris naturæ, nempe usum rationis et sufficientem donationis faciendæ cognitionem, capacitatem quoque habeant a Jure positivo requisitam. Porro ex Jure nostro regulariter donare nequeunt: *a)* Minores, etsi emancipati; *b)* uxores sine auctorizatione sui mariti; *c)* inhabiles a die postulatæ inhabilitationis; *d)* interdicti; *e)* illi, quos juridice constet suæ mentis non fuisse tempore donationis; *f)* conjuges ad invicem, durante matrimonio 8. — Verum, si actus donandi ab his personis sit validus ex jure naturali, donatarius potest rem donatam tenere quousque ab iis, quorum interest, nullitas donationis invocetur: insuper validæ habentur danationes manuales conjugum ad invicem, et aliorum quoque, si sint res parvi momenti.

Qu. 2. Quinam sunt capaces recipiendi donationes?

Resp. 1.° Ex jure naturæ omnes homines capaces sunt recipiendi, etiam infantes, amentes, inhonesti, etc.; insuper capaces sunt omnes personæ morales habentes capacitatem possidendi.

6) Scavini *Num. 445;* D'Ann. *517, 23.* — Cf. *Monit. eccles.* VII. P. I. 170, XIII. 341, sequ. — In dubio præsumitur donatio facta Deo.

7) De Lugo *Disput. XXIII. Num. 76, 81.* — S. Ligorius *729, 730;* Ball. *185.*

8) C. c. *art. 134, 763, 1052, 1054.*

2.° Ex Jure nostro sunt capaces omnes homines, qui non declarentur incapaces. Porro incapaces sunt: *a*) Qui tempore factæ donationis nondum erant concepti; *b*) qui non sunt nati vitales; *c*) conjuges, alter ab altero. — Donatio quælibet facta personæ incapaci nulla est; etsi facta fuerit sub specie contractus onerosi 9.

3.° Donationes, quæ fiant personæ morali habenti jus exsistendi ac possidendi a statu, acceptari nequeunt absque auctorizatione gubernii. Quæ fiant enti habenti jus exsistendi et possidendi ab Ecclesia, *per se* ea auctorizatione non indigent: tamen, si agitur de ente civiliter recognito, eam habere regulariter opportunum erit: ceterum donatio valide et licite acceptatur independenter a statu, imo et contra quamcumque legis civilis irritationem.

ART. II. — De donatione mortis causa

435. Donatio *mortis causa* est ea, quæ a donante fit intuitu mortis secuturæ, sub ea forma: « dono, si in hac infirmitate vel in hoc periculo obiero »; vel: « dono tibi hanc rem ita, ut post mortem meam tua sit ». Hæc donatio revocabilis est ab ipso donante quousque vivit, eo quod ante mortem donatoris dominium rei donatæ in donatarium non transfertur.

Donatio *mortis causâ*, spectato jure naturali, valet, dummodo non desint aliæ conditiones de capacitate subjecti, de consensu, de objecto, etc.; dominus enim jus habet disponendi de re sua prout vult, etiam post mortem suam. Neque contra validitatem hujus donationis in foro conscientiæ videtur quidpiam excipi posse ex Jure nostro, quod nihil de ea habet: videretur ergo valere, ut quælibet alia dispositio vel conventio ad dominium in foro conscientiæ transferendum.

Alii vero hanc donationem habent ceu dispositionem testamentariam informem.

Ad donationem *mortis causâ* reduci quoque potest donatio facta sub hac conditione, quod res donanti restituatur, si iste eam repetat; licet in hac forma donandi nulla mortis mentio habeatur.

Si donatarius rem mobilem aut pecuniæ summam post mortem donatoris sibi accipiat, nemini veram facit injuriam, cum rem aut summam suam sibi accipiat. Hinc impetitus judicialiter affirmare coram judice potest se de bonis defuncti nihil sibi accepisse; accepit enim quod suum erat: quam affirmationem poterit etiam firmare juramento. Verum, si rem vel summam sibi non acceperit, eam quidem petere poterit ab heredibus, non vero exigere: heredes enim ejus assertioni credere non tenentur, nisi eam manifeste probet.

9) C. c. *724, 774, 1053, 1055.* — Fusius ubi de testamento.

CAPUT III.

DE TESTAMENTO

436. *Testamentum* definitur « actus revocabilis, quo quis secundum normas a lege statutas pro tempore suam mortem subsequente de bonis suis ex toto vel ex parte disponit in favorem unius vel plurium personarum » 1. Ex qua definitione patent sequentia: *a*) Testamentum proprie non est contractus! cum non habeatur duarum vel plurium personarum conventio, nisi latissimo quodam sensu. — *b*) Eodem actu nonnisi una persona testari potest. — *c*) Verum testamentum haberi potest, etsi testator de aliqua suorum bonorum parte, sive aliquota, sive determinata disponat. — *d*) Testamentum est revocabile essentialiter.

Spectata conditione personæ testantis, testamentum est *ordinarium*, si fiat ab homine in ordinariis circumstantiis versante; est *speciale*, si ab homine versante in circumstantiis extraordinariis, puta in loco peste infecto, in mari, in servitio militari, vel ab homine ægrotante vel vulnerato, etc. Testamentum ordinarium, spectata ipsius forma, aliud est *holografum*, seu manu testatoris conscriptum; aliud est per actum notarilem: hoc autem potest esse *publicum*, vel *secretum;* prout de dispositionibus in ipso contentis ab ipsa sui conscriptione juridice constat, vel non.

437. Circa ipsam facultatem testandi, sententia theologorum communis admittit eam homini competere ex ipso jure naturæ, dummodo dispositio officiis a pietate impositis non præjudicet. Ratio intrinseca est, quia bonum illud commune, propter quod natura divisionem bonorum et dominium privatum postulat, efficaciter non obtineretur, si homo de bonis suis pro tempore suam mortem subsequente disponere non posset. Accedit, quod voluntates testatoris et testatarii satis uniri videntur, eo quod voluntas prioris manifestata possit moraliter manere quousque accedat voluntas alterius acceptantis 2. Confirmatur ex eo, quod antecedenter ad exsistentiam cujuscumque juris civilis testati sunt Job et Abraham 3. Ratio exceptionis est, quia quædam personæ adeo inter se vinculo pietatis naturaliter junguntur, ut una debeat alterius futuris necessitatibus providere, ac proinde nequeat eam a successiva suorum bonorum possessione excludere. Hinc et identitas filii et heredis in divina Scriptura: « *Quod si filius, et heres per Deum* » 4.

Dicemus ex ordine: *a*) De requisitis ad validitatem testamenti ex parte testatoris; *b*) de requisitis ex parte testatarii; *c*) de requisitis ex parte formæ; *d*) de requisitis ex parte materiæ; *e*) de substitutionibus; *f*) demum quædam addemus de successione extratestamentaria seu legali.

1) C. c. *art. 759.* — Cf. ZANIN. *Num. 1097.*

2) D'ANNIBALE II. pag. 286 *Nota* *; TANQU. *Num. 687-692.* — Cf. et TAPPAREYYI *Saggio di diritto natur. 778-779;* VERM. *Num. 213-228.* Obstat MONTESQUIEU *Esprit XXVI. 6.*

3) JOB *XLII. 15;* GEN. *XXV. 5.*

4) GAL. *IV 7.* — Cf. *Civ. cattol.* 1909 IV. pag. 22, seqq.

ART. I. — DE REQUISTIS EX PARTE TESTATORIS

438. **Principia I.** Spectato jure naturæ, *a*) sunt capaces testandi omnes homines qui habitu et actu habeant usum rationis; quoad actum vero testandi, *b*) necesse est quod testator de suis bonis disponat scienter et prorsus libere. Ratio est, quia actus testandi debet esse, nedum perfecte humanus, sed et plene spontaneus.

II. Spectato Jure positivo, capaces sunt testandi omnes homines, qui capaces sunt jure naturæ; iis exceptis; *a*) qui annum duodevigesimum ætatis nondum expleverint; *b*) qui propter mentis imbecillitatem fuerint per sententiam judicis interdicti; *c*) quos juridice constet suæ mentis non fuisse eo tempore, quo testamentum conditum fuit; item *d*) damnatis ad ergastulum [5].

III. Testator semper potest conditum testamentum revocare, sive ex parte, sive ex toto; neque hanc a se facultatem potest ullatenus abdicare [6].

439. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Ad reddendum invalidum testamentum vel partem ejusdem sufficit error etiam accidentalis antecedens, vel metus etiam non gravis ad testamentum extorquendum injuste incussus; at necesse erit, quod de errore vel metu constet.

2.ª Dolus nullum reddit testamentum, non modo si adhibitus fuit ab eo, qui heres vel legatarius instituitur, sed etiam si a tertia persona: testamentum enim tenet naturam contractuum gratuitorum.

440. *Ex Princ. II.* — 1.ª Libere testari potest uxor absque auctorizatione mariti: item qui subsunt curæ vel tutelæ testari possunt sine adsistentia curatoris vel tutoris; item filii: dummodo et illi et isti expleverint annum decimum octavum.

2.ª Non sunt incapaces testandi inhabilitati, decocti, surdi-muti, cæci a nativitate, etc.; nec vi legis civilis Regulares.

3.ª Testamentum conditum ab interdicto invalidum est, etsi constet testatorem eo tempore sanæ mentis fuisse; nec cessat esse invalidum, si sententia interdictionis judicialiter deinceps revocetur.

4.ª Incapacitas testatoris propter mentis infirmitatem pro tempore, quo testamentum conditum fuit, numquam præsumitur, sed probanda est ab iis, quorum interest.

441. *Ex Princ. III.* — 1.ª Testator revocare potest testamentum,

5) C. c. *art. 762, 766;* Cod. pen. *art. 33.*
6) C. c. *art. 659, 966.* — PLURA ALBERTI *Num. 186;* ZANIN. *113.*

sive directe ipsum destruendo, aut scriptura juridica ipsum revocante; sive ex toto, sive ex parte; sive indirecte per testamentum posterius, in quo novæ dispositiones prioribus ex toto vel ex parte præjudicent.

2.ª Item testamentum, saltem ex parte, revocatur per contractum quemcumque, quo testator rem vi testamenti in alicujus favorem destinatam alienet.

3.ª Promissio non revocandi testamentum ad causas profanas conditum certe invalida est; et hoc etsi fuerit juramento firmata.

4.ª Promissio, præsertim jurata, non revocandi testamentum, ad causas pias conditum, generatim valida habetur, eo quod ratio legis eam irritantis cessat adæquate 7. Quidam recentes dubitant; eo quod ex Jure canonico novissimo in contractibus, etiam in materia ecclesiastica servari debeant ea, quæ jus civile legitime statuit, et in re præsenti Jure novissimo aliud non caveatur.

442. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Quid de capacitate testandi relate ad Regulares?

Resp. 1.° Si agatur de religiosis vota solemnia professis, hi ex ipso voto paupertatis sunt omnino incapaces testandi, cum nihil sui habeant. Hinc est, quod « in quolibet Ordine.... novitius post expletum novitiatum debet votis perpetuis præmittere votorum simplicium professionem ad triennium valituram » 8; ac « intra sexaginta dies ante professionem solemnem... debet omnibus bonis quæ actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturæ professionis, renuntiare ». Quoad bona vero quæ eidem « post solemnem professionem quovis modo obveniant.... ea in Ordine capaci possidendi cedunt Ordini vel provinciæ vel domui » 9.

2.° Quoad Instituta votorum simplicium, « Novitius ante professionem vootrum temporariorum testamentum de bonis præsentibus vel forte obventuris libere condat »; quod testamentum ei post professionem mutare non licet « sine licentia Sanctæ Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris majoris, aut, si nec ille adiri possit, localis » 10.

Quæ quidem certe servanda sunt, quoties agatur de testamento proprie dicto. Quod si agatur de testamento fictitio, quo religiosus professus in favorem sui monasterii per interpositam personam disponit de bonis non suis, sed ipsius monasterii propriis, id nullo jure (præterquam civili incompetente) prohibitum esse videtur: de essentia testamenti est, quod testator disponat de *bonis suis*.

7) Ballerini *Num. 967, seqq.* Noldin *563.* — Dubitat Genicot *Num. 682,* appellans ad Codicis *Can. 1529.*

8) Codex Can. 574. § 1. — Cf. Decreta S. C. Epp. et Regg. *Neminem latet* die 18 martii a. 1857, et *Perpensis* die 3 maji a. 1902.

9) Codex *581* § *1, 582.* — Dein « ea omnia statim fiant, quæ necessaria sunt, ut renuntiatio etiam jure civili effectum consequatur ».

10) Codex *Can. 569* § *3, 583 Num. 2.*

ART. II. — De requisitis ex parte testatarii

443. Ille, in cujus favorem testator de suis bonis disponit, institui ab eo potest, vel *heres*, vel *legatarius*. Instituitur *heres*, si nominatur successor, sive quoad omnia bona sua, sive quoad partem aliquotam; in primo casu est heres universalis, in altero particularis. Instituitur *legatarius*, si in ejus favorem destinantur quædam bona titulo particulari, vel pars determinata bonorum, etiam sub forma generali, ex. gr., omnia mobilia [11]. Heres immediate a morte testatoris acquirit hereditatis dominium et possessionem civilem; legatarius immediate quidem acquirit rei legatæ dominium, at possessionem habere debet ab herede [12].

444. **Principia. I.** Jure naturæ institui possunt heredes vel legatarii omnes homines, etiam infantes, amentes, imo et nascituri; insuper personæ morales.

II. Spectato Jure positivo, inter ipsos capaces jure naturæ institui nequeunt heredes vel legatarii: *a*) Qui tempore mortis testatoris jam vita decesserant, vel qui nondum erant concepti; tamen institui possunt filii nondum concepti nascituri ex determinata persona tunc vivente; *b*) item qui nati sunt non vitales [13]. *c*) Filii testatoris extramatrimoniales, nec legaliter recognoscibiles, capaces sunt tantummodo consequendi alimenta [14]; *d*) Demum dantur et incapaces ratione indignitatis.

III. Personæ morales, quæ exsistentiam cum jure acquirendi habent a civili auctoritate, et quæ, exsistentiam habentes aliunde, a civili auctoritate recognoscuntur, capaces sunt succedendi, tum ex jure naturali, tum ex Jure positivo; tamen ex hoc altero acceptare nequeunt absque auctorizatione gubernii [15].

IV. Personæ morales et omnes causæ pie, quibus exsistentia cum jure acquirendi tribuitur ab Ecclesia, at a civili auctoritate non recognoscitur, quamvis incapaces declarentur per leges civiles, perfectam capacitatem habent ex Jure canonico.

V. Ut persona, sive physica, sive moralis, in bona testatoris

11) C. c. *art. 760.*
12) C. c. *art. 863, 925.*
13) C. c. *art. 764,* coll. *724.* — Non sunt vitales, qui non sunt capaces vivendi: at, qui nascuntur vivi præsumuntur nati vitales.
14) C. c. *art. 767;* cf. et *768.* Datur et incapacitas relativa, de qua C. c. *art. 769-772.* — Cf. Alberti *Num. 187;* Zanin. *1121, seqq.*
15) C. c. *art. 932*: nec possunt, nisi cum beneficio inventarii.

succedat, necesse est, *a*) quod capax sit obligationis assumendæ, aut per se, aut per legitimum repræsentantem; ac insuper; *b*) hereditatem vel legatum post mortem testatoris acceptet, aut per se, aut per legitimum repræsentantem, sive expresse, sive tacite. Ratio prioris est, quia sæpe successioni adnexæ sunt obligationes, et quidem ex justitia. Ratio alterius est, quia sine acceptatione non potest esse acquisitio juris, et multo minus assumptio obligationis, quæ forte adnexa sit successioni.

445. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quid importet incapacitas ratione indignitatis?

Resp. Incapacitas hæc afficere potest personas aliunde capaces, imo et ipsos heredes necessarios, si per crimina determinata indignitatem incurrerint: hæc tamen non est absoluta; sed ejus tollendæ facultas a lege conceditur testatori, qui personam indignam potest habilem facere, sive per actum authenticum, sive per testamentum. Itaque indigni sunt: *a*) Qui voluntarie occiderit aut occidere tentaverit illum, de cujus successione agitur; *b*) qui eidem intulerit crimen, quod judicialiter declaratum fuerit calumniosum; *c*) qui testatorem coëgerit testamentum facere, vel factum mutare; *d*) qui eumdem a testamento condendo vel a condito revocando impedierit, aut testamentum posterius suppresserit, celaverit aut mutaverit 16. — Itaque ex Jure nostro pater non potest filium exheredare: sed ipsum filium a lege declaratum indignum, et hoc sensu ab ipsa lege exheredatum, poterit in ea conditione relinquere ac ita hereditate privare.

Qu. 2. Utrum quis licite et valide in foro conscientiæ aliqua sua bona relinquere possit filio extramatrimoniali non legaliter recognoscibili?

Resp. Ejusmodi sunt filii *spurii;* qui, nempe, nati sunt ex copula adulterina, vel ex copula incestuosa inter consanguineos vel affines matrimonii inter se contrahendi incapaces. Hisce pro foro conscientiæ accensendi, qui nati sint ex persona Ordine sacro vel voto solemni castitatis insignita.

Veteres generatim eam dispositionem illicitam et invalidam habebant; eo quod contraria est legibus, quibus filii spurii facti sunt incapaces in odium parentum et ad bonos mores tuendos 17. Verum nonnulli recentes, quibus assentiendum censemus, eam dispositionem in foro conscentiæ validam et licitam habent; dummodo illæsa serventur jura legitimorum. Ratio est, quia testator, juribus illis servatis, de parte disponibili disponere potest prout vult, et leges recentes præ oculis tantum habent obligationem juridicam. Hinc et filius spurius eam hæreditatem

16) C. c. *art. 725-727.*
17) Apud S. Ligorium *III. Num. 951, sequ.*; D'Ann. *II. 342, 22* et alios.

licite accipere potest, nec eam aliis heredibus restituere tenetur, nisi post sententiam; eo magis, quod ejus incapacitas est pœna 18.

Addunt eam dispositionem illicitam esse, si periculum scandali habeatur: puta, si genitor sit sacerdos; ac probabiliter consanguineus ipsius, rei secretissimæ conscius, causam judicialem acturus prævideatur: item, si periculum sit, quod suspicio in paroecia latenter serpens ea dispositione firmetur et vulgetur..

446. *Circa Princ. IV. — Qu. 1.* Qua ratione fieri possit dispositio in favorem causæ piæ civiliter incapacis aut etiam inexsistentis?

Resp. Licet objective et in foro conscientiæ valida sit dispositio, qua ipsa causa pia heres expresse instituatur, ea tamen dispositio sustineri non posset in foro civili. Hinc generatim consulendum est ut in testamento instituatur heres vel legatarius persona quædam determinata, cujus conscientiæ fidere possit testator: huic testator ipse, sive vivens ore, sive per chartam privatam eidem traditam vel post suum obitum tradendam, committat ut suam substantiam eidem apparenter relictam, aptiori quo fieri poterit modo, causæ piæ, utpote vero heredi vel legatario, consignet. Hæc est dispositio *per interpositam personam* in favorem entis, civiliter quidem incapacis aut etiam inexsistentis, at exsistentis et capacis objective et in foro conscientiæ coram Ecclesia et Deo: quare ejusdem exsecutio tota innititur conscientiæ testatarii apparentis.

Qu. 2. Utrum hæc forma disponendi tuta sit in foro externo?

Resp. Hæc forma olim tutissima erat: at ex placitis Curiarum civilium hæc quoque hodie nutat. Ceterum evidens est juri Ecclesiæ et ipsius causæ piæ, habentis ab Ecclesia veram capacitatem acquirendi, præjudicare non posse contrariam dispositionem auctoritatis laicalis. Quapropter persona interposita tutâ conscientiâ affirmare et contendere potest se non esse personam interpositam, sed verum heredem, verum legatarium, seque posse pro lubito de substantia sibi relicta disponere: hoc autem, nedum affirmare poterit coram conanguineis testatoris, sed et coram judice; cum hujus quoque interrogatio injusta sit: imo et suam affirmationem confirmare poterit juramento.

Patet practice excipiendum esse casum, quo consanguinei habent pro sua causa testes aut documenta demonstrativa.

Una itaque via remanet a confessariis suggerenda: Qui piæ alicui causæ favere intendit, adhuc vivens eidem, vel ejus administratoribus, aut Episcopo, summam pecuniæ tradat, eam aut irrevocabiliter donans, aut saltem revocabiliter; sibi, nempe, reservans, quousque vivit, aut proprietatem ipsius, aut jus reditus annuos percipiendi, aut utrumque.

Qu. 3. Utrum possibile sit instituere legatum ad scopum cultus vel suffragii, ita ut in ipso foro externo sustineri valeat?

Resp. Affirmative. Si agitur de legato temporaneo, testator imponere potest heredi ut summam determinatam infra designatum tem-

18) Genicot *Num. 679;* Zanin. *1124.*

pus tradat parocho vel fabricæ illius Ecclesiæ ad scopum expressum a testatore: in hoc casu parochus vel fabrica actionem civilem habet contra heredem forte renuentem. Si agatur de legato perpetuo, testator imponere poterit heredi, ut quotannis solvat eam summam parocho vel fabricæ [19]; vel etiam heredem vel legatarium instituere potest ipsum parochum vel fabricam cum onere celebrandi quotannis certum numerum Missarum, procurandi prædicationem, celebrandi festum S. Antonii, etc. Tantum, si fabricæ relicta fuerint bona immobilia, necesse erit eadem vendere et pretium in publicos reditus convertere: sub iisdem oneribus bona relinqui poterunt alicui enti morali civiliter cognito.

447. *Circa Princ. V.* — *Qu. 1.* Quænam sunt obligationes testatarii?

Resp. 1.° Ille qui proprie heres est, sicut succedit in omnia jura realia defuncti, ita et in omnia ejus onera, exceptis iis, quæ erant omnino personalia. Hinc solvere debet debita ab eodem contracta; et quidem omnia, si heres sit unicus; pro rata, si simul cum aliis succedat. Ad evitandum vero, ne solvere cogatur ultra vires hereditatis, acceptare potest cum beneficio inventarii; quod si acceptaverit absolute, in foro externo cogetur omnia debita solvere, at in foro conscientiæ probabiliter non tenetur quoad excessum supra bona accepta [20]. Insuper heres solvere debet legata, et quidem tempore a testatore præstituto; et, si hic tempus non præstituerit, quamprimum moraliter potest; quod maxime attendendum est quoad suffragia pro anima ipsius, aliaque legata pia.

2.° Legatarius tenetur eas conditiones implere, quas sibi testator imposuerit; dummodo non sint impossibiles, aut turpes.

Qu. 2. Quænam sit forma acceptandi hereditatem?

Resp. 1.° Si heres vel legatarius sit persona privata, acceptare potest aut per se, aut per legitimum repræsentantem: acceptare autem potest aut expresse per actum juridicum vel per scripturam privatam, aut tacite exercendo actus qui voluntatem habendi hereditatem ut suam demonstrant; puta, solvendo taxam successionis, domum vendendo vel locando, etc.

2.° Si heres vel legatarius est ens morale a civili auctoritate recognitum, acceptare ex jure civili non potest absque auctorizatione gubernii; quam auctorizationem prudenter omittent administratores entium moralium ecclesiasticorum, quando independenter ab ea speratur facilis esse aditio hereditatis vel legati, et aliunde ea auctorizatio magis obesse quam prodesse potest.

3.° Si heres vel legatarius sit causa pia ad suffragia vel cultum, hæc statuuntur Jure novissimo: « Clericus vel religiosus, qui bona ad pias causas, sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie

19) Cf. GENNARI *Cons. can. LXXV;* PALMELLI *Guida per le disposizioni di ultima volontà in materia di legati ed opere pie.*

20) Cf. GURY *Num. 823*: Juxta quosdam tenetur post sententiam. — TANQU. *702 Nota 2.*

accepit, debet de sua fiducia Ordinarium certiorem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adjunctis indicare » 21. Quæ præscriptio fundatur in eo, quod « Ordinarii omnium piarum voluntatum, tam mortis causa, quam inter vivos, exsecutores sunt » 22: at insuper eo tendit, ut earum voluntatum impletio tutior fiat. Hinc videretur eadem præscriptio extendenda etiam ad laicos.

ART. III. — De requisitis ex parte formæ

448. Ut testamentum validum sit in foro conscientiæ, et validum habeatur etiam in foro externo, necesse est servari in eo condendo solemnitates a lege positiva præscriptas; quarum si vel una desit, testamentum in foro externo sustineri non potest, et forte objective et in ipso foro conscientiæ invalidum erit.

Ea tantum ponimus, quæ confessarii interesse possunt, non quæ tabellionis. Hinc quæ spectant ad testamentum publicum prorsus omittimus; imo et plura spectantia ad secretum 23.

449. **Principia. I.** Quamvis ex jure naturæ quisque suam postremam voluntatem possit quibuscumque signis manifestare, tamen ejus dispositio testamentaria plenam firmitatem habere non potest, nisi redacta fuerit juxta formam a competente publica auctoritate præscriptam.

II. Ad validitatem testamenti holographi omnino requiritur quod *a*) totum manu ipsius testatoris conscribatur; *b*) indicetur data, h. e., annus, mensis et dies; *c*) ab eodem testatore ipsius nomen post omnes dispositiones apponatur; tutius, si et post datam 24.

III. Ad validitatem testamenti secreti pro diversa hypothesi diversa requiruntur: *a*) Si ipse testator sua manu illud conscripsit, debet et nomen post omnes dispositiones apponere: *b*) si ex toto vel ex parte conscriptum fuerit ab alio, regulariter testator ipse debet eidem suum nomen apponere in quolibet dimidio folio. *c*) Insuper necesse est, quod hujusmodi testamentum clausum et sigillo obsignatum notario coram quatuor testibus consignetur 25.

21) Codex *Can. 1516 § 1.*
22) Codex *Can. 1515 § 1;* ex Conc. Trid. *Sess. XXII. De reform. 8.*
23) Plura practica apud Scavini II. *Num. 524;* Ciolli *Dirett. prat. del confess. nov. Cap. VI. § 32;* Rivarolo *Governo della Parr. P. II. Cap. 7, Art. XLIII, sequ.;* Alberti *Theol. pastor. Pars. I. 113-118.*
24) C. c. *art. 775.* Cf. D'Ann. *Num. 337,* et *Notas.* — De duobus testamentis eadem die datis, cf. Gury *Casus, Num. 833;* Zanin. *1141, 9;* D'Ann. *l. c. Nota 14.*
25) C. c. *art. 782-784.* — Plura ad praxim apud Zanin. *Num. 1102.*

450. **Resolutiones.** — *Ex Princ. II, III.* — 1.ª Testamentum holographum, ubicumque factum fuerit, etiam extra fines regni, valet.

2.ª Tantum qui novit et valet scribere, testari poterit per testamentum holographum: ita non facile poterit cæcus, paraliticus, etc.

3.ª Qui novit legere, testari poterit per testamentum secretum; tenetur enim coram notario declarare se testamentum ab alio scriptum legisse.

4.ª Qui nec scribere, nec legere potest, aut non valet, testari non potest, nisi per testamentum publicum; cujus redactio ad notarium pertinet. Mutus, qui scribere nesciat, nullo modo testari potest.

451. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum validæ sint in foro conscientiæ dispositiones testamentariæ, quæ careant aliqua e formalitatibus a lege civili requisitis?

Resp. Quæstio movetur de actu, quo quis vere intenderit de suis bonis disponere; non de *promemoria*, vel de *minuta* testamenti faciendi. Insuper præscinditur a casu, quo inter testatorem et heredem pactum antea intercesserit, quo hic sese ex justitia obligaverat ad exsequendam dispositionem informem.

Casus essent: *a*) Titius de suis bonis in favorem Caji disposuit testamento holographo; quod integrum quidem scripsit, at datam non apposuit: quæritur utrum, defuncto Titio, bona ejusdem sint Caji, an vero eorum, qui Titio ab intestato succederent? — *b*) Titius dispositioni in favorem Caji rite conscriptæ, post datam et sui nominis subscriptionem codicillum adjecit, quo determinatam summam legabat Sempronio; at huic additioni nominis subscriptionem non apposuit: quæritur utrum Cajus teneatur eam summam tradere Sempronio? — Itaque:

Cum nemo theologorum neget publicæ auctoritati jus apponendi actui juridico in materia sibi obnoxia formalitates essentiales, quibus nempe deficientibus actus ille sit nullus objective et in ipso foro conscientiæ, quæstio proposita ad hanc reducitur: Quænam sit intentio legis in his formalitatibus exigendis? — Porro:

1.° Juxta plures theologos, lex intendit illis formalitatibus alligare ipsam actus, seu testamenti, validitatem objectivam, et proinde quoad ipsum forum conscientiæ.

2.° Juxta alios, illæ dispositiones validæ sunt ex jure naturæ: quare ceu validæ habendæ sunt, nedum a testatario testamentario, sed et ab iis, quorum interesset eas esse invalidas [26]; intentio autem legis hæc tantum est, ut illis dispositionibus deneget adsistentiam fori externi.

3.° Demum juxta alios, lex intendit testamento illis formalitatibus destituto suam objectivam validitatem permittere, quin eidem tribuat firmitatem juris civilis. Hæc, præterquam ceterorum Codicum modernorum, videtur esse intentio Codicis nostri; qui decernit prædictas for-

26) S. Ligorius *III. Num. 927;* Gury *817, Casus 857;* Scav. *329 Qu. 5.*

malitates requiri *sub pœna nullitatis*: hoc autem supponit ea testamenta ante judicis sententiam habenda esse ceu valida 27. Neque obstat, quod in definitione testamenti ponatur dispositionem testatoris faciendam esse *juxta regulas a lege statutas*: hæ enim regulæ respiciunt ipsius dispositionis materiam ac testatoris et testatarii capacitatem. Hinc ille, cui ea dispositio informis favet, si jam adivit hereditatem, eam sibi potest retinere; qui vero defuncto intestato succederet, potest illius testamenti rescissionem juridice invocare; sententiæ autem judicis stare debet etiam testatarius in ipso foro conscientiæ. Hæc modo est sententia inter theologos nostrates communior 28; attamen ea non excedit limites summæ probabilitatis. — Hinc ad casus propositos:

a) Juxtam priorem sententiam, bona Titii defuncti sunt eorum, qui Titio intestato succederent, ut plurimum consanguinei; neque ullo titulo potest ea sibi vindicare vel tenere Cajus. — *b*) Juxta sententiam secundam, ea bona sunt Caji; qui jure ea potest sibi vindicare ac tenere; neque Titii consanguinei possunt licite testamentum Titii impugnare; quod si impugnent, sententiam quidem favorabilem referent, at ea bona sibi juridice vindicata tenere non possunt; imo erga Cajum in foro conscientiæ tenentur etiam de damnis ex actione judiciaria ipsi provenientibus. — *c*) Juxta sententiam tertiam, Cajus potest ea bona sibi retinere, si jam possidet; quousque Titii consanguinei, testamentum juridice impugnantes, eas sibi vindicabunt. Quod si ea possideant consanguinei, hi quoque ea sibi possunt retinere: si vero non possideant, licite possunt tetamentum impugnare, eaque sibi juridice vindicare, ac dein tutâ conscientia tenere.

Item circa casum legati: *a*) Juxta priorem sententiam, Cajus eam summam non tenetur solvere Sempronio; qui, si forte eam aliquo titulo possideat, eam tenetur Cajo restituere. — *b*) Juxta secundam, Cajus tenetur eam summam Sempronio solvere; ergo et hic potest eam jam possessam vel acceptam retinere. — *c*) Juxta tertiam, Cajus eam solvere non tenetur, quousque eam juridice petat Sempronius: quod si Sempronius jam eamdem possideat, iste eam sibi potest retinere, at Cajo repetenti et sententiam judicis sibi propitiam referenti eam tenebitur in conscientia restituere.

Patet sententiam tertiam practice reincidere in sententiam practicam apud veteres communiorem; quod, nempe, propter probabilitatem, tum primæ, tum secundæ sententiæ favendum sit possessori.

Qu. 2. Utrum, data veritate sententiæ tertiæ, testatarius habens penes se testamentum possit occulte vitium formæ emendare?

27) C. c. *art. 804;* confirmatur indirecte ex *art. 1311.* Cf. et BOTTO *Del valore delle leggi di successione.* — Ex interpretatione jurisperitorum dubia movet OJETTI ad v. *Testamentum.*

28) Cf. GENNARI *Quest. mor. Num. 192;* BALL. *38-44;* BER. *2726-2741.* Conveniunt theologi exteri: LEHMK. *1146-1148;* GEN. *674;* NOLDIN *561;* TANQU. *697;* ARREGUI *379.*

Resp. Negative. Esset enim fraus, seu medium injustum, quod defuncti consanguineos impediret a justa sententia judicis impetranda. Ceterum minime tenetur eos de vitio testamenti monere.

Qu. 3. Utrum eadem sententia tertia applicari quoque valeat dispositionibus in favorem Ecclesiæ aut alicujus causæ piæ ?

Resp. Ex sententia ferme omnium theologorum et canonistarum, *negative;* cum dispositiones ad causas pias subsint exclusive legibus Ecclesiæ, Ecclesia vero hujusmodi dispositiones validas habeat quotiescumque de voluntate testatoris certo constat. Quare, si dispositio facta sit per scriptum quodcumque aut etiam per verba, in conscientia valet: eâdem ratione, qua valet dispositio in favorem causæ piæ civiliter incapacis.

Hæc erat sententia ferme communis theologorum et canonistarum; a qua recedebant Carriere et D'Annibale. Ea modo firmari videtur Jure novissimo; quod, postquam docuerit: « Ecclesia nativum jus habet libere et independenter a civili potestate acquirendi bona temporalia »; statuit: « In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiæ serventur, si fieri possit, solemnitates juris civilis: hæ si omissæ fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant » 29. Ceterum monitio respicit tantum ultimas voluntates, quæ sint *in bonum Ecclesiæ*: insuper « facile admittuntur heredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa » 30.

Practice videndum, num monitio profutura sit, an obfutura, juxta normas alibi tradendas; eo magis quod haud rarus erit casus bonæ fidei.

ART. IV. — De requisitis ex parte materiæ

452. Id, quod lex naturalis postulat, ut homo vitâ decedens ex bonis necessario abdicandis, si non omnia, partem aliquam notabilem personis sibi conjunctis attribuat, id lex quoque positiva decernit, simul etiam quantitatem horum bonorum determinans juxta diversam testatoris cum personis sibi conjunctis relationem: hæc bonorum pars hisce personis assignanda *portio legitima* dicitur, vel brevius *legitima;* reliqua, de qua testator libere disponere potest, *disponibilis* 31. Sub hoc respectu, qui necessario a testatore pro determinata bonorum quantitate instituendi sunt heredes, dicuntur heredes *necessarii* vel *legitimarii;* illi, quos testator arbitrio suos heredes vel legatorios instituit, dicuntur *voluntarii.* — Generatim heredes necessarii sunt testatoris descendentes et ascendendes, et quadantenus conjux.

29) Codex *Can. 1495 § 1, 1513 § 2.* — Cf. Ferreres *Num. 962, Qu. 3*: simul vero Noldin *561, 3.*

30) S. Pœnit. die 10 jan. a. 1901. — Cf. S. Ligorium *III. Num. 923;* Ball. *703-707;* Tanqu. *698, sequ.;* Gennari *Consult. canon. CVI; Monit. eccles.* XIII. 363-373, XX. 327.

31) De qua re sub respectu sociali tractat Tanquerey *Num. 719-725.*

453. **Principia. I.** Testator, qui descendentes habet, dimidiam suorum bonorum partem iisdem relinquere debet æque inter filios absque ullo sexus discrimine dividendam : nomine autem filiorum veniunt legitimi, legitimati, adoptivi eorumque descendentes ; verum hi computantur, prout filium immediatum testatoris repræsentant.

II. Testator, qui descendentes non habeat, habeat vero ascendentes, hisce relinquere debet tertiam suorum bonorum partem, inter patrem et matrem æque dividendam, vel in defectu unius alteri assignandam, in defectu autem utriusque æque dividendam inter ascendentes utriusque lineæ æque distantes a testatore, vel totam propinquioribus tribuendam, si non æque distant [32].

III. Testator, qui sit conjugi ligatus, huic relinquere debet usumfructum portionis minoris vel majoris, prout testator habet aut descendentes, aut ascendentes tantum, aut nec descendentes nec ascendentes ; onus hujus ususfructus imponendum est parti disponibili.

IV. Testator, qui ne unum quidem habeat heredem necessarium, libere potest de integra sua substantia pro lubito disponere ; qui aliquem vel aliquos habeat, pro lubito disponere potest de ea parte, quam lex eisdem non reservat. Si dispositionibus apposuerit conditiones impossibiles aut turpes, hæ habendæ sunt ut non appositæ.

454. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum peccent contra justitiam parentes, qui, uni filio præ aliis faventes, istorum legitimam lædant ?

Resp. 1.° Peccant contra justitiam legalem, at *per se* non graviter. Item peccant contra caritatem et pietatem, et *per se* graviter, si hoc faciant ex odio in filium, aut si filio non sufficienter provideant ad convenientem sustentationem.

2.° Utrum vero peccent contra justitiam commutativam, inter theologos *controvertitur*. — *a*) Plures affirmant ; eo quod, cum lex civilis sit determinativa juris illius, quod lex naturalis filiis tribuit succedendi in bona paterna, ideo in conscientia obligat, et quidem ex justitia [33]. — *b*) Alii vero negant ; eo quod lex civilis hoc tantum intendit, quod statui futuro filiorum a parentibus sufficienter provideatur, determinationem vero quantitatis apponit ad fraudes impediendas : quare, si hæ non

32) C. c. *art. 805, 806, 807.*
33) Gousset *Num. 794;* Noldin *562, 3.*

interveniant, parentes contra justitiam commutativam non peccant, quoties non peccant contra pietatem [34]. Addunt adesse posse causas justas, quibus parentes quandoque valeant uni filio præ ceteris favere, etiam ultra portionem disponibilem; puta, si intendant filium remunerare, qui suo ingenio et sagacitate et industria plurimum rem familiarem auxerat præ alio inerte ac dissipatore; si sperent, quod filius ceteris prælatus utilitatem familiæ et ipsius quoque filii prodigi, dissipatoris aut inepti, efficacius procurabit; etc. Hinc deducunt filium hunc in detrimentum ceterorum prælatum non facile obligandum esse ad restitutionem; cum præsumi possit id patrem fecisse ex justa causa, Ceterum filiis, qui sibi præjudicium allatum fuisse putant, licitum est reductionem donationum aut ipsius testamenti invocare: sententiæ autem judicis standum est in ipso foro conscientiæ.

Facilius peccare possunt contra justitiam per donationes inofficiosas, seu legitimæ filiorum læsivas, quæ fiant extraneis [35]. At ejusmodi non sunt, sive quæ intra limites convenientiæ fiant titulo remunerationis, sive quæ fiant ex rèditibus capitalium, qui patrimonium proprie dictum et filiis conservandum non constituunt. Demum ex ipsis capitalibus et bonis immobilibus donare possunt, ista capitalia vel immobilia ex parte disponibili detrahentes; præsertim, si ad causas pias id facere velint.

Qu. 2. Utrum testator teneatur sua bona, vel partem eorumdem relinquere consanguineis lateralibus: præsertim, si heredes necessarios non habeat?

Resp. a) Certe ad nihil erga ipsos tenetur ex virtute justitiæ, aut ex lege positiva. — *b*) Ex virtute pietatis tenetur aliquam bonorum partem relinquere consanguineis propinquioribus indigentibus; quin imo, si in necessitate vere gravi versentur, tenetur *sub gravi* eosdem præferre, nedum pauperibus communibus, sed etiam causis piis: quod speciali ratione curandum est, si testator sit sacerdos aut spectatissimæ pietatis laicus, ne ansa præbeatur querimoniis et obtrectationibus in cœtum ecclesiasticum. — *c*) Si agatur de consanguineis remotioribus, non tenetur, nisi ex generali virtute caritatis; quæ obligatio pro diversis adjunctis plures pati potest exceptiones.

Qu. 3. Utrum jura hereditaria, filiis legitimis a jure civili sancita, competant filiis ex Matrimonio religioso genitis, an genitis ex matrimonio civili?

Resp. Eo quod vera alicujus viri uxor est ea, quæ ipsi conjuncta est per Matrimonium verum et legitimum, ideo illi tantum sunt hujus viri filii legitimi, qui nati sunt ex Matrimonio religioso; ideo hisce tantum competunt ea jura, quæ lex civilis filiis legitimis tribuit. Nec dicas in sensu legis esse legitimos filios natos ex matrimonio civili. Nam lex

34) Ferreres *Num. 978;* Gen. *677, 3;* Alberti *190, 4;* Zanin. *1118.*

35) Quidam excipiunt donationes, quæ fiant causis piis. — Cf. S. Licorium *Num. 740;* at simul Ferr. *979;* Gen. *677.*

civilis utique competens est, ubi definit quænam sint legitimorum filiorum jura; ubi vero definire vult quinam sint filii legitimi, prorsus incompetens est. Ita cum recentibus doctissimis viris tenendum esse censemus 36.

Verum nonnihil alii dissentiunt. Concedunt quidem nullum jus hereditarium vi matrimonii civilis competere filiis ex eo matrimonio ortis: at simul censent filiis vere legitimis non alia jura super bona paterna competere, quam quæ filiis tribuuntur a jure naturæ, non quæ eis tribuuntur vel determinantur a jure civili, quod illis nullatenus prospicere intendit 37.

Juxta priorem sententiam ita resolvendi essent casus sequentes:

1.° Peccat pater, qui ex utroque matrimonio filios habens, filiis genitis ex Matrimonio religioso portionem legitimam non relinquit: excepto casu, quo justæ habeantur causæ, de quibus dictum est: tamen nil vetat, quominus partem disponibilem aliis relinquat.

2.° Ipsi filii ex civili matrimonio geniti, ipsaque eorum mater, si integram hereditatem accipiant, vel tantam ejus partem quæ legitima priorum jura lædat, istis restituere debent usque ad limites legitimæ. Juxta alteram opinionem, deberent eis restituere eam partem, quam ipsis assignare debuisset pater ex virtute pietatis.

3.° Si defunctus obierit intestatus, ac uxorem solo vinculo religioso sibi conjunctam ex eaque genitos filios reliquerit, consanguineis ascendentibus, vel, in eorum defectu, collateralibus non licet hereditatem sibi a lege adscriptam adire: adsunt enim heredes necessarii; nempe filii legitimi et vera uxor vidua.

4.° Si defunctus obierit intestatus, reliquens feminam sibi civiliter copulatam et ex ea genitos filios, ejus hereditas, si excipias alimenta filiis naturalibus, imo et spuriis, debita, devolvitur ad ascendentes et in eorum defectu ad consanguineos collaterales: quod si prædicti filii eam sibi totam arripuerint, iisdem ascendentibus et collateralibus licebit sibi bona clam occupare, vel uti occulta compensatione.

455. *Circa Princ. IV. — Qu. 1.* Quid de testamento, quo conjux conjugem heredem vel legatarium instituit, sub conditione quod ad alias nuptias non transeat?

Resp. Conditio ista habetur tamquam licita. Quoniam vero ea resolutiva est, et in non faciendo consistit, conjugi superstiti licebit hereditatem adire vel legatum accipere, præstita interim cautione, quod bona accepta consanguineis testatoris vel aliis heredibus restituet, si conditionem non impleverit 38.

36) Gennari *Cons. mor. XXIII, XXIV, CX.*

37) Cf. Berardi *Num. 2762-2768;* Genn. *Cons. XXIII. 5;* D'Ann. *342, 22.*

38) C. c. *art. 850, 855.* Ceterum conditio impediens primas vel ulteriores nuptias habetur generatim ut illicita, et proinde ut non apposita: excipiendus casus, quo imponatur pensio vel usufructus durante cœlibatu vel viduitate præstandus. — Cf. D'Ann. *Num. 348, 3, 4.*

Poteritne bona sibi relicta exigere aut tenere, si matrimonium religiosum contraxerit, omisso actu civili? — Quæstio solvenda est ex intentione testatoris; qui si nihil expresserit, et aliunde satis christiane vixerat, aut saltem præcedens matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerat, præsumendus est nomine matrimonii intellexisse matrimonium verum, seu religiosum.

Poteritne pensionem exigere a gubernio, a municipio, a societate cui adscriptus erat maritus? — A gubernio, a municipio, a societate socialistica vel athea, *affirmative;* a societate catholica, *negative*. Sententiæ curiarum civilium nutant, et necessario: carent enim basi.

Qu. 2. Quid de dispositione facta in favorem alicujus personæ, sub conditione quod testatoris corpus cremari faciat?

Resp. Ea conditio certe turpis est, ac proinde habenda est, ut non apposita 39. Consequenter testatarius poterit bona testatoris accipere ac tenere, non servata conditione. Quod si ipse testatarius sit simul exsecutor testamentarius, conjuncti autem testatoris exigant aut conditionem impleri, aut testatoris bona sibi devolvi, etiam in eo casu licita non videtur ea cooperatio formalis participans, qualis ab exsecutore testamentario præstanda esset.

Qu. 3. Utrum legatum relictum puellis nubentibus dari possit illis, quæ matrimonium mere civile iniverint?

Resp. Evidenter *negative*. Quod si testamentum conscriptum fuerit antequam lex de matrimonio civili vigeret, legatum denegandum est etiam in ipso foro laicali: nam testamenta interpretanda sunt juxta legem illius temporis, quo condita fuerunt.

ART. V. — De substitutionibus

456. *Substitutio* in genere est « dispositio, qua testator, præter personam immediate vocatam ad hereditatem vel legatum, aliam designat, quæ in locum prioris, vel post ipsam, bona testatoris accipiat ». Substitutio dicitur *directa* seu *vulgaris* ea, qua testator nominat secundum heredem vel legatarium pro casu, quo prior acceptare non possit, aut nolit. Dicitur *indirecta* ea, qua testator heredem vel legatarium instituit Titium, simul ipsi imponens ut hereditatem vel legatum, aut ejus partem, conservet, eamque, sive tempore determinato, sive pro tempore suam mortem subsequente transferat in personam vel personas a testatore designatas: si hanc obligationem ei imponit in testamento, dicitur *substitutio fideicommissaria;* si extra testamentum, *substitutio fiduciaria*. Substitutio directa ab ipso Jure civili admittitur. E contra prohibetur substitutio fideicommissaria; quin tamen inde infirmetur institutio heredis aut legatarii, cui ipsa adjecta fuit. Dispositio autem, qua ususfructus aut quælibet præstatio annua relinquatur pluribus personis successive, vim habet dumtaxat pro iis, quæ primo vocantur; quod si ea præstatio

39) Codex *Can. 1203* § 2. — Id valet etiam pro quolibet alio actu.

annua præscripta fuerit in opus aliquod publicæ utilitatis, vim potest habere etiam in perpetuum 40. Nullatenus vero in Jure civili recognoscitur substitutio fiduciaria.

457. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum substitutiones fideicommissariæ et fiduciariæ vim habeant in foro conscientiæ ?

Resp. 1.° Si earum obligationem testatarius acceptaverat ab ipso testatore vivente, ac sub ea conditione institutus fuerat heres vel legatarius, *affirmative*.

2.° Si eas substitutiones testatarius novit ex ipso testamento (*fideicommissum*), aut ex declaratione orali testatoris, vel ex charta privata vim dispositionis testamentariæ non habente, vel ex aliorum certa testificatione, illæ dispositiones reapse sunt dispositiones ultimæ voluntatis informes : ergo, si illæ sunt ad causas pias, certe obligant in conscientia ; si sunt ad causas profanas, controvertitur, ut vidimus agentes de testamento informi.

Ceterum et hoc advertimus : Si ea dispositio fiduciaria scripta sit et habeat omnes conditiones requisitas ad testamentum holographum, est verum testamentum formatum ; neque cessat habere vim veri testamenti ex eo, quod publicari non debeat : publicatio enim testamenti non est solemnitas præscripta ad ejusdem validitatem.

Qu. 2. Quid agendum confessario cum pœnitente, qui sub aliquo pretextu recuset solvere legata civiliter non admissa ?

Resp. 1.° Si agatur de legato profano, ipsum adhortari potest ad legatum solvendum : imo et debet *per se*, si advertat testatorem per illud legatum satisfacere voluisse alicui obligationi conscientiæ ; at facile renuenti negare haud poterit sacramentalem absolutionem.

2.° Si agatur de legato pio, heres ipsum solvere debet et quidem integrum ; quod si renuat, *per se* ei deneganda esset absolutio. Tamen in præsenti sensus religiosi perversione haud rarus casus est, quo pœnitens censeat se ad illud solvendum non teneri, et aliquando se posse etiam circa legatum recognitum impetrare reductionem ab auctoritate civili. Hinc, si confessarius videat ejusmodi pœnitentem in bona fide versari, nec facile ab ea revocatum iri, quandoque obligationem dissimulare poterit ac tacere 41. Generatim et *per se*, si forte legata videantur esse immoderata, recurrendum est ad S. Pœnitentiariam, cujus auctoritate « facile admittuntur heredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa, cui legatum est » 42.

ART. VI. — De interpretandis dispositionibus testamentariis

458. Norma principalis hæc est, ut verba accipiantur juxta com-

40) C. c. *art. 899-902.* — Cf. D'Ann. *Num. 350-353;* Zanin. *1140.*
41) Gousset I. *Num. 793;* Frass. I. *Nota 82;* Tanqu. II. *700 d.*
42) S. Pœnit. 10 jan. a. 1901, apud *Monit. eccl.* XIII. 349. Codex *Can. 258 § 1.*

munem eorum acceptionem tempore et loco, quibus dispositio scripta fuit. Ubi ex hac norma sensus dispositionis non pateat, attendenda est ipsius testatoris voluntas verisimilior, præ oculis habendo habituales ejusdem intentiones juxta testificationes personarum, quæ eidem familiares erant. Si ne inde quidem sensus certus erui possit, aliqua ratione determinandus erit judicio prudentum, aut tandem sententia judicis: quod si dispositio sit in causas pias, judex legitimus est Ordinarius.

Circa interpretandas dispositiones obscuras in causis profanis, conferatur jurisperiti [43]: quædam inquiremus circa interpretationem in causis piis.

459. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quomodo intelligenda sit dispositio in favorem animæ propriæ?

Resp. Certe substantia sub ea forma relicta expendi potest in celebrationem Missarum et Officiorum exsequialium; imo ex sensu hujus expressionis communi ita faciendum esse videretur, saltem magna ex parte [44]. At, si testator nihil amplius determinaverit, *per se* ea substantia erogari etiam potest ex parte in pauperes ordinarios, aut in favorem alicujus indigentis particularis, aut cujuscumque causæ piæ, sive cultus, sive beneficentiæ [45].

Qu. 2. Si agatur de capitali relicto in favorem animæ propriæ, poterit adhiberi ad dotandum opus beneficentiæ perpetuum?

Resp. Juxta modo dicta, *affirmative*: dummodo agatur de opere pio, quod, tamquam tale, subsit auctoritati Ordinarii. At ejusmodi hodie non viderentur esse hospitia pro infirmis aut pauperibus, quæ subduntur exclusive statui vel provinciæ aut municipio; imo, saltem communiter, neque ea, quæ dicuntur *asyla infantilia*, etsi inter eorum præsides vel administratores parochus vel alius sacerdos habeatur. Ceterum, etiamsi *per se* id liceret, imprudentissime hodie summa notabilis pecuniæ in hujusmodi opera impenderetur: nec omittendum quod exsecutores piarum voluntatum sunt Ordinarii.

Qu. 3. Utrum legatum relictum puellis nubentibus dari possit illis, quæ monasterium ingrediuntur?

Resp. Si legatum relictum fuit puellæ determinatæ, *affirmative;* largitio enim testatoris facta fuit in favorem personæ. Si relictum fuit pro puellis nubentibus in genere, *controvertitur*. Opinio communior negat: licet enim professio religiosa melior sit, quam Matrimonium, tamen hoc quoque bonum est; nec tenebatur testator prospicere illis, quæ statum

43) Cf. ALBERTI *Num. 207*. Generatim D'ANN. II. *331-333 359*.

44) Forte apud nos hoc sensu exclusivo a testatoribus accipitur dispositio summæ « *in tanto bene per l'anima mia* ». At dispositio in foro civili nulla est, nisi designetur ecclesia celebrationis aut sacerdos celebraturus.

45) Confirmatur ex S. C. Conc. 17 dec. 1887, apud *Monit. eccles.* V. P. I. 245.

meliorem amplecterentur. Tamen contrariam sententiam reprobare non audet S. Alphonsus 46.

Qu. 4. Utrum subsidia dotalia relicta pro puellis, quæ religionem profiteri intendunt, assignari possint puellis, quæ in Institutis recentibus vota simplicia emittunt ?

Resp. Affirmative; dummodo agatur de Instituto approbato a S. Sede, et in eo vota perpetua emittantur 47. Excipitur casus, quo fundator expresse legatum reliquerit pro monialibus emittentibus vota solemnia.

Qu. 5. Utrum aliquando commutari possint testatorum dispositiones ?

Resp. Generatim loquendo, voluntates postremæ testatorum sanctæ habendæ sunt. Hinc: *a*) Si quando eas liceat commutare, id licebit in iis casibus exceptionalibus, in quibus testatores ipsi præsumerentur iis commutationibus consentire; aut non rationabiliter dissentire. — *b*) Hujusmodi facultas competere tantum potest supremæ auctoritati sociali, et quidem in materia sibi obnoxia.

Qu. 6. Quibus competat facultas reducendi, moderandi, commutandi, dispositiones testamentarias ?

Resp. 1.° Si agatur de dispositionibus ad causas pias, apud omnes theologos certum est eam competere Romano Pontifici, dummodo justa ac necessaria causa habeatur 48. Ratio est, quia ipse constitutus est a Christo supremus omnium piarum causarum administrator. Quare liberum cuique erit piam causam instituere, vel non; at, quando causa constituta est, jam suâ naturâ subest Ecclesiæ, sicut cetera omnia media, quæ ad animarum salutem referuntur 49. Neque obesse potest clausula contraria ab ipso testatore apposita; sive, quia ipse infirmare aut restringere nequit R. Pontificis auctoritatem; sive quia verificari possunt casus, in quibus ipse nollet restrictionem a se positam applicari.

2.° Si agatur de dispositionibus ad causas profanas, communiter admittunt theologi eam facultatem competere posse supremæ auctoritati civili; dummodo casus ejusmodi contingant, quo testator ipse consentiret suam dispositionem in aliam mutari, et dispositio in aliam evidenter meliorem mutetur. Quapropter pleræque mutationes in Italia inductæ per legem 17 julii anno 1890 invalidæ sunt; sive, quia factæ sunt in causis piis; sive, quia factæ sunt contra certam et rationabilem voluntatem testatorum. Proinde ubi possibile est eas eludere, eludendæ sunt in conscientia.

46) S. Ligorius *Lib. III. Num. 930.* — Cf. et Ball. *Num. 755, 827-831.*

47) Pius IX 12 nov. 1847. — Cf. D'Ann. *359, 51.* — Relicta virginibus dotandis videntur competere et corruptis, quæ publice honestæ habeantur. D'Ann. *Nota 52.*

48) Codex *Can. 1517 § 1.*

49) S. Ligorius *Lib. III. Num. 931;* Ball. *758;* Wernz *Jus Decret. III. 283.*

Qu. 7. Utrum Episcopi reducere aut commutare possint ultimas voluntates circa causas pias ?

Resp. Res olim inter theologos et canonistas discussa, hodie liquida ex Jure novissimo. Itaque : *a*) Ordinarii id possunt, si fundator hanc potestatem Ordinario loci expresse concesserit. — *b*) Si exsecutio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, tunc Ordinarius, auditis iis quorum interest et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera æque imminuere ; excepta Missarum reductione, quæ semper Sedi Apostolicæ unice competit 50.

Insuper « Ordinarii omnium piarum voluntatum, tam mortis causa, quam inter vivos, exsecutores sunt... Clausulæ huic Ordinariorum juri contrariæ, ultimis voluntatibus adjectæ, tamquam non appositæ habeantur » 51.

Ceterum reductio, moderatio, commutatio ultimarum voluntatum Sedi Apostolicæ reservantur.

ART. VIII. — De successione legali

460. Successio *legalis* seu *legitima* est ea, qua a lege ipsa designantur heredes personæ defunctæ, quando ex toto vel ex parte desit dispositio testamentaria : hæc autem deest, cum aut testamentum conditum non fuit, aut est invalidum, aut caducum, ex toto vel ex parte ; puta, quia testator post conditum testamentum filios habuit, aut testatarius præmortuus est testatori, vel hereditati aut legato renuntiavit, etc. Sub hoc respectu, illi, qui in bona defuncti succedunt vi legis, dicuntur heredes *legitimi* in oppositione ad *testamentarios*.

461. Heredes vi legis hoc ordine vocantur in substantiam defuncti 52 : 1. *Filii* legitimi aut legitimati, vel adoptivi, eorumve descendentes, prout filium defuncti repræsentant. — 2. In defectu descendentium vocantur *ascendentes ;* et quidem in totam substantiam, si soli sint ; in partem, si concurrant cum filiis illegitimis, vel cum conjuge, vel cum illis et isto, vel cum collateralibus. — 3. *Collaterales* in totam, si soli sunt ; in partem, si collaterales consanguinei vel uterini concurrant cum germanis, vel cum ascendentibus, vel cum conjuge, vel cum illis et isto. — 4. *Filii naturales* in totam, si sunt soli ; in partem, si concurrant cum legitimis, vel cum conjuge, cum ascendentibus, etc. — 5. Conjux, si solus in totam ; si cum aliis in partem. — 6. In defectu prædictarum personarum succedit *fiscus* 53.

Non censemus huic formæ successionis diutius immorandum esse : cum plerumque ad forum magis externum, quam internum pertineat. Si

50) Codex *Can. 1517* § *2*. Cf. D'Ann. II. *Num. 365 ;* Noldin *556*.
51) Codex *Can. 1515* § *1, 3*. — Cf. Noldin *loc. cit.*
52) C. c. *art. 721, seqq.* — Cf. Alberti *Num. 212*.
53) C. c. *art. 736-758*.

casus in tribunali Pœnitentiæ occurrant, confessarii attendant ad ea, quæ mox advertemus.

462. **Scholion.** — *De reliquis.* — Plura adhuc capita sunt, quæ passim a theologis in materia successionis hereditariæ plus minus fuse proponuntur aut discutiuntur. Ejusmodi sunt: *De aperitione successionis; de acceptatione, aut repudiatione hereditatis; de præscriptione juris acceptandi hereditatem vel legatum; de collatione et reductione dispositionum; de caducitate et ruptione testamenti; de jure accrescendi; de hereditate jacente;* etc. — Ab his omnibus abstinendum esse duximus, non tam amore brevitatis, quam ex eo, quod ejusmodi capita ut plurimum ad forum laicale pertinent, et quoad ipsos sacerdotes rarissime proponuntur tamquam *ex abrupto* in ipso tribunali Pœnitentiæ perpendenda et resolvenda. Quare, si quando proponantur, confessariis satis erit quod *sciant se nescire;* ac proinde ad eorum prudentiam pertinebit rem maturiori consilio subjicere, ac solutionem quæstionis interim differre, vel pœnitentem ad jurisperitum vel doctiorem confessarium remittere: neque in hoc arguentur ignorantiæ.

CAPUT IV.

DE COMMODATO

463. *Commodatum* definitur « contractus, quo quis gratuito rem suam alteri tradit, ut hic eam ad tempus aut usum determinatum adhibeat cum obligatione rem eamdem restituendi » [1]. Necesse est quod rem tradat gratuito; si enim rem tradens pro ipsius usu exigeret pecuniam, haberetur *locatio*; si quid aliud, *contractus innominatus.* Commodatum differt a mutuo et a permutatione in hoc, quod res commodata manet in dominio commodantis, eaque ipsa erit post tempus aut usum restituenda. Objectum commodati possunt esse res quælibet, præsertim mobiles, quæ primo usu non consumantur. — Patet commodatum esse contractum gratuitum, at simul bilateralem; cum ipsi commodatario, in cujus gratiam fit, imponat saltem obligationem rem commodatam restituendi.

464. **Principia.** **I.** Quisque ex præcepto caritatis tenetur alteri rem tradere commodatam, quoties ipse rem illam habet eâque ad tempus sese privare potest absque incommodo gravi, alter vero ejusdem rei usu indiget eamque post tempus vel usum restituere valet. Exsistentia et gravitas hujus obligationis in singulis casibus definienda erit juxta regulas alibi traditas de præcepto eleemosynæ

II. Ex impleto officio caritatis oriuntur obligationes ex ju-

1) C. c. *art. 1805-1818.*

stitia, inhærentes ipsi naturæ commodati; quarum aliae spectant ad commodatarium, aliæ ad commodantem.

III. « Res sacræ ne commodentur ad usum, qui earumdem naturæ repugnet » [2].

465. **Applicationes.** *Princ. II. — Obligationes commodatarii*: *a*) Rem acceptam custodire et conservare ipse debet tamquam bonus paterfamilias; hinc et solvere expensas ordinarias ad ejus conservationem necessarias: eamdem vero adhibere potest tantummodo ad usum naturâ suâ vel conventione determinatum, vel pro tempore determinato. — *b*) Si res deterior fiat vel pereat propter usum diversum a concesso, vel propter diuturniorem detentionem, tenetur pretium rei, aut æquivalentem commodanti restituere; minime vero, si propter usum vel tempus in ipso contractu implicite concessum. — *c*) Si res commodata pereat aut deterior fiat ex culpa theologica commodatarii, hic erga commodantem tenetur de ea, ac insuper de aliis damnis, quæ ipsi inde proveniant, et fuerint aliquo modo prævisa. Si pereat ex sola culpa juridica, tenetur certe post sententiam judicis; imo tenetur et antea, si ad hoc sese obligaverat, sive expresse, sive tacite; at adverte facilius hanc obligationem subintelligi in hoc contractu, qui totus cedit in utilitatem commodatarii (qui proinde tenetur ad majorem diligentiam adhibendam), quam si ageretur de re penes se deposita. — *d*) Rem reddere debet commodanti post usum vel tempus in ipso contractu expresse vel tacite determinatum.

Obligationes commodantis præcipuæ hæ sunt: *a*) Rem traditam repetere non potest ante tempus vel ante perfectum usum, pro quo eam commmodaverat: excipiendus tamen casus, quo propter imprævisam urgentem necessitatem eâdem egeat, sibique mox restitui per sententiam judicis obtinuerit. — *b*) Refundere debet commodatario expensas extraordinarias, quæ necessariæ fuerint, et quidem urgenter, ad rem commodatam conservandam. — *c*) Insuper, saltem ex caritate, præmonere debet commodatarium de illis rei commodatæ defectibus, qui ipsi damnum afferre possent: si damna de facto sequantur, tunc ad ea reparanda tenetur, cum ad monendum tenebatur ex justitia hoc autem omisit culpabiliter.

466. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II — Qu. 1.* Utrum commodatarius in satisfactionem crediti sui retinere possit rem sibi a debitore commodatam?

Resp. Hæc rei alienæ detentio justa et licita erit, si habeantur conditiones ad liceitatem occultæ compensationis requisitæ. Quamvis vero hanc formam compensationis non admittat Codex noster, tamen ea non obstat obedientiæ legibus debitæ, quando petitio judicialis incommoda relative gravia allatura esset.

2) Codex *Can. 1537.* — Ita vasa sacra ad potandum in convivio, etc.

Qu. 2. Utrum commodatarius in casu periculi rei suæ et rei commodatæ teneatur hanc potius salvare quam illam?

Resp. Commodatarius tentur rem commodatam custodire et conservare tamquam bonus paterfamilias; ergo eâdem curâ, qua prudens homo res suas custodiret. Porro iste quoad res suas præferret res pretiosiores rebus minus pretiosis: ergo, si res commodata pretiosior sit re sua, eam debet præferre: secus, præferre potest suam; nisi expresse vel tacite etiam pro isto casu sese ad eam præferendam obligasset. Quod si utraque res æque pretiosa sit, æquitas naturalis postulare videtur, ut rem commodatam præferat suæ, eo quod contractus totus est in ejus utilitatem 3. Verum haud improbabiliter alii aliter sentiunt; eo quod caritas suggerit prius cavendum esse sibi et rebus suis, quam aliis et rebus alienis 4.

Codex noster statuit universim commodatarium teneri de damno erga commodantem; hoc vero propter præsumptionem fraudis aut negligentiæ in re aliena custodienda: at in hypothesi, quod res sua pretiosior fuerit aliena, commodatarius, culpæ theologicæ expers, tenebitur tantum post sententiam judicis

Qu. 3. Utrum commodans propter imprævisam et urgentem necessitatem exigere possit a commodatario, ut res commodata ante tempus designatum sibi restituatur?

Resp. Si restitutio anticipata nullum vel leve detrimentum sit allatura commodatario, *affirmative*. Si huic allatura sit detrimentum plus minus æque grave ac illud, quod secus pateretur ipse commodans, certe hic restitutionem exigere potest judicialiter. Utrum vero exigere possit privatim, *controvertitur*. Certe durum est, quod contractus gratuitus evadere debeat adeo gravis ipsi commodanti, qui ex eo nullum refert emolumentum; at simul durum est ad subeundum grave damnum obligare commodatarium, qui circa usum rei commodatæ pro tempore determinato jure se tutum esse volebat, neque rem commodatam sub ea prævisione accepisset: generatim theologi inclinant in favorem commodatarii.

467. **Scholion.** — *De precario.* — *Precarium* in hoc differt a commodato, quod qui rem alteri dat precario cum jure utendi, eam semper repetere potest, quando voluerit. Ceterum obligationes, tum accipientis, tum dantis, affines sunt obligationibus commodatarii et commodantis; hac addita speciali pro accipiente, quod ex virtute justitiæ debet ita rem servare, ut ad petitionem alterius mox eam valeat restituere; ceterum ad minorem diligentiam in custodienda tenetur, quam commodatarius.

3) Lessius *De just. et jure Lib. II Cap. XXVII. Num. 23, seqq.*
4) Ita De Lugo *Disput. VIII. 139;* Gury *Casus 870;* Ball. *219-222.*

CAPUT V.

DE MUTUO SIMPLICI

468. *Mutuum simplex*, vel simpliciter *mutuum* dicitur « contractus, quo quis alteri rem primo usu consumptibilem gratuito tradit ea lege, ut hic aliam ejusdem speciei et qualitatis eidem tempore statuto restituat » [1]. Objectum mutui est res primo usu consumptibilis; nec ea solum, quæ primo usu consumitur physice, sed et ea, quæ licet physice maneat, tamen perit utenti; ut, ex. gr., pecunia, quæ utendo expenditur. Hinc ejusmodi res non poterit eadem numero post usum restitui; at, cum sit fungibilis per aliam, hac restituta, ea restituitur æquivalenter. Inde patet discrimen inter commodatum et mutuum; quod res mutuo data transit in dominium accipientis, dum res data commodato manet in dominio dantis. In isto contractu, qui dat dicitur *mutuans;* qui accipit *mutuatarius*: res, quæ a mutuante datur, *sors* dici solet; si sit pecunia, usu recentiorum *capitale* nuncupatur.

469. Mutuum in usu communi distinguitur duplex. Aliud est *mutuum simplex;* quo res traditur alteri ex liberalitate mutuantis erga mutuatarium ac in solam istius utilitatem, ac proinde gratis: aliud est *fenerativum*, quo mutuans, non tam alterius, quam sui, utilitatem intendens, exigit ab eo compensationem pro facultate eidem concessa possidendi et consumendi rem suam [2]. — Agimus hic de *mutuo simplici;* de *fenerativo* alibi.

470. **Principia. I.** Quisque ex præcepto caritatis tenetur alteri rem suam mutuo gratuito dare, quoties ipse rem illam habet eâque absque gravi incommodo se privare potest, alter vero eâdem possidenda et consumenda indiget ac simul aliam ejusdem speciei et qualitatis statuto tempore reddere valet, at nihil ultra. Exsistentia et gravitas hujus obligationis in singulis casibus definienda erit juxta regulas alibi traditas de præcepto elemosynæ [3].

II. Ex impleto officio caritatis oriuntur obligationes ex justitia, inhærentes ipsi naturæ mutui; quarum præcipuæ spectant ad mutuatarium.

471. **Applicationes.** *Princ. II.* — *Obligationes mutuatarii*: *a*) Tenetur suo tempore rem pro re accepta fungentem mutuanti

1) C. c. *art. 1819;* de his agit usque ad *art. 1828, 1834.*

2) Cf. D'ANNIBALE *Num. 529, 1;* PALM. ad Baller. III. 580 *Nota.*

3) At verba Christi (LUC. *VI. 35*) abs re heic afferri solent: spectant enim præceptum genericum benefaciendi proximo indigenti, ac monent melius esse mercedem sperare a Deo, quam ab homine: juxta plures, consilium continent, non præceptum. — Cf. S. THOMAM *2. 2. Qu 78 art. 1 ad 4;* BALL. *Num. 238.*

restituere : si eam habere nequeat, tenetur ejus valorem restituere computandum pro tempore et loco faciendæ restitutionis. — *b*) Si mutuata fuerint victualia, tenetur parem eorumdem quantitatem et qualitatem reddere, etsi eorum pretium auctum vel diminutum fuerit. — c) Si mutuata fuit pecunia, tenetur eam summam numericam restituere, quam accepit ; et quidem ea specie monetæ, quæ cursum habet tempore restitutionis [4] : at, si pecunia mutuata constabat nummis aureis vel argenteis, hisce facienda est restitutio, aut addenda est differentia, si ita in mutuando conventum fuerat [5]. — *d*) Demum tenetur media adhibere, quibus ad restituendum suo tempore capax fiat ; hinc negotiis aut laboribus sedulus incumbere, sumptus non necessarios minuere, etc.

472. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Quibus titulis mutuans exigere possit aliquid ultra rem mutuatæ æquivalentem ?

Resp. Illis, quibus mutuatio, præter onus eidem intrinsecum, posset evadere mutuanti onerosa extrinsece. Porro ejusmodi tituli sunt hi tres : *Damnum emergens, lucrum cessans, periculum* amittendi vel difficulter recuperandi suo tempore sortem. Ita, si quis ad pecuniam alteri credendam differre debeat solutionem debiti, quod sub usuris contraxerat ; vel pecuniam repetere debeat ab arca parsimoniali, quæ ipsi interesse solvebat : multo magis, si propter obæratam mutuatarii conditionem timeat difficilem sibi fore mutuatæ pecuniæ repetitionem ; pro quo casu poterit etiam pacisci de pœna conventionali a mutuatario solvenda, si tempore præfixo restitutionem non fecerit. Tamen necesse est quod compensatio ultra sortem moderata sit et incommodis mutuanti subeundis proportionata [6].

Qu. 2. Utrum liceat mutuanti aliquid supra sortem exigere propter obligationem assumptam non repetendi sortem usque ad certum tempus ?

Resp. Apud S. Alphonsum tres proponuntur sententiæ ; quarum secunda ac tertia affirmant, si assignatum fuerit tempus diuturnum, puta triennium. Ratio est, quia cum ea obligatione necessario connectitur incommodum aliquod extrinsecum, saltem eo quod mutuans impeditur per illud tempus ab exercendo aliquem actum caritatis aut alterius decentis operationis [7]. Porro duæ hæ sententiæ certe probabiles sunt ; incommoda autem ab iisdem, ceu tituli sufficientes, allata verificari possunt etiam tempore breviori.

4) C. c. *art. 1821*, et Lex 1 maji 1866 *art. 3.* — Cf. Scav. II. *Num. 576-578.*
5) C. c. *art. 1822.* — C. Pœnit. 22 jan. 1873.
6) S. Ligorius *Lib. III. Num. 765-770;* Gury *Num. 856-861.*
7) S. Ligorius *Num. 760*, et *Homo Apost. X., 146.* — De *Prop. 42* damnata ab Alexandro VII, cf. D'Annibale I. *189, 65,* et II. *531, 7.*

CAPUT VI.

DE DEPOSITO

473. *Depositum* est « contractus, quo quis rem alienam mobilem accipit gratuito custodiendam ac domino repetenti restituendam » [1]; qui rem tradit dicitur *deponens*, qui accipit *depositarius*. Depositum a deponente fieri potest, tum sponte, tum ex necessitate; puta ob incendium, ruinam, deprædationem, etc.; quoad modum, fieri potest etiam tacite; puta, cum vestes aliave objecta deponuntur penes hospitem publicum, apud quem quis divertit, aut penes aurigam, a quo quis alio transvehitur. Item, licet depositum sit contractus gratuitus in favorem deponentis, tamen pro rei custodia pacisci quoque potest remuneratio depositario tribuenda, vel statui potest ut hic re deposita in propriam quoque utilitatem utatur; quo in casu depositum naturam participat contractus onerosi.

474. *Obligationes depositarii*: *a*) Rem depositam custodire debet diligenter; generatim ea diligentia, qua res suas ejusdem valoris custodire solet; diligentia autem majori, si pro custodia conventum fuit de remuneratione, aut si depositum in ipsius utilitatem cedit. — *b*) Non potest ea re uti, nisi ex consensu deponentis, saltem tacito aut rationabiliter præsumpto. — *c*) Eam restituere debet ipsi deponenti, aut tempore præstituto, aut ad petitionem ejusdem: eo defuncto, restituere debet heredi vel heredibus ejusdem. — *d*) Si advertat rem esse furtivam, regulariter monere debet dominum, ut hic sibi caveat; at in dubio, præsumere debet eam esse deponentis.

475. *Obligationes deponentis*: *a*) Compensare debet depositarium, tum pro expensis ad rem conservandam ab eo exsolutis, tum pro damnis, quæ hic occasione depositi passus fuerit. — *b*) Quamvis ipsius sit depositum repetere, tamen generatim ipsum recipere debet et antea, si hoc velit depositarius.

476. **Quæstiones.** *Qu. 1.* Utrum depositarius rem depositam retinere possit titulo compensationis pro re sibi debita a deponente?

Resp. Id quidem prohibet Jus positivum 2. Tamen, qui id faciat, quando suum jus certum sit, non peccat contra justitiam commutativam; imo neque peccat contra obedientiam debitam legi, si adsint aliæ conditiones pro liceitate compensationis requisitæ.

Qu. 2. Quid, si res deposita pereat vel deterior fiat ex defectu diligentiæ depositarii in ea custodienda?

Resp. Si id contingit ex omissa diligentia, quæ pro rei valore et hujus contractus natura adhibenda erat, omissio autem fuit depositario voluntaria et culpabilis theologice, hic tenetur damna deponentis com-

1) C. c. *1835, 1837;* agit usque ad *art. 1868.*
2) C. c. *art. 1289, 2.*

pensare, tamquam damnificator injustus. Secus vero, si id contingit ex omissa diligentia pro rei valore et natura hujus contractus non debita, aut si ejus omissio culpabilis non fuit. Tamen adverte quod, si depositum cedit in favorem solius deponentis, depositarius non tenetur ad eam diligentiam, ad quam teneretur in custodia rei commodatæ, aut rei etiam depositæ in utilitatem ipsius depositarii.

Qu. 3. Utrum depositarius peccet, ac ad restitutionem erga deponentem teneatur, si absque ejus consensu re deposita in suum commodum utatur, aut ex ea fructus industriales percipiat ?

Resp. Certe hic depositarius peccat peccato infidelitatis; attamen, si certus sit se ad petitionem deponentis in promptu habiturum esse rem restituendam (vel æquivalentem, si ea erat primo usu consumptibilis, ut triticum, pecunia, etc.), generatim theologi censent eum non peccare mortaliter. Ceterum fructus, occasione rei depositæ, at suâ industriâ perceptos, suos facit, nec eos restituere tenetur deponenti [3]: ei restituere debet fructus ab ipsa re productos, eique damna compensare, quæ ex usu rei secuta fuerint.

477. **Scholion.** — *De sequestro.* — *Sequestrum* est « rei controversæ depositum penes tertiam personam ea lege, ut finita controversia, restituatur ei, qui litem vicerit » [4]. Quare sequester, seu qui rem illam accepit, summatim tenetur iisdem obligationibus, quibus depositarius, si paucas excipias ex Jure positivo. Sequestrum fieri potest, tum conventione privata contendentium, tum auctoritate tribunalis; constitui autem potest, tum pro bonis mobilibus, tum etiam pro immobilibus.

CAPUT VII.

DE MANDATO ET NEGOTIORUM GESTIONE

478. *Mandatum* in Jure nostro definitur « contractus, quo quis, aut gratis, aut mediante compensatione, sese obligat ad aliquid faciendum nomine alterius, a quo hoc munus accepit » [1]: qui munus alteri committit, dicitur *mandans;* qui accipit, latine *mandatarius,* italice *procuratore, fattore, agente,* etc. Mandatum ex natura sua et ex Jure romano est contractus gratuitus; tamen id non vetat, quominus pro eo compensatio aliqua detur et accipiatur, quæ *stipendium* et *honorarium* dici solet: si de *mercede* proprie dicta inter mandantem et mandatarium paciscatur, habetur magis proprie *locatio-conductio.* Mandatum dari potest, sive pro universitate negotiorum, sive pro negotio determinato; item dari et accipi potest expresse vel tacite.

Si alterius commissio præsumatur, habetur *negotiorum gestio;* in

3) De Lugo *Disput. XXXIII. Num. 4;* Gen. *623, II. 46;* Alb. *316.*
4) C. c. *art. 1869-877.*

1) C. *art. 1737*: agit usque ad *art. 1763.*

hoc consistens, quod quis in re, quæ dilationem non patitur, sibi pertractandum esse censeat negotium alterius; puta absentis, mentecapti, sensibus destituti etc. Ita alterius negotium gerit qui, rem alicujus inveniens, eam ad dominum deferat; item, qui rem furtivam viliori pretio pro domino redimat 2.

Ut mandatum validum sit, debet esse de negotio licito 3.

479. *Obligationes mandatarii*: *a*) Tenetur commissum sibi negotium eâ diligentiâ gerere; qua in eadem materia gereret suum. - *b*) Nullatenus excedere debet limites mandati; secus enim, non nomine mandantis ageret, sed suo. — *c*) Erga mandantem tenetur de damnis, quorum in exsequendo negotio ipse causa fuerit culpabilis theologice propter omissam diligentiam debitam: diligentia autem major requiritur, si negotium assumpsit pro compensatione, quam si gratuito. Teneri potest etiam sine culpa theologica; at nonnisi post sententiam judicis.

Obligationes *mandantis*: *a*) Tenetur ratum habere negotium, quod suo nomine intra limites et conditiones mandati a mandatario gestum fuit. — *b*) Tenetur, aut ante factum, aut post factum, mandatario compensare expensas factas in exsecutione mandati; insuper eidem mandatario conventum aut conveniens stipendium solvere, et quidem etiam in casu, quo res felicem exitum sortita non fuerit, independenter a culpa mandatarii. — *c*) Mandatarium indemnem servare debet de damnis, quæ hic vi exsecutionis mandati inculpabiliter subierit: non vero de damnis fortuitis et mandato extrinsecis.

480. — *De cessatione mandati.* — Mandatum cessat: *a*) Exsecutione ipsius; *b*) revocatione facta a mandante; *c*) renuntiatione facta a mandatario; *d*) morte, interdictione aut decoctione sive mandatarii, sive mandantis.

Qu. un. Utrum mandatarius sibi retinere possit fructus industriæ a se adhibitæ in exsequendo mandato?

Resp. Si sunt fructus industriæ non debitæ mandanti, ipsique mandato extrinsecæ, *affirmative*. Si sint fructus mandati aut industriæ debitæ mandanti, *negative*. Hinc: *a*) Si vi mandati se in locum dissitum conferre debeat, eaque occasione negotium quoque suum aut alterius gerat, quod inde lucri refert suum est. — *b*) Si jussus rem vendere pretio æquo, ac adhibita ordinaria diligentia pro eo pretio emptorem non invenerit, potest rem illam vendere sibi, etiam pretio nonnihil minori; quod si deinceps eam rem carius vendere valeat, lucrum suum facit. — *c*) Verum famula jussa pannum emere pretio determinato, h. e., non majori, si absque ulla industria extraordinaria emerit minori, non sibi, sed dominæ lucratur 4.

2) Cf. Berardi *Num. 2066-2074.* — Plura Alberti *330-334.*
3) Cf. Palmieri apud Ball. III. *Num. 553, 3.*
4) Exempla apud Gury *Casus* I. *569;* Lehmk. *Casus 853-857;* Alb. *342.*

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS COMMUTATIVIS

482. Contractus onerosi eo tendunt, ut quisque contrahens, propriam utilitatem ex jure acquirendo intendens, jus aliquod suum in alterum transferat. Si jus transferendum utrinque sit in materia certa et determinata, contractus dicitur *commutativus* seu *certi eventûs;* si, aut utrinque, aut ex una parte, sit in materia a fortuito eventu pendente, contractus dicitur *aleatorius* seu *incerti eventûs.*

Materia utriusque classis contractuum possunt esse ea bona, in quibus homo jus habeat, et quidem alienabile et pretio æstimabile; quæ bona, unus contrahens in alterum transferens, ab eo accipit pretium vel bonum aliquod æquivalens; porro homo jus habere potest, tum circa bona externa, tum circa bona interna seu personalia.

Omissis modo contractibus aleatoriis, agimus de commutativis.

483. In contractibus commutativis: Si quis boni sui externi pro pretio in alterum transfert dominium, habetur *venditio*: si transfert jus utendi aut fruendi, siquidem bonum illud fungibile sit, habetur *mutuum feneratívum;* si fungibile non sit, habetur *locatio rei.* Quoad bona personalia, transferri quidem nequit dominium proprietatis; at transferri potest dominium utilitatis; et tunc habetur *locatio,* sive *operæ,* sive *operis.* Demum fieri potest, ut duo vel plures homines in unum conferant sua bona externa, aut usum suorum bonorum personalium, aut alter illa, alter istum; et tunc habetur *societas.*

484. Sicut proprium est justitiæ commutativæ intendere perfectam æqualitatem, ita ad contractus commutativos pertinet, ut in eis ineundis perfecta servetur æqualitas inter datum et acceptum. *Datum* heic intelligitur *res* sensu latissimo; nempe rei objective exsistentis dominium, usus-fructus, usus, servitus; insuper et opus, opera seu actio vel etiam omissio; *acceptum* heic communiter intelligitur *pretium,* pecunia vel quælibet res, quæ pro re data fungi queat. Æqualitas autem in hoc consistit, ut pro re data pretium illud accipiatur, quod ejus valorem adæquet; pretium enim est « id, quod res omnibus valet », vel ut recentes communius habent, « rei valor pecuniâ expressus » [1].

485. Jamvero valor *rei* est « meritum ipsius intrinsecum in ordine ad utilitatem, quam res ipsa apta est afferre possidenti ». At huic merito vel valori intrinseco accedere possunt extrinsecæ circumstantiæ, quæ ipsum augeant vel minuant; sive ex parte contrahentis, qui ea re ejusque utilitate se privat; sive ex parte contrahentis, qui eam acquirit. Ex parte prioris, valor augeri potest ratione specialis affectus, quo ille ipsam prosequitur, vel ratione damni emergentis aut lucri cessantis: minui potest, si ea res ipsi inutilis aut parum utilis sit, si sciat rem suam parum

1) D'Annibale *Num. 106, 22*: cf. et *439, seqq.;* Noldin *594-599.*

utilem fore alteri; eo quod res hujusmodi facile comparantur, etc. Ex parte alterius, valor rei augeri potest, si ipse eâ valde indigeat, aut ea ipsi grata sit, aut sit rarior et difficilis comparationis; potest minui, si ea sit sibi parum vel nihil utilis aut cara, aut si sponte offeratur, etc.

486. *Pretium* rei est ipse « ejus valor expressus pecuniâ »; quod tunc dicitur esse justum, cum valorem illum moraliter æquare censetur. Dicimus: *moraliter*: nam ille valor, in utilitate consistens, et elementis pluribus, partim absolutis, partim relativis constans, mathematice definiri regulariter non potest; ut patet, si agatur de valore operæ, quam quis per integrum diem vel mensem in favorem alterius præstet. Hinc est, quod generatim cujuscumque rei, fundi, machinæ, operæ, operis, etc., datur pretium triplex: *summum, medium, infimum.*

487. Hæc plus minus communia sunt omnibus contractibus commutativis. Nos ex ordine dicemus de præcipuis, ad quos ceteri quodammodo reduci possunt: 1.° De venditione; 2.° de mutuo fenerativo; 3.° de locatione rei; 4.° de locatione operæ; 5.° de locatione operis; 6.° de societate; 7.° de contractibus subsidiariis.

CAPUT I.

DE VENDITIONE

488. *Venditio* definitur « contractus, quo quis se obligat ad dandam alteri rem, alter ad ejus pretium solvendum » [1]. Prior dicitur *venditor;* alter *emptor*: contractus præ hoc altero dicitur *emptio;* sæpe præ utroque *emptio-venditio*. Ex definitione patent duo: *a*) Venditio ex Jure nostro est contractus consensualis; *b*) translatio dominii seu proprietatis rei venditæ fit per ipsum consensum, ante realem rei aut etiam pretii traditionem.

Supposita, tum venditoris, tum emptoris capacitate, emptio-venditio tribus constat: *a*) Re, quæ *merx* dici solet; *b*) pretio; *c*) contrahentium consensu manifestato; *d*) Pauca addemus de præcipuis speciebus venditionum [2].

ART. I. — De requisitis ex parte mercis

489. **Principia. I.** Ad validitatem contractus venditionis requiritur, *a*) quod merx sit propria venditoris, ac *b*) nulla lege nulloque jure privato a contractu venditionis excludatur.

II. Merx debet esse, aut physice, aut saltem moraliter, ea,

1) C. c. *art. 1447*: agit de hac materia usque ad *art. 1548*.
2) S. Thomas *2. 2. Qu. 77;* De Lugo *XXVI;* Lessius *Lib. II. Cap. XXI.;* S. Lig. *III. Num. 793-838;* Ball. *Tract. VIII. P. III. 364-468.*

quam emptor petit, tum quoad speciem, tum quoad qualitates substantiales.

III. Venditor emptori securitatem præstare debet, tum de re, loco et modo præfinitis, sive expresse, sive tacite; item et fructus rei a tempore venditionis; interim illam et istos custodire debet, tamquam depositarius.

IV. Venditor emptori securitatem præstare debet, tum de tranquilla rei possessione, tum de ejus immunitate a vitiis occultis substantialibus.

490. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Venditio rei alienæ nulla est: hinc emptor, si rem non accepit, prohibetur accipere; si accepit, *per se* eam reddere debet domino, ac pro pretio soluto agere potest in venditorem: tamen nullitas contractus opponi nequit a venditore.

2.ª A fortiori nulla est emptio-venditio rei furtivæ. Quod si aut venditor, aut emptor 3, aut uterque mala fide egit, non modo tenetur erga dominum de re vel ejus æquivalenti, sed et compensare debet omnia ejus damna aliquo modo prævisa.

3.ª Si emptor rem bona fide emit in mercatu publico, aut a publico earum rerum venditore aut in publica auctione, rem quidem domino restituere debet, at ex Jure positivo exigere ab eo potest, et quidem in ipso foro conscientiæ, refusionem pretii soluti 4.

4.ª Si merx tempore venditionis perierat, venditio nulla est: si perierat ex parte, emptor potest, aut a contractu recedere, aut partem superexstantem exigere, si ea ad finem sibi præfixum saltem ex parte conducit.

5.ª Si res vendita sit spiritualis, sive formaliter, sive causaliter aut effective, venditio nulla est ex ipso jure naturali: si sit temporalis adnexa spirituali consequenter aut concomitater intrinsece, venditio nulla est, saltem ex Jure canonico 5.

6.ª Ex Jure positivo civili nulla est venditio cujuscumque juris super hereditatem personæ viventis, etsi forte ista in eam venditionem consentiat.

491. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si venditor sacerdoti vinum petenti pro Missis celebrandis det vinum arte chymica confectum, vel petenti sericum pro casula conficienda det gossypium, venditio invalida est; eadem ratione, qua invalide quis venderet vitrum pro gemma, acetum pro vino, stamnum pro argento.

3) Si hic rem a fure emerit parvo pretio ut eam domino restituat, nedum, injuste non agit, sed et jus habet pro utili alterius gestione ad compensationem.

4) C. c. *art. 70*, de quo diximus *Nuum. 200, 203.*

5) Utrum vendibilis sit ecclesia, tractat GENN. *Quest. mor. Num. 529.*

2.ª Valide, et forte etiam licite, venderetur medicamentum physice diversum a petito, dummodo ad finem emptoris æque certe conducat: item vinum unius loci pro vino loci limitrophi, ligna unius nemoris pro lignis nemoris diversi.

3.ª Si emptor expresse postulet sibi oleum ex olivis, vinum ex uva, caphæum sine ulla mixtione, etc., addatque se paratum esse pretium quæsitum solvere, invalide alter venderet oleum ex nucibus, vinum ex sacharo, caphæum cum cicoria, etc.

4.ª Iisdem rationibus a venditore ignorante invalide quis emeret gemmam pro vitro, argentum pro stamno, etc.

492. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. 1.* Utrum vendi possint jura incorporea, sive incerta?

Resp. Quoad ea, quæ sunt mere personalia, *negative*: ita vendi non potest jus usus et habitationis, jus ut aliqua persona sibi famuletur, etc. Quoad ea quæ sunt realia, *affirmative*: dummodo pro incertis aut litigiosis non exigatur pretium ultra probabilitatem exactionis 6. Ita pro eorum valore actuali vendi possunt chirographa (*cambiali*), ususfructus, jus ad hereditatem personæ defunctæ: at credita erga debitorem obæratum vendi nequeunt pro eorum actuali quantitate; nec schedula sortitionis publicæ pro præmio eidem promisso; etc.

Qu. 2. Cui debeatur res, quæ duobus emptoribus successive vendita fuit?

Resp. Si neutri tradita fuit, ea debetur emptori priori. Quod si secundo emptori, nedum vendita, sed et tradita fuit, hic præferendus est, dummodo bona fide egerit: id confirmatur ex Jure positivo 7. Verum primus emptor jus habet ut a venditore indemnis fiat; imo et jus habendi ab altero emptore rem, si hic mala fide eam emerat.

493. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum valeat venditio, si venditor pro re naturali et sincera petita substituat rem artificialem vel adulteratam, quæ tamen fini intento ab emptore non obstet?

Resp. Negative, si emptor expresse rem naturalem et puram postulet, indicando saltem indirecte se rem aliam prorsus nolle. Si vero res ab emptore petatur simpliciter, venditor autem prævideat eum pretium rei naturalis et sinceræ soluturum non esse, valide vendit; neque arguendus est injustitiæ, neque post factum urgendus est ad rem petitam in locum rei traditæ substituendam; dummodo pretium valori rei venditæ æquivaleat. Quod si prævideat emptorem paratum esse solvere pretium rei naturali et sinceræ respondens, difficile est venditorem a peccato injustitiæ ante factum eximere; post factum, forte ad restituendum urgendus non est propter bonam fidem: nam hodie inter mercatores nimis communis est usus falsificandi merces: communior vero est

6) Tamen hæc emptor emere posset pretio minori, sive quia ipse opus habet pecuniam exigere, sive quia actionem, non pecuniam, emit. S. Lig. *Num. 820.*

7) C. c. *art. 1126,* quem difficile est componere cum *art. 1448, 1459.*

usus mistificandi, sophisticandi, etc; quem usum et emptores nosse debent.

Quæ dicimus de re naturali præ artificiali, dicantur quoque de una naturali præ alia item naturali, sed valoris inferioris; puta de caphæo præ cicoria: item de una artificiali præ alia item artificiali; puta de tabula ab ordinario artifice depicta præ tabula Raphaëlis: etc.

Qu. 2. Utrum venditor teneatur defectus rei emptori manifestare?

Resp. a) Affirmative, si tales defectus sint substantiales, sive in se, sive relate ad finem cognitum emptoris; et quidem, etiamsi de his venditor non interrogetur. Ratio est, quia secus ex parte emptoris, deest consensus; quare ipsa emptio-venditio invalida esset [8]. — *b)* Si agatur de defectibus accidentalibus occultis, ac de his emptor interroget ostendens se suum consensum alligare responsioni, venditor eos debet sincere manifestare; ipsius enim silentium esset emptori injuriosum, eique jus tribueret rescindendi contractum. Secus vero, si appareat emptorem, etiam cognita rei veritate, consensurum fuisse, etsi forte pro pretio minori. — *c)* Si emptor non interroget, venditor non tenetur defectus accidentales manifestos aut facile perceptibiles aperire, imo nec occultos fini emptoris non obstantes; excepto casu, quo emptor se imperitum fateatur ac protestetur se omnino fidere venditori. — *d)* Idem vero prohibetur dotes rei, ultra usum hodie communem, exaggerare aut confingere; quod si appareat hanc exaggerationem et fictionem dedisse causam contractui, venditor erga emptorem tenetur de injuria et de damnis.

494. *Circa Princ. III. — Qu. un.* Ad quid tenearur venditor, si res vendita pereat, sive ante, sive post traditionem?

Resp. a) Si pereat ex vitio intrinseco, quo jam laborabat tempore venditionis, ipsa venditio, etsi in bona fide venditor fuit, est nulla; cum emptor nonnisi ex errore substantiali consenserit. — *b)* Si pereat aliunde, semper perit domino, h. e., emptori: etsi pereat ante traditionem; at, si periit ex culpa theologica venditoris, hic de ea ac de damnis tenetur, ut damnificator injustus; si ex culpa juridica, obligari potest per sententiam judicis. — Idem dicatur, si res quodcumque detrimentum subierit.

495. *Circa Princ. IV. — Qu. 1.* Quid importat securitas emptori præstanda a venditore de tranquilla rei possessione?

Resp. Importat obligationem assumptam permittendi emptori rescissionem contractus ac reparandi omnia damna, tum ex venditione, tum ex ejusdem rescissione eidem obvenientia, si forte hic a possessione rei emptæ deturbandus sit. Casus præcipui duo sunt: *a)* Quod res propria venditoris non fuerit; nunc vero eam dominus apud actualem possessorem *evincat,* seu *vincendo auferat,* sive juridice, sive privatim, evidenter probando rem esse suam. — *b)* Quod res empta obnoxia fuerit

8) S. Thomas *Qu. 77, art. 3;* S. Ligorius *Num. 823;* Ball. *439.*

hypothecæ aut pignori, servituti, etc., aut alteri locatione vel utcumque obligata. — In hisce casibus venditor indemnem servare debet emptorem; hæc autem obligatio spectat ad naturam venditionis; ideoque habetur, etsi de ea nihil stipulatum fuerit. Verum ea cessat, tum si venditor in contrahendo expresse eam excluserit, ipsam causam evictionis ignorans; vel etiam si, de ea dubitans, suam rationem dubitandi emptori manifestaverit; tum si causa evictionis orta sit post venditionem; ex. gr., ob præscriptionem, quam emptor negligentiâ suâ non interrupit.

Qu. 2. Quid importat securitas præstanda de immunitate rei a vitiis occultis?

Resp. Importat obligationem permittendi emptori rescissionem contractus; si res vendita laboret aliquo e vitiis, quæ *redhibitoria* dici solent; quæ scilicet, rem faciant aut omnino ineptam ad finem emptoris, aut saltem minus aptam; adeo ut hic, illis prægnitis, rem non emisset. Jamvero ad hoc, ut vitium redhibitorium sit, necesse est illud, nedum occultum, sed reapse ignotum fuisse emptori; insuper ipsum, saltem virtualiter, exstitisse tempore venditionis. Si deinceps ex eo vitio res pereat, aut inepta vel minus apta fiat ad finem emptoris, venditor tenetur pretium restituere; quod si et mala fide egerit, tenetur et damna emptoris aliquo modo prævisa reparare.

Generatim ad rescindendum contractum ratione defectuum emptor agere debet judicialiter: actionem vero proponere debet intra annum (a die traditionis), si agatur de immobilibus; intra dies quinquaginta, si de animalibus; intra dies nonaginta, si de ceteris mobilibus: at numquam actio conceditur in venditionibus judicialibus 9.

ART. II. — De pretio mercis

496. *Pretium* in contractu venditionis accipitur sensu maxime proprio, et hodie in pecunia numerata consistit. Patet alicujus mercis pretium verum illud esse, quod est justum; nempe, quod adæquat valorem rei, tum præ ejus intrinseca aptitudine ad utilitatem, tum præ circumstantiis extrinsecis ex parte, sive mercis, sive vendentis, sive ementis.

Pretii multiplex datur distinctio: *a*) Si pretium spectatur relate ad normas, juxta quas dicendum est valorem mercis adæquare, aliud est *naturale* seu *vulgare* aut *commune*, quod mercis valorem adæquat, et adæquare censetur æstimatione communi: aliud est *legale*, quod ab ipsa lege determinatur. — *b*) Pretium vulgare, in relatione æstimationis communis ad valorem mercis realem, triplex est: *summum, medium, infimum*: et quidem jure; cum non possit esse absolute et mathematice una alicujus rei æstimatio communis. — *c*) Item pretium vulgare iterum duplex est: aliud *fixum*, quod merx jam habet in usu communi, ut fit in vendendis rebus ordinariis, præsertim esculentis et poculentis; licet

9) C. c. *art. 1498-1506.* — Cf. D'Annibale *Num. 458;* Zanin. *1308.*

prorsus immutabile non sit: aliud est *conventionale*, quod a contrahentibus in singulis casibus determinatur. — *d*) Hoc autem iterum duplex: *currens*, quod attenditur in vendendis rebus satis communibus, prædiis, domibus, animalibus, etc.: *exceptionale*, quod statuitur pro rebus valoris exceptionalis, quarum propter rarissimum commercium nulla potest esse æstimatio communis; ut sunt opera sublimium artificum, antiquissimæ statuæ, numismata rarissima, codices, etc.

497. Generatim theologi recentes in hæc tria conveniunt: *a*) Pretium *legale* habendum est ut justum et obligans in conscientia [10]: statutum enim fuit ad bonum commune a publica auctoritate, quæ valorem rei, seu ejus pretium naturale, nosse debet. — *b*) Habendum est ut justum pretium *vulgare*, sive medium fuerit, sive summum, sive infimum: ipsa enim communis æstimatio exprimit quanti merx illa omnibus in eo loco eo tempore valet [11]. — *c*) Si agatur de rebus, quæ sunt extra commercium commune, generatim haberi potest tamquam justum pretium *conventionale;* dummodo absit fraus, vis aut metus: quod multo magis dicendum, si agatur de rebus valoris exceptionalis et prorsus arbitrarii.

498. Non ita conveniunt in quæstione theoretica « ex quo proprie pendeat rei alicujus valor, cui pretium justum respondet ». Alii repetunt ex intrinseca rei utilitate, attentâ simul rerum ejus generis copiâ vel inopiâ: alii ex labore in ea re conficienda aut comparanda: alii ex utroque simul et ex desiderio communi, majori vel minori, rem illàm comparandi; alii proxime ex æstimatione communi, ex qua proinde justum rei pretium *per se definitur* [12]. Practice certa sunt sequentia: *a*) Pretium (unius ejusdemque mercis) in ipsa æstimatione communi crescere solet ex penuria mercium ejus generis, ex copia pecuniæ, ex multitudine emptorum, ex difficultate ac labore et periculo in mercibus ejus generis conficiendis aut comparandis. — *b*) Pretium, e contra, decrescere solet ex abundantia mercium ejus generis, ex deficientia pecuniæ, ex parvo numero emptorum, ex facilitate in rebus ejus generis conficiendis aut comparandis.

499. **Principia. I.** Emptio-venditio, qua venditor pro re vendita exigat pretium superius justo, aut emptor pro re empta solvat pretium inferius justo, injusta est; ac proinde venditor in casu priori in altero emptor tenetur ad restitutionem.

II. Emptor tenetur pretium rei solvere venditori tempore ac loco statuto: si de his circumstantiis nihil conventum fuerat, solvere debet eo tempore et eo loco, quo venditor mercem tradit.

10) Cf. S. THOMAM *Qu. 77, art. 2 ad 2*: Verum ex circumstantiis forte mutatis fieri potest injustum. Cf. S. LIG. *Num. 803;* BALL. *375.*

11) Dicimus: *eo tempore et loco.* Injuste aurifaber pro torque exigeret Romæ ab Americano pretium, quod hic pro eo solveret Washingtoni.

12) Hanc sententiam propugnat VERMEERSCH *Num. 342, seqq.*

500. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Immunis est ab injustitia contractus, quo aut venditor exigat pretium vulgare summum, aut emptor solvat minimum; utrumque enim est vulgare justum.

2.ª Qui fraudibus exigant summum, aut fraudibus solvant minimum, ineunt contractum justum mediis injustis; ideoque de injusto lucro tenentur. At non sunt fraudes mendacia omnibus mercatoribus et emptoribus usitatissima; quippe quibus nemo sensatus credit.

3.ª Non est injusta *per se* venditio, qua venditor rem emptori vendat qualitatis aut ponderis vel mensuræ inferioris, quam putat emptor; dummodo pretium exigat qualitati et quantitati rei venditæ respondens. Dicimus: *per se;* si enim res illa defectuosa ad finem emptoris inepta sit, venditio ex isto capite injusta esse potest, et forte nulla, et locum dabit actioni redhibitoriæ.

4.ª Venditor, qui, ut emptores alliciat, merces optimas vendit pretio infimo aut etiam infra infimum, nullam injuriam facit, sive emptoribus, sive ceteris venditoribus; utitur enim jure suo, etsi mercem suam infra pretium infimum vendat.

5.ª Idem venditor injuriam *per se* non facit emptoribus, si nonnisi apparenter et ficte eo pretio minimo vel infra minimum venderet; quatenus sub eo pretio vendat merces nonnihil adulteratas, aut pondere vel mensura deficientes: at injuste tunc ageret contra ceteros venditores, a quibus per fraudem emptores averteret; item contra emptores, si mercem in qualitate aut quantitate mutaret post contractum.

6.ª Non est reus injustitiæ venditor, qui, mercis merita extollens, exaggerans aut confingens, pretium supra summum exquirat; sed reus est qui hoc pretium exigat, h. e., accipiat: item neque emptor, qui quibuscumque artificiis pretium infra infimum exhibeat; sed qui hoc pretium solvat.

501. *Ex Princ. II.* — 1.ª Emptor non liberatur a pretio solvendo, si res empta casu fortuito, et forte ante ipsam traditionem, perierit.

2.ª Si pretium tempore præfixo non solverit, auctarium *per se* addere debet; non modo, si ita conventum fuerat, sed quoties ex communi consuetudine hæc obligatio subintellecta habetur. Dicimus: *per se;* si enim agatur de summa parvi momenti, aut de brevissima solutionis dilatione, venditor auctarium remittere censetur.

3.ª Idem tenetur solvere expensas ad rem conservandam a die venditionis necessarias, nisi aliter conventum fuerit.

502. **Quæstiones.** — *Crica Princ. I.* — *Qu. 1.* Quid juris venditori, si rem pretio infra infimum justum vendidit?

Resp. Si vendidit sciens et volens, proprie non vendidit, sed maxima ex parte donavit. — Si vendidit ex ignorantia vel ex imperante necessitate, suo juri ad pretium saltem infimum habendum non abdicavit; ergo *per se* hoc pretium eidem est ab emptore refundendum 13. Di-

13) S. Ligorius *Num. 805.* — Quod si emptor ipse mediis injustis consensum a venditore extorsit, tenetur etiam de damnis.

cimus: *per se;* quia facile emptor in bona fide versabitur, ex qua haud facile eum amovebit confessarius.

Quod si agatur de re immobili, in qua vendenda læsionem ultra dimidium pretii justi passus fuerit, ex Codice nostro jus habet petendi rescissionem; et quidem, etsi expresse in contrahendo huic juri renuntiaverit, aut etiam declaraverit se ulterius pretium donare: at in eo casu liberum erit emptori, vel recedere a contractu, vel pretium supplere usque ad limites pretii justi 14.

Qu. 2. Quid juris emptori, si rem emit pretio summum excedente?

Resp. Nullum quidem jus eidem tribuitur ex lege positiva. Tamen quoad forum internum, videtur ei concedendum esse quod in simili casu conceditur venditori; ac proinde ipsi *per se* jus competere, ut sibi excessus pretii supra summum justum restituatur.

Qu. 3. Utrum venditor exigere possit pretium superius justo ratione specialis utilitatis, quam ipse ex re sua perciperet, vel ratione specialis affectus erga ipsam?

Resp. Affirmative ad utrumque, , titulo justæ compensationis: pretio enim æstimabilis habetur ejus rei privatio, nedum in casu primo, sed et in altero 15. Hæc est sententia communis.

Qu. 4. Utrum idem dici possit, si venditor pretium illud exigat ex eo, quod videat rem valde utilem vel gratam fore emptori?

Resp. Plures cum S. Thoma negant; eo quod hæc utilitas aut voluptas non venditoris, sed emptoris est; quare ille carius venderet quod suum non est 16. Alii tamen affirmant; eo quod utilitas illa vel voluptas pretio æstimabilis est emptori; ergo hic potest eam sibi comparare pretio; ac proinde et alter poterit eam pretio vendere. Accedit usus hodie satis communis, quo carius vendi solent ea, quæ emptores avidius comparare student: ut enim res ultro oblatæ vilescunt, ita et res avidius quæsitæ carescunt 17.

Tamen non inde licet abuti necessitate, in qua versatur emptor; qui, si nullo alio titulo interveniente pretium ultra summum coactus exsolvit, jus servat ad excessum recuperandum.

Qu. 5. Utrum emptor offerre et solvere possit pretium inferius justo ratione necessitatis, in qua versari novit venditorem vendendi mercem ac numerandi pecuniam?

Resp. Generatim negandum est: imo, si et emptor, ea re indigens, eam sibi inutilem esse edicat, ut venditorem ad eam pretio non justo vendendam cogat, injuste agit ac ad restitutionem tenetur. Ceterum, præter quam quod res ultro oblatæ vilescunt, emptor minuere pretium potest, si vere res sibi parum utilitatis afferat. Quod si sibi quoque

14) C. c. *art. 1529, 1534.*
15) S. Thomas *Qu. 77 a. 1;* S. Lig. *807;* Gen. *633, V.;* Verm. *345,* et *346, 4.*
16) S. Thomas *l. c.;* S. Lig. *Num. 806:* fuse Verm. *345, 2,* et *346, 4.*
17) Cf. Tanquerey *Num. 750;* Noldin *598;* Gen. *633* Marc *1130.*

utilis sit, id non vetat pretium solvi minus, si agatur de rebus, quæ non adeo facile venduntur; ut sunt utensilia, ornamenta, libri et alia hujusmodi: secus vero, si agatur de rebus communiter venalibus; ut essent frumentum, vinum, oleum, etc.; quæ, etsi a quopiam propter paupertatem vendantur, ex communi æstimatione suum pretium servant. Adde quod hujusmodi emptio adversari posset caritati.

Qu. 6. Utrum vendere possit pretio currente mercem ille, qui novit ejus pretium brevi deminutum iri; vel viceversa, pretio currente emere eam, cujus pretium mox auctum iri cognoscit?

Resp. Affirmative. Pretium enim hodie justum est illud, quod hodie est commune. Hinc neque peccant contra justitiam commutativam negotiatores, qui granum in horreum congregant tempore messis, ut illud in posterum vendant eo pretio, quod ex multitudine ementium et raritate vendentium justum erit: peccarent vero, si ipsi ex arbitrio suo pretium definirent [18]. — Iidem vero peccare possunt contra caritatem, aut etiam contra justitiam legalem.

503. *Circa Princ. II. — Qu. 1.* Utrum ex eo, quod emptor pretium statim non solvit, liceat venditori pretium nonnihil augere?

Resp. Affirmative. Ratio intrinseca est, quia, nisi de levissima summa aut brevissima dilatione agatur, ipsa pretii dilatio est pretio æstimabilis; accedit, quod tutior est, et ideo pretiosior, pecunia numerata, quam numeranda [19]. Hinc improbari nequit praxis, quam negotiatores rerum minutarum servant, ut emptoribus statim solventibus (*a pronta cassa*) res cedant pretio minori, quam aliis pretium scripto obligantibus (*a libro*).

Qu. 2. Utrum venditor in ipso contractu imponere possit emptori pactum, quod hic tempore determinato rem ipsi retrovendat?

Resp. In isto pacto nulla habetur *per se* injustitia: ut autem non habeatur *per accidens*, servandæ sunt conditiones æquitatis. Hæ sunt, quod venditor sese obliget ad integrum pretium emptori solvendum, ac insuper ad compensandas expensas pro ipso contractu et pro reparationibus necessariis ab emptore tempore possessionis factis; imo et pro aliis, quæ rei valorem realiter auxerint. Jus venditoris transit ad heredes; at stipulatio de re revendenda extendi non potest ultra quinquennium.

Item nec est injustus contractus, quo quis rem, præsertim immobilem, alteri vendat, sibi jus reservans eamdem recuperandi pro pretio, quod quisque alius exhibeat, quando emptor eam alienare consentiet.

E contra injusta est ea forma retroventionis, quæ *mohatra* dici solet. Hæc est: Venditor homini indigenti pecuniâ rem vendit pretio summo, eidem imponens ut eam sibi mox retrovendat pretio infimo, quod mox ille indigenti solvit, tempore statuto sibi restituendum: hac ratione

18) Lessius *Num. 150-152.* Cf. S. Lig. *816;* Ball. *423.* — Quædam ubi de *monopolio.*

19) S. Ligorius *Num. 810, 811;* Marc *loc. cit.;* Noldin *loc. cit.*

venditor mox recipit duorum pretiorum differentiam, suo tempore pretium quoque solutum recepturus. Patet hujusmodi contractum usurarium esse; excepto casu, quo ea differentia non excedat fenus, quod pro pecunia mutuata exigere licet.

ART. III. — De consensu venditoris et emptoris

504. Ad valorem et justitiam venditionis necesse est quod venditor et emptor, contrahendi capaces, in contractum scienter et libere consentiant, sive quoad rem, sive quoad pretium. Hinc venditio erit invalida, tum si alteruter erret errore substantiali circa rem aut pretium, vel errore accidentali antecedente uni contrahenti obveniente ex malo dolo alterius; tum si alteruter ex metu sibi ab altero injuste incusso consentiat. Quod si alteruter ex se erret circa qualitates accidentales, aut ex metu non incusso ab altero contrahente, vel ex sui necessitate cogatur in pretium non justum consentire, venditio valida quidem esse poterit, ac poterit non esse justa.

505. **Principia. I,** Legitimo contrahentium consensu emptio-venditio perficitur; quæ statim valida est, si consensus detur absolute; suo tempore, si sub conditione suspensiva aut resolutiva.

II. Illi omnes possunt vendere vel emere, qui, cum polleant perfecta capacitate contrahendi, non prohibentur in casibus particularibus vendere vel emere per legem positivam aut per legitimam judicis sententiam.

III. Omnes conventiones ad transferendam proprietatem immobilium aut quorumcumque bonorum aut jurium capacium hypotecâ fieri debent, vel publico instrumento, vel scriptura privata; et quidem sub pœna nullitatis.

506. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Emptor proprietatem mercis acquirit ex ipso consensu, antecedenter ad acceptationem rei. Hinc, etsi ea apud venditorem maneat, emptori fructificat eique regulariter perit.

2.ª Quoad vinum, oleum aliasque res, quæ vendi solent sub ea conditione, quod gustatæ ab empore sibi idoneæ esse probentur, venditio perfecta non est ante gustationem: attamen a contractu emptor recedere non potest ante gustationem, nec postea, si gustatæ probentur.

3.ª Si res ante degustationem pereant, pereunt venditori; excepto casu quo tempus degustationis designatum fuerit, et emptor culpabiliter omiserit degustare, res vero perierit posterius. Dicimus: *culpabiliter;* si enim inculpabiliter, res videtur perire venditori, cujus est.

507. *Ex Princ. II.* — 1.ª Jure canonico administratores bonorum

ecclesiasticorum prohibentur alienare res ecclesiasticas immobiles, aut mobiles quæ servando servari possunt, absque licentia legitimi Superioris 20. Legitimus Superior est Sedes Apostolica, si agatur de rebus pretiosis vel de rebus quæ valorem excedunt triginta millium francorum 21; si de rebus quæ valorem non excedunt mille francorum (nisi sint minimi valoris), est loci Ordinarius, audito administrationis Consilio; si de rebus, quarum pretium est inter mille et triginta millia francorum, requiritur consensus Capituli Cathedralis, Consilii administrationis et eorum quorum interest 22.

2.ª Bona ecclesiastica non alienabilia censenda sunt, nedum immobilia, sed et quæ eis hodie æquiparantur, syngraphæ frugiferæ (*titoli al portatore*); quarum, nedum alienatio proprie dicta, sed et quarumdam in alias permutatio prohibetur 23.

3.ª Jure civili prohibentur debitores vendere ea bona immobilia, quæ a creditoribus proscribi (*espropriare*) cœpta sunt: item qui foro cesserunt; imo alienationes in fraudem creditorum nullæ sunt 24.

4.ª Qui administrationem, saltem partialem, habent bonorum communitatis, familiæ, minoris, etc., generatim prohibentur emere earumdem personarum bona; item magistratus, advocati, scribæ, notarii, etc., prohibentur, etiam per interpositas personas, ea jura litigiosa redimere, circa quæ munus proprium quacumque ratione exercent 25.

508. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Quid, si contrahentes, aut unus eorum, verum rei valorem ignorent?

Resp. a) Si ignorat uterque, venditio pro quolibet pretio libere pacto justa est: utrique enim, ut commune est damni periculum, communis quoque est spes lucri: quare ille, cui sors arrisit, ad nihil erga alium tenetur. — *b*) Si unus cognoscit, alter ignorat, at verus rei valor facile ab omnibus peritis cognoscitur, emptio aut venditio pro pretio non justo injusta est; nam æstimatio communis determinat verum rei pretium venale. — *c*) Quod si res communi æstimatione vilior habetur, ejus autem valorem singulari peritia unus emptor agnoscit, hic ea emere potest pretio viliori; quippe quod est vulgare 26: in eo casu emptor nullam venditori facit injuriam.

ART. IV. — De quibusdam speciebus venditionum

Dicemus de quatuor speciebus, quæ propria habent. — Hæ sunt:

20) Codex *Can. 1530* § *1 Num. 1.*

21) Codex *Can. 1531* § *1 Num. 1.* Excommunicatio habetur *Can. 2347.*

22) Codex *Can. 1532* § *2, 3.* — Quoad bona Ordinum et Congregationum. *Can. 534.*

23) S. C. Conc. die 17 jan. a. 1906, apud *Monit. eccles. XVIII.* 49. — Cf. Gennari *Quest. canon. Num. 478.* At vide Codex *Can. 1539* § *2.*

24) Cod. civ. *art. 208;* Cod. comm. *art. 555, 699, 707-709.*

25) C. c. *art. 1456-1458.* — Jure civili dicuntur incapacia entia moralia non recognita, licet per interpositam personam vendant vel emant: at hæc dispositio quoad bona ecclesiastica nullius est valoris.

26) Cf. Ballerini *Num. 403;* Lehmk. *1128;* Gen. *635;* Noldin *599.*

a) Venditio sub hasta; *b*) venditio per proxenetas; *c*) negotiatio; *d*) monopolium.

§ I. — De venditione sub hasta.

509. Venditio *sub hasta*, dicta etiam *licitatio* seu *auctio*, est ea, qua venditor per præconem rem viliori pretio publice proponit, ut ea illi adjudicetur, qui majus pretium offert. Potest esse *privata*, vel *judicialis;* prout spontanea venditoris voluntate fit, aut judicis auctoritate, qui hac ratione juribus creditorum prospicit. Quæ est privata, hodie sæpe est *suspensiva;* qua venditor sibi jus reservat retrahendi rem, si forte pretium oblatum reputet nimis exiguum; erit vero *definitiva*, si venditor huic juri renuntiat: judicialis semper est definitiva. In venditione sub hasta pretium justum habetur quod est maximum inter oblata, sive sit vulgari summo superius, sive minimo inferius.

510. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum ipse venditor adhibere possit licitatores fictos, qui pretii auctionem promoveant?

Resp. Si ipse antecedenter, sive expresse, sive tacite, edixerat licitationem esse definitivam, communius respondent: *negative;* secus vero, *affirmative*. Idem venditor mittere quoque poterit suos licitatores ad licitationem judicialem; cum ipsi quoque liceat rem publicatam sibi emere.

Qu. 2. Utrum qui ad rem publicatam aspirant, efficere possint ut alii licitatores a concurrendo, vel ab ulteriori pretio offerendo, abstineant?

Resp. Mediis justis, cujusmodi essent suasiones ac preces (non tamen importunæ), *affirmative;* mediis injustis, scil., vi, metu, minis, fraudibus, *negative*. Etiam in casu primo peccari posset contra caritatem.

Esset ne medium injustum conventio inter quosdam emptores inita, ut, uno concurrente, ceteri abstineant? — Affirmat quidem S. Alphonsus, saltem in casu licitationis coactæ; eo quod licitans iste, pretium infimum offerens; venditorem impediret a consequendo pretio supremo, ad quod jus habet [27]. Verum alii negant; et quidem certe probabiliter: sicut enim quisque posset a concurrendo libere abstinere, ita se potest libere obligare ad abstinendum; ac proinde, ut nullam facit injuriam venditori in casu primo, ita nec in altero [28]. Iidem tamen habent ut injustam speciem quamdam monopolii, quo omnes emptores aut mercatores conveniant de rebus publicatis non emendis, nisi pretio infra infimum justum vulgare.

Qu. 3. Poterit ne venditor quosdam ad licitandum adducere oblatâ pecuniâ, aut aspirantes alios pecuniâ oblatâ removere?

27) S. Ligorius *Num. 808.* — Limitant Scav. *405;* Marc *1135.*

28) Ball. *Num. 400;* Lehmk *1120;* Noldin *602;* D'Ann. *468, 6;* Gen. *638;* Ferr. *1059, sequ.* — Casus alii apud « *S. Vigilio* » (Trento) Anno II. 418, III. 204.

Resp. Negandum videtur [29]; cum ipsa natura venditionis sub hasta hac ratione corrumpatur, quæ exigit ut prorsus libera sit ex utraque parte licitatio. Tamen, si venditor advertat inter aspirantes quoddam monopolium institui ad scopum habendi rem infra pretium vulgare infimum, posset ab hac vexatione se redimere alios licitatores pertrahens oblatâ pecuniâ. Idem pari ratione liceret aspiranti, si videat fictos licitatores injuste immitti a venditore.

§ II. — De venditione per proxenetas.

511. Venditio *per proxenetas* est ea, quæ a domino, vero venditore vel emptore, fiat per alios, tamquam mandatarios; quod fieri potest, sive per commissionem habitualem, qualem habent mandatarii negotiatorum (*commessi viaggiatori, rappresentanti,* etc.), famuli, ancillæ, etc.; sive per commissionem particularem, qualem habere potest sartor emendi pannum pro eo cujus vestem conficiendam assumpsit, aut mediator (*sensale*) vendendi vel emendi domum etc.

Hæc forma venditionis vel emptionis nihil speciale habet quoad dominum. Proxeneta, quippe qui mandatarius est, et ordinarie non gratuitus, debet negotium sibi demandatum exsequi eâ diligentiâ, quam in eodem negotio adhiberet, si suum esset; adeoque tenetur dominum compensare ob damna, quæ eidem obvenerint ex sua negligentia culpabili in eo negotio exsequendo.

512. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Utrum proxeneta, qui rem alterius vendit pretio supra designatum a venditore ,vel rem emit pretio infra designatum ab emptore, possit eam differentiam sibi retinere?

Resp. Præcise ratione mandati, *negative*: agit enim negotium alterius: et insuper designatio pretii a mandante generatim eo spectat, ut res illa non minoris vendatur, vel non majoris ematur. Ceterum poterit sibi differentiam retinere, si alii tituli accedant. Nempe: *a*) Si dominus ipse expresse aut tacite, sive ante, sive post factum, consentiat; puta, si habeatur conventio, aut, pro quibusdam negotiis, consuetudo, ut proxenetis quinque pro centum concedatur: *b*) si lucrum illud sit fructus industriæ non debitæ; puta, si proxeneta se alio ad rem vendendam vel emendam contulit, ubi ea res majoris venditur, vel emitur minoris.

Qu. 2. Utrum ille, cui commissum est rem certo pretio vendere, possit eam emere sibi, ac mox pretio majori aliis vendere, ac excessum sibi retinere?

Resp. Hic debet diligentiam negotio parem adhibere, ut pretium taxatum habere possit, hoc autem domino tradere; quare, si ex omissione debitæ diligentiæ factum est, ut pretium taxatum non repererit, tenetur de damnis. Quod si debitam diligentiam adhibuit, at frustra,

29) Ita *opinatur* D'ANNIBALE *Num. 468, 7.* — Cod. pen. *art. 299* pœnas statuit contra eos, qui licitandi libertatem impediant, etiam per dona et promissiones; item et contra acceptantes: at lex est pœnalis.

bene poterit rem eo pretio emere sibi, ac excessum sibi retinere, quando pretio majori eam vendere poterit.

Qu. 3. Utrum famuli, si in re pro domino, emenda quidpiam pretii quæsiti detraxerint, possint hoc lucrum sibi retinere ?

Resp. Generatim *negative;* cum ipsi negotium domini peragant, ejusque pecuniam expendant et conservent. Excipiendus est casus, quo constet lucrum illud unice fructum esse industriæ suæ personalis; quod ordinarie falsum est. E contra sibi retinere possunt *strenas* quibusdam temporibus dari solitas: hæ enim sunt munera vel lenocinia personalia. Item, si dominus monetam argenteam famulo tradiderit solvendam creditori, poterit famulus eam in chartaceam mutare, sibi retinendo differentiam; nisi constet dominum voluisse, ut ipsa moneta argentea creditori tradatur: at hodie res alia.

Qu. 4. Utrum sartor emens pannum pro iis, quibus vestes conficit, sibi retinere possit quantum eidem mercator remittere solet, ut ad suam officinam frequentandam alliciat ?

Resp. Affirmative; dummodo constet id agere mercatorem eo quod ejus officinam frequentat; remittere autem de eo pretio, quod juste exigere posset et alii mercatores exigere solent. Si enim mercator pretium majus exigere juste non posset, hoc imponere sartor nequit clienti suo; si et ceteri mercatores pro eo pretio minori omnibus vendere solent, hos adire debet sartor, qui utilitatem sui clientis procurare debet.

§ III. — De negotiatione.

513. *Negotiatio* proprie dicta in hoc est, quod « quis res emat, ut easdem immutatas carius vendat ». Quare ad ejus essentiam pertinet, tum quod quis eas emerit animo vendendi carius, tum quod intendat vendere immutatas; si intendat emere ut eas mutet, ut ex mutatione pretiosiores effectas pluris vendat, habetur negotiatio improprie dicta.

514. Negotiatio proprie dicta *per se* licita est. Etenim: *a*) Cum merces varia pretia habeant, licitum est eas emere infimo ac vendere summo. — *b*) Ad bonum commune conducit, quod aliqui merces aliis necessarias adunent, easque in promptu habeant aliis divendendas: hæc autem adunatio et promptitudo pretio æstimabilis est; tum, quia adunanti onerosa et periculosa est; tum, quia utilitatem præstat aliis, qui secus eas merces aut difficile aut nullatenus sibi possent comparare.

Ut negotiatio licita sit in concreto, necesse est: *a*) Quod lucrum ejusdem proportionatum sit, tum oneri negotiatoris, tum ementium utilitati; insuper *b*) nulla lege positiva prohibeatur, sive quoad materiam, sive quoad personas.

515. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quodnam pro negotiatore sit licitum discrimen inter pretium pro mercibus emendis solutum et pretium pro iisdem vendendis exigendum ?

Resp. Duplex datur norma: *a*) Cum negotiatio ad instar operis sit,

eâdem normâ statui debet justum negotiationis lucrum, qua justum operis salarium. Itaque negotiator, sufficienti habilitate præditus, et negotium habens mercibus sufficienter instructum, juste tantum lucrari potest, ut ex eo lucro convenienter pro sua conditione vivere possit. — *b*) Negotiator negotiando integre recuperare debet pretia a se pro mercibus emendis soluta; insuper, præter expensas pro mercibus conservandis et secure custodiendis necessarias, præter prævisionem quod merces quasdam non vendet et quarumdam venditarum pretium non recipiet, juste lucrari potest summæ a se solutæ interesse *commerciale*, et non modo quod legale est, sed et quod commune dicitur. — Addi potest et norma practica; usus communis negotiatorum timoratæ conscientiæ, eo tempore et eo in loco.

Qu. 2. Utrum negotiatores possint carius vendere merces, quas vendunt minutim et in parva quantitate?

Resp. Affirmative. Ratio est, quia hæc forma venditionis majores venditori parit labores et majora pericula, emptoribus majora commoda: porro utrumque elementum est pretio æstimabile.

§ IV. — De monopolio.

516. *Monopolium* etymologice est « negotiatio singularis »; nempe, ab uno in certis mercibus exercita. Distinguitur duplex: Monopolium *statûs* vel *publicum* est « potestas exclusiva vendendi certas merces, uni vel paucis a publica auctoritate concessa ». Si par facultas ab uno vel a paucis quadam societate ligatis sibi fiat, dicitur *privatum;* et in eo consistit, quod unus vel pauci emant omnes vel fere omnes merces alicujus generis, ut eas ipsi soli pretio a seipsis taxato divendant: id communiter fit ad præcavenda pericula, quæ ex effrenata mercatorum concurrentia commercio impendere possunt.

517. Monopolium *statûs* licitum est; dummodo immodicum non sit, sive quoad pluralitatem generum in mercibus, sive quoad pretium lege taxatum. Ratio liceitatis est, quia ejusmodi monopolium est unum e mediis, quibus status sibi pecunias ad publicam utilitatem procurat: quare licitum est, etsi pretium taxatum sit supra summum vulgare, quo in casu solutio hujus pretii habetur ceu tributum indirectum [30]. Ratio limitationis est, quia, si venditio omnium fere mercium uni vel paucis a satu concederetur, aut si prorsus excessivum esset pretium taxatum id cederet in detrimentum aliorum venditorum et emptorum. Exercetur communiter circa salem, pulverem nicotianum, chartas publico sigillo munitas, chininum statûs.

Huic affinis est alia species monopolii *semipublici,* quo status auctoribus et inventoribus jura et privilegia exclusiva concedit circa fructus ingenii et industriæ suæ. — Ab eo magis discedit facultas venditionis

30) Tanquerey *Num. 774;* Noldin *604;* Verm. *97.*

exclusivæ, quam medicamentorum fabricatores concedunt certis pharmacopolis, editores bibliopolis, opificiorum domini mercatoribus, etc. Neque hæc forma *per se* illicita est; nisi pretium ultra omnem rationabilem limitem augeatur, præsertim circa medicamenta aliaque vitæ necessaria.

518. Monopolia *privata* non adversantur justitiæ, si merces vendantur pretio justo, etsi summo: tamen adversari possunt caritate et justitiæ legali, si exerceantur circa merces ad usum vitæ necessarias, ut essent grana, panni, etc.; quatenus cives impediuntur ab eis emendis pretio minori. Quod si merces vendantur pretio a monopolis arbitrarie taxato, quod sit summo superius, hæc monopolia adversantur quoque justitiæ, et obligationem inducunt restitutionis; item, si pretium summum extorqueatur mediis injustis, fraudibus, minis, corruptionibus, etc. E contra nulli virtuti opponitur monopolium circa res omnino voluptuarias, ut essent numismata, statuæ, picturæ; quibus quidam addunt et ornatus mulierum. — De hisce monopoliis privatis proponimus.

519. **Quæstiones** — *Qu. 1.* Utrum pretium justum sit illud, quod vulgare esset independer a monopolio; an illud, quod in communem æstimationem inductum est ut vulgare vi ipsius monopolii?

Resp. Generatim theologi contendunt justum esse primum, injustum alterum. Ratio est, quia ipsi monopolæ per adunationem mercium, puta frumenti tempore messis, causa fuerunt, qua mercium caritas fieret, et proinde pretium injuste augeretur [31]. Alii tamen censent justum esse et alterum. Ratio est, quia ipsa adunatio frumenti non fuit injusta, cum frumentum emerint pretio tunc justo, licet minimo; ipsa ergo actualis caritas frumenti, ejusque pretii elevatio in æstimatione communi non est injusta, cum ex causa non injusta proveniat [32]. Ceterum conveniunt omnes haberi posse peccatum, et quidem grave, contra caritatem et contra justitiam legalem: haberi quoque peccatum contra justitiam, si ipsi monopolæ arbitrio suo pretium omnino exaggeratum imponant.

Qu. 2. Utrum, facto monopolio et pretio inde aucto, ceteri venditores licite eodem pretio vendere possint?

Resp. Si pretium illud ex dictis justum dici queat, *affirmative*: si sit injustum, negandum esse videtur; eo ipso quod est injustum. Verum alii theologi in hoc etiam casu affirmant, cum pretium illud jam evaserit commune; quare, licet contra justitiam peccaverint monopolæ, non injuste eo pretio ceteri utuntur [33]: sententia perdifficilis .

Qu. 3. Quid de conventione inter omnes cujusdam mercis venditores inita, de mercibus non vendendis, nisi pretio quodam determinato?

Resp. Si pretium illud justum sit, licet summum, nulla habetur injustitia: at, si pretium ultra summum taxetur, habetur vera injustitia,

31) S. Ligorius *Num. 817;* Verm. *354;* Gen. *641, III.*
32) Lessius et Molina apud Ball. *Num. 423;* Gury *914, Qu. 2.*
33) D'Annibale *Num. 470, 29.* — Cf. Gury *914 Qu. 3;* Zanin. *1321.*

et venditores tenentur ad restitutionem: excipe, si de rebus omnino voluptuariis agatur.

Huic monopolio venditorum non raro opponi solet simile monopolium emptorum, quod *boycotagium* dicitur. Si hi conveniant de non emendis mercibus, nisi pretio infimo intra limites justi, immunes sunt ab injustitia; secus vero, si pretium injustum solvere velint, et hac ratione cogant venditores (qui ex negotiatione vivere debent), ad merces eo pretio injusto divendendas.

Patet tum *monopolia*, tum *boycotagia*, plurimum obesse posse libertati commercii et publicæ tranquillitati, si consociationes istæ, sive venditorum sive emptorum, freno conscientiæ christianæ non adstringantur. Quia vero id raro hodie contingit, inde necesse est, quod tum illa, tum ista, per publicam auctoritatem intra certos limites legibus et severis sanctionibus constringantur 34.

520. **Scholion.** — **I.** *De permutatione.* — Permutatio est « contractus, quo quis se obligat ad rem aliquam (diversam a pecunia) alteri dandam, ut aliam accipiat » 35. Hinc permutatio est contractus consensualis; ac generatim iisdem normis regitur, quibus emptio-venditio. Norma fundamentalis est, ut inter datum et acceptum æqualitas moraliter servetur ; ita tamen, ut onus gravius incumbat parti illi, cujus magis interest permutatio.

II. *De cambio* — *Cambium* est « permutatio pecuniæ cum pecunia ». Quæ permutatio fieri potest multipliciter: pecunia unius regionis cum pecunia regionis alterius; pecunia aurea cum papyracea, vel viceversa; moneta valoris majoris cum pluribus monetis valoris inferioris; etc.: hæc forma dicitur cambium *manuale* vel *minutum*. Huic contractui accedere potest et aliud cambium *locale*, aut *temporale;* quo campsor, pecuniam hodie et hoc loco accipiens, se obligat ad pecuniam alio in loco vel alio tempore tradendam.

Patet cambium esse speciem quamdam negotiationis. Hinc ad ejus justitiam maxime pertinet, quod *campsor* tradat *campsario* pecuniam validam et pro suo vero valore; simul ab eo recipiens mercedem, quæ suo operi suisque periculis respondeat. Norma practica est, ut serventur leges civiles et praxis campsorum timoratæ conscientiæ 36.

CAPUT II.

DE MUTUO FENERATIVO

521. *Mutuum fenerativum* definiri potset « contractus commutativus, quo quis summam pecuniæ (vel rem quamlibet fungibilem) tradit

34) Cf. VERMEERSCH *loc. cit.;* MARC *1139.*
35) Cod. civ. *art. 1549;* agit usque ad art. *1555.*
36) Plura GURY *Num. 927-930;* D'ANN. *473, sequ.;* GEN. *622;* NOLDIN *616, sequ.*

alteri cum onere, ut hic suo tempore, præter summam traditæ æquivalentem (vel rem pro tradita fungentem), sibi solvat etiam pretium valori utilitatis in ipsum translatæ respondens ». Objectum hujus contractus communiter hodie est pecunia, quæ sub hoc respectu *capitale* dicitur: pretium dicitur *fenus* (pecuniæ fetus, fructus), *usura, auctarium, interesse*. Contractus ipse a diversis diversa habet nomina: *mutuum sub usuris, mutuum feneraticium, mutuum pecuniarium, contractus crediti, creditum, præstatio ad creditum,* etc.

Dicimus: *a*) De liceitate mutui fenerativi; *b*) de justo fenore.

ART. I. — De liceitate mutui fenerativi

522. Utrum contractus iste (præcisione facta a titulis extrinsecis, qui pro ipso mutuo simplici aliquid ultra sortem exigere permittunt) licitus sit, diu et acriter inter ipsos theologos controversum fuit; præsertim ex eo, quod ejus liceitas difficile componi posse videbatur cum doctrina Ecclesiæ et quibusdam S. Scripturæ locis. Demum ex ipsa disceptatione lux aliqua effulgere cœpit; Ecclesia ipsa mentem suam clarius, licet pedetentim, aperuit: ipsa adjuncta socialia, præsertim post institutas *Arcas parcimoniales* et *Mensas bancarias*, indolem quæstionis a priori statu in alium transmutarunt: inde factum est, ut hodie in ejus liceitatem theologi omnes consentiant.

523. Quæstionem, pro more recentium, agimus diserte de præstatione pecuniæ; licet rationes quædam militare possint pro præstatione cujuscumque rei, quæ et utilis sit et fungibilis. Insuper contractum hunc spectamus sub respectu justitiæ tantum. Præstatio enim pecuniæ sub exigentia fenoris posset et justa simul esse et illicita; utpote in casu concreto opposita caritati, quæ jubeat mutuandum esse gratis: ceterum, si contra caritatem peccat qui mutuet sub exigentia fenoris, multo gravius peccabit qui omnino renuat mutuare.

524. Thesis: *Non est injustus contractus, quo quis, tradens alteri summam pecuniæ statuto tempore restituendam, ab eo exigat pretium respondens valori utilitatis in ipsum translatæ.*

Probatur: 1.° Ea traditio pecuniæ quoad tradentem est privatio temporanea rei, quæ ex hodiernis societatis adjunctis vere fecunda et frugifera est, non minus quam domus, vel machina, aut fundus. Porro injustum non est quod tradens ejusmodi rem pro talis rei privatione pretium exigat; et quidem, tum quando ex ea re fructus perciperet, tum quando eam infructuosam servaret. Eadem ratione traditio pecuniæ quoad accipientem est acquisitio utilitatis pretio æstimabilis: ergo injustum non est quod alter pro collata alteri utilitate pretium ab eo exigat [1].

2.° Omnes leges civiles hodiernæ hujusmodi contractum licitum

1) Cf. Génicot *Num. 626;* Palm. ad *Num. 347*: Verm. *375;* Noldin *681*.

habent, ac fere omnes pretium ipsius legale determinant. Porro quoad sensum istarum legum satis recepta est apud hodiernos theologos sententia Ballerini: « Lex perceptum ex mutuo lucrum non facit justum, sed justum reperit ».

3.° Sedes Apostolica, *a*) pluries de liceitate fenerationis interrogata, independenter a quocumque titulo externo, etiam legis civilis, respondit auctores ejusdem (dummodo parati sint stare mandatis Ecclesiæ) inquietandos non esse [2]: porro hæc formula « non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significat » [3]. — *b*) Eadem, interrogata de quantitate fenoris juste exigibilis, de re quæsita respondit; quod indirecte significat fenus in genere illicitum non haberi.

4.° Theologi fere omnes, ab altera parte sæculi elapsi, quoad summam rei, liceitatem fenoris ex præstatione pecuniæ percipiendi, et admittunt et diserte tuentur; licet non omnes ad apicem conveniant in forma theseos ejusque-rationibus exponendis: agmen ducit, nostrorum temporum in materia justitiæ princeps, Ballerini [4].

Objectiones movebantur et graves et plurimæ; quarum expositio ac discussio modo ad eruditionem pertinet [5]. Unam attingimus ex Jure novissimo, quod docet: « Si res fungibilis ita alicui detur, ut ejus fiat et postea tantumdem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest » [6].

Resp. *a*) Hic agitur de casu, quo expresse in mutuando conventum sit ut res detur et postea *tantumdem* in eodem genere restituatur: quo in casu mutuum esset gratuitum. — *b*) In altera ejusdem Canonis parte admittitur, ut in præstatione rei fungibilis de lucro paciscatur, clare præscindendo a quovis titulo extrinseco: porro « lex perceptum ex mutuo lucrum, non facit justum sed reperit ». — c) Ipsum Jus novissimum admittit titulos ad latorem in alios magis aut saltem æque tutos ac frugiferos commutari posse [7]: ergo supponit ipsa bona ecclesiastica posse titulis frugiferis investiri, prout jam sæpe Sedes Apostolica permiserat et suaserat: porro hæc investitio tandem aliquando species est fenerationis.

525. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum liceat fenus exigere a pauperibus?

Resp. Quantum ad justitiam pertinet, *affirmative;* quantum vero ad caritatem, tunc licet, cum, juxta dicta superius, nulla adsit obligatio mutuandi gratis.

2) Decreta apud Ball. ad *Num. 276;* Genn. *Cons. mor. XIII, LXIV;* Tanqu. *891-895,* etc. — Quoad hæc mandata, cf. Lehmk. *Casus 864, sequ.*

3) S. Ligorius *Num. 765;* interpretationem theologi communiter sequuntur.

4) Ballerini *Num. 280-347:* posteriores communiter; recentissimi omnes.

5) Cf. Tanqu. *Num. 867-898;* Verm. *308-362, 376, sequ;* Gén. *120;* Ferreres *1018-1022.*

6) Codex *Can. 1543.* — Cf. Noldin *Num. 586.*

7) Codex *Can. 1539* § 2.

Qu. 2. Utrum liceat fenus exigere pro mutuatis rebus aliis a pecunia ?

Resp. Saltem ex Jure positivo, *affirmative*. Dicimus: *saltem ex Jure positivo;* quædam enim e rationibus allatis competunt cuilibet præstationi *ad usum*, quæcumque sit ejus materia. — Verum, si rei præstitæ valor tempore restitutionis auctus fuerit, videtur hoc augmentum in fenore computandum esse; si decreverit, mutuans exigere poterit compensationem.

Qu. 3. Utrum liceat fenus exigere, si de eo in contrahendo conventum non fuerat ?

Resp. Regulariter, *negative*: forte enim mutuatarius, re cognita, mutuum non acceptasset. Tamen, si agitur de summa notabili saltem ad annum præstita, et quidem viro erga quem nulla esset obligatio mutuandi gratis, solutio fenoris facile habenda est ut subintellecta. Insuper, si mutuatarius omittat summam acceptam suo tempore restituere, tenetur a die moræ solvere fenus legale, etsi de eo conventum non fuerat 8. — Quod fenus legale solvendum quoque est, quoties de fenore conventum fuerat, minime vero de ejusdem mensura.

ART. II. — De justo fenore

526. *Fenus*, vel *interesse*, in Jure nostro duplex distinguitur: *legale*, et *conventionale*. Recenti lege interesse *legale* statuitur in materia commerciali quinque pro centum; applicari autem debet in casibus, in quibus fenus debetur quidem, at stipulatione definitum non fuit 9. Patet dari posse et interesse *vulgare*, quod ex communi pro diversis locis ac temporibus æstimatione pendet; insuper et *conventionale*, quod libera contrahentium voluntate statuatur.

527. Elementa ad definiendum fenus justum tria sunt: *a*) Beneficium, quod dans tribuit accipienti; *b*) detrimentum, quod ordinarie obvenit mutuanti; *c*) circumstantiæ specialis periculi quoad sortem proventis ex conditione personæ accipientis. — Ex capite primo, haberi debet ut justum interesse legale; quare hoc certe exigere licet, quoties alia duo elementa in casu concreto desint. — Ex altero capite, certe aliquatenus augendum est interesse justum ultra legale; auctionis autem norma esse poterit ipsum pretium vulgare: nempe « praxis communiter servata ab hominibus timoratæ conscientiæ respectivis in locis et temporibus » 10. — Ex capite tertio, num et quantum addi liceat super fe-

8) C. c. *art. 1231.* — At obligatio instar pœnæ est, ideoque in foro conscientiæ (excepto casu culpæ theologicæ) post judicis sententiam urget: e contra, propter moram in solutione pretii debiti ex re empta, obligatio fenoris viget ex naturali æquitate; ideoque ante sententiam. D'Ann. *Num. 539.*

9) Ita Lex data die 28 junii a. 1905, per quam modificatus fuit *art. 1831* Codicis civilis; apud *Monit. eccles.* XVIII. 90.

10) Hæc norma data fuit a S. Pœnit. 18 aprilis 1889. — Cf. Marc *Num. 1112.*

nus vulgare, definiendum erit in singulis casibus; certe hoc periculum longe frequentius hodie habetur, cum frequentissimæ sint obærationes et bonorum cessiones (dolosæ et non dolosæ), ex quibus perquammaxime concussa est fides publica 11.

528. Itaque D'Annibale, cujus ætate legale erat interesse quinque pro centum in civilibus, sex pro centum in commercialibus, ita circa justum fenus totale suam opinionem promebat: « Regulariter non immodicas esse dixerim usuras septunces; immodicas supra decunces; quæ vero inter has tenent, ab Episcopis dijudicandas esse ex peculiaribus tum personarum, tum rerum adjunctis, sed caute et sobrie » 12. Cum vero ab ejus tempore valor pecuniæ decreverit ac ideo depressum fuerit interesse legale, patet et deprimendum esse etiam totale vulgare, ut hoc æstimari debeat medium esse inter *sex* et *novem* pro centum, utroque limite comprehenso.

529. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum liceat *anatocismus*, h. e., exigentia fenoris de fenore (*interesse composto*)?

Resp. Per se, *affirmative;* servato more communi, ut reditus non censeantur in capitale coalescere, nisi integro anno decurrente, ac insuper id fuerit in ipsa stipulatione conventum. At in Jure nostro ea stipulatio invalida decernitur, tribus casibus exceptis: *a)* Si agatur de commercialibus; *b)* si in rebus civilibus conventio fiat post fructus maturatos, anno integro elapso; *c)* si agatur de reditibus jam maturatis diversis a mutuo, puta de pretio locationis 13.

Qu. 2. Utrum mutuans pacisci possit pro fenore aliquam operam sibi a mutuatario præstandam?

Resp. Dummodo hæc præstatio sit pretio æstimabilis et fenus justum adæquet, *affirmative.* — Secus vero, si præstatio imposita fenus justum excedat; aut multo magis, si hæc præter ipsum fenus imponatur, etsi nullum incommodum afferat mutuatario. Ejusmodi esset obligatio, ut hic mutuantis officinam vel apothecam pro rebus sibi necessariis adeat, ut ejus agros justa mercede colat, ut eidem in posterum forte indigenti mutuet, etc. E contra posset eidem imponere aliquid jam debitum ex justitia; puta, ut damnum illatum reparet 14.

Qu. 3. Utrum mutuatarius repetere possit usuras, quas indebitas, vel ultra mensuram debitam, ignorans vel errans mutuanti solvit?

Resp. Hujusmodi repetitio quidem in Jure civili non admittitur 15. Tamen, si mutuans accepit eas mala fide, videtur ad eas restituendas teneri ratione doli; si bona fide, videtur uti posse facultate sibi concessa a lege, etsi ex illis ditior factus fuerit.

11) Huic periculo multum tribuit Gennari *Consult. mor. LXIV. Num. 8.*
12) D'Annibale *Num. 535.* — Loquitur de fenore exigibili in Italia.
13) C. c. *art. 1232, 1233.* — Cf. et responsum S. Inqu. die 18 aug. a. 1858, apud Ball. pag. 613, et Gennari *Cons. LXIV. 12.*
14) Cf. D'Annibale *Num. 536;* Alberti *29;* Scav. *574.*
15) C. c. *art. 1830.* — Cf. D'Annib. *Num. 537.*

Qu. 4. Quid, si in mutuando stipulatum fuerit fenus conventionale excessivum ?

Resp. In foro conscientiæ stipulatio invalida est, etiam si sub specie cujuscumque contractus *palliata* fuerit. Hinc mutuatarius, cujus necessitate urgenti mutuans abusus est, non tenetur solvere excessum supra fenus summum justum; nec mutuans potest illum exigere vel exactum retinere, nisi ei constet mutuatarium voluisse excessum sponte donare. Hoc est fenus illud *usurarium*, quod ex Jure canonico (præter quam ex naturali) erogandum est in causas pias, si forte ipsi mutuatario restitui non valeat. — Ad hoc periculum præcavendum in Jure civili statuitur, ut fenus conventionale, si mensuram legalis excedit, stipulari debeat scripto, et quidem sub pœna quod secus nullum debeatur 16.

Qu. 5. Quid de mutuo in materia ecclesiastica ?

Resp. Ex Jure novissimo, « in præstatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro majore, si justus ac proportionatus titulus suffragetur » 17.

CAPUT III.

DE LOCATIONE RERUM

530. *Locatio rerum* est « contractus, quo quis se obligat ad cedendam alteri fruitionem rei suæ pro tempore determinato, mediante determinato pretio, ad quod illi solvendum sese obligat alter » 1. Prior dicitur *locator*, alter *locatarius* vel *conductor*. Objectum locationis possunt esse res immobiles; ut domus, prædium, opificium stabile, etc.; item et res mobiles; ut essent animalia, mobilia, automobilis, birota, etc.: dari potest et locatio mixta; puta prædii cum animalibus et instrumentis, domûs cum utensilibus. Pretium justum locationis potest esse summum, medium vel minimum, juxta communem æstimationem; at dari potest licitum augmentum ex affectu locatoris, et forte etiam ex affectu locatarii.

Contractus fieri potest sive scriptis publicis aut privatis, sive verbis: at locatio immobilium ultra novennium fieri debet per actum publicum vel per scripturam privatam sub pœna nullitatis; nec fieri potest ab iis, quibus vi legis permittuntur tantummodo actus simplicis administrationis: item generatim prohibetur quæcumque immobilium locatio ultra annos triginta 2.

16) C. c. *art. 1831.* — Num usurarius suos faciat fructus fenoris usurarii, disputatur. Cf. S. Ligorius *Num. 783;* Ber. *2306.*

17) Codex *Can. 1543,* coll. *Can. 1529.* — Cf. Tummolo *Num. 861.*

1) C. c. *art. 1569;* agit usque ad *art. 1626.* — De locatione bonorum ecclesiasticorum, Codex *Can. 1532* § *3, 1541* § *2 n.* e.

2) C. c. *art. 1314, 4; 1572.*

531. Ad justitiam contractus requiritur quod pretium respondeat objectivo valori rei locatæ, seu ejusdem aptitudini ad utilitatem. Quoniam vero id perdifficile est in singulis casibus judicare, nedum in re *per se* infructuosa, ut esset domus vel machina, sed et in re *per se* frugifera, ut esset prædium [3], ideo maxime attendendum est ad æstimationem communem et ad praxim hominum timoratæ conscientiæ in singulis locis et temporibus, quibus contractus initur. — Quandoque, præter rationes justitiæ, attendendæ sunt et rationes caritatis, sive quoad ipsum conractum faciendum vel non, sive quoad conditiones ejusdem.

532. *Obligationes locatoris.* — *a*) Locator tenetur rem locatam tradere, eamque in eo statu conservare, quo huic utilis esse valeat; item ejusdem pacificam fruitionem eidem assecurare pro toto tempore locationis. — *b*) Respondere debet de vitiis rei locatæ, quæ ipsius usum impedirent; item de molestiis, quæ conductori inferantur a tertia persona titulo alicujus juris circa rem locatam. — *c*) Durante locatione, non potest rei locatæ formam mutare; tenetur vero facere necessarias reparationes, exceptis minoribus, quæ ex usu incumbunt conductori. — *d*) A locatario exigere non potest pretium ultra summum justum; etiam, si videat hunc versari in absoluta necessitate conducendi domum quocumque pretio.

Obligationes locatarii. — *a*) Locatarius tenetur re locata uti tamquam bonus paterfamilias, et ad usum in contractu determinatum; deficiente conventione, usus præsumendus est ex circumstantiis. — *b*) Solvere debet locatori pretium locationis juxta terminos stipulatos. — *c*) Rem suo tempore restituere debet locatori in eo statu, quo ei tradita fuerat; de ejus interitu, sive totali, sive partiali, respondere debet in conscientia, si ex sua culpa theologica provenerit; imo et si damna illata fuerint utcumque a se vel a suis, debet ea reparare, nisi probet ea absque sua culpa (juridica) evenisse; est enim obligatio tacite assumpta vi ipsius contractus. — *d*) Locatarius facere debet reparationes ordinariæ manutentionis, quæ locorum consuetudine determinantur: excipitur casus, quo reparationes necessariæ fiant ex rei vestustate vel vi majore; item et alter, quo in ipso contractu aliter conventum fuerit. — *e*) Idem potest alteri rem locatam sublocare; nisi id pacto speciali exclusum fuerit.

533. *De cessatione locationis.* — Locationis contractus resolvitur: *a*) pereunte re locata; *b*) labente tempore locationis; *c*) mutuo consensu locatoris et locatarii. Minime vero resolvitur morte sive locatoris, sive locatarii; neque per venditionem rei locatæ, nisi aliter in ipso contractu conventum fuerit. Si locatio facta sit pro tempore indeterminato, locator, qui a contractu recedere vult, tenetur dimissionem locatario intimare antecedenter, tempore juxta morem regionis conveniente: simili obligatione tenetur et locatarius.

3) Quænam sit quota maxima locationis prædii, disputant et in diversas abeunt sententias, POTTIER *De jure et just. Num. 233;* VERM. *454.*

534. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum liceat rem conducere a possessore injusto, et quidem malæ fidei ?

Resp. Negandum esse videtur. Fit enim injuria legitimo domino, non modo, si ipse privetur dominio rei suæ, sed etiam si privetur rei suæ usu aut usufructu 4.

Qu. 2. Utrum locatarius domus teneatur erga locatorem de damnis, si domus, aut tota, aut ex parte, incendio perierit ?

Resp. a) Si incendium excitatum fuit ex ejus culpa theologica vel ex ejus negligentia theologice culpabili, *affirmative*, ante quamcumque judicis sententiam;; hinc nec potest causam veram obtegere, ut ab onere compensandi sese eximat. — *b*) Si causatum fuit ex culpa juridica, sive ab eo, sive ab iis, quorum curam habet, certe tenetur post sententiam judicis 5. — *c*) Si causatum fuit absque ulla ipsius aut suorum culpa, hoc autem ipse probare non valeat, vi legis ad damna compensanda obligatur; at profecto non ante sententiam judicis; imo nec videtur post sententiam teneri in conscientia, si certo novit incendium evenisse absque ulla culpa sua, aut eorum, quorum curam habet 6.

Qu. 3. Utrum conductor prædii teneatur pretium solvere domino, si ex prædio propter grandines aut alia infortunia fructus, aut nullos, aut valde exiguos retulit ?

Resp. a) Si agitur de locatione ad annum, et fructus saltem ex dimidia parte perierunt antequam e solo separati fuerint, lex civilis locatario concedit jus exigendi pretii diminutionem pro rata; qua concessione locatarius uti potest in conscientia. — *b*) Si locatio annua sit et fructus ex minore parte perierint, nullum jus competit locatario; at æquitas naturalis et usus communis dominorum timoratæ conscientiæ postulat, ut locator nonnihil de pretio diminuat, ut locatarius cum sua familia vivere possit. — *c*) Si locatio sit ad annos plures, generatim alicujus anni sterilitas in ipso contractu prævidetur et computatur: ceterum elapso integro locationis tempore jactura totalis æstimanda est, et adæquatio aliqua sive amicabiliter, sive judicialiter componenda est.

Qu. 4. Quid agendum locatori domus, si locatarius locatione finita abire recuset ?

Resp. Agere debet judicialiter. Privatim non potest inquilinum expellere, aut ejus mobilia domo ejicere: tamen « ei licet propria auctoritate abuti re sua, ex. gr., domus locatæ portas, fenestras, culmina removere; quia dominii jure utitur » 7.

4) Cf. GENNARI *Quest. mor. Num. 493.* Contra putat D'ANN. *Num. 286;* qui *opinatur* eam conductionem licere, « etsi dominus prohibeat, quando nullo afficitur damno ».

5) C. c. *a. 1589* — Lex præsumit incendium fieri culpâ habitantium.

6) Cf. TANQUEREY *Num. 781 C.* — At si pactum fuerat, quo locatarius ignem non haberet, et contra pactum habuit, et inde casu incendium exarsit, locatarius certe tenetur vi pacti violati. D'ANN. *Num. 429, 9.*

7) D'ANNIBALE *491, 3.* — Si inquilinus pretium locationis non solvat, locatori competit privilegium in sequestratione mobilium; ex C. c. *art. 1958.*

535. **Scholion.** — **I.** *De emphyteusi* et *feudo.* — *Emphyteusis,* inter venditionem et locationem media, definitur « contractus, quo quis alteri in perpetuum vel ad tempus fundum concedit cum onere illud meliorandi et solvendi sibi annuam præstationem, pecuniâ vel victualibus constantem » 8. Ea locatio est, quatenus dominium fundi penes priorem proprietarium remanet, qui dici solet *directarius;* simul vero accedit venditioni, quatenus liberum est *emphyteutæ* fundum redimere solvendo capitale annuæ præstationi respondens juxta interesse legale; quinimo et antea, non modo fructibus gaudet, sed et accessionibus, thesauris, fodinis; ac demum de fundo emphyteutico disponere potest per actum inter vivos vel per testamentum.

Feudum in hoc differt ab emphyteusi, quod feudatarius, seu vassallus, non tenetur solvere domino præstationem realem, sed tantum fidelitatem et obsequium personale.

II. *De censu.* — Census est « contractus, quo quis aut alteri cedens aliquod immobile sibi reservat, aut ei tribuens aliquam summam sibi acquirit, jus percipiendi annuam præstationem, pecuniâ vel victualibus constantem » 9. Qui sibi jus reservat aut acquirit, dicitur *censualista;* qui onus assumit solvendi, *censuarius.* Patet hujusmodi contractum per se licitum esse. Ut vero licitum sit in concreto, necesse est quod præstatio solvenda respondeat fructibus rei immobilis aut licito fenori pecuniæ. Ipse census, seu debita præstatio, semper redimi potest a censuario; ex Jure positivo redimi nequit a censualista, quousque censuarius oneri assumpto satisfacit.

CAPUT IV.

DE LOCATIONE OPERÆ

536. *Locatio operæ* est «contractus, quo quis sese obligat ad usum suarum facultatum personalium pro certo tempore in favorem alterius præstandum, mediante pretio illi ab altero solvendo ». Prior dicitur *locator,* alter *conductor;* contractus indifferenter *locatio, conductio, conductio-locatio,* vel *contractus laboris ad tempus.* Objectum hujus contractus potest esse usus facultatum sive intellectualium, sive corporalium, doctrina, ministerium, officium, famulatus, labor, etc. Pretium pro diversis personis diversa habet nomina: pro famulis *merces;* pro operariis *merces, salarium;* pro magistris, officialibus publicis, etc. *stipendium;* pro supremis præfectis *honorarium;* pro regibus *lista civilis.* Nos indiscriminatim utemur vocibus « *merces, salarium* » 1; cum tractatio nostra

8) C. c. *art. 1556;* agit usque ad *art. 1567.*
9) C. c. *art. 1778-1788.* — Cf. D'Ann. *Num. 506-513.*

1) « *Merces* dicitur quod alicui recompensatur pro retributione operis, vel laboris, quasi quoddam *pretium* ejus ». S. Thomas *I: 2. Qu. 114 art. 1.* — *Salarium* dictum a *sale,* quo nihil magis victui necessarium.

potissimum respiciat operas ordinis inferioris, cujusmodi sunt famulorum et opificum. Pretium solvendum esse statuitur pro ipsa opera, seu ad tempus: horarium, diurnum, menstruum, annuum.

ART. I. — De ipso contractu in se

537. Contractus iste *per se licitus* est. Etenim homo habet suarum facultatum personalium dominium utile; ac proinde de ipsis disponere potest in favorem, tum sui, tum aliorum. Insuper ipse earum facultatum usus est pretio æstimabilis; tum, quia ipsi utenti onerosus esse potest; tum, quia utilitates pretio æstimabiles afferre potest illis, in quorum favorem ordinatur. Quare concedi quidem potest socialistis aptius dignitati opificum consulere contractum societatis, quo herus capitale, opifex operam conferat; tamen neque justitiæ neque humanæ dignitati repugnat contractus *laboris*, quo opifex pro certa mercede hero suam operam locet [2].

Ut vero contractus locationis operæ licitus sit in concreto, tria haberi necesse est: *a*) Ex parte *operantis*, nullum ipsius magis necessarium officium per ipsum contractum impediatur; *b*) ex parte *operæ*, hæc nulli opponatur virtuti; *c*) ex parte *conventionis*, hæc justa sit. — Itaque.

1.° Ex parte *operantis*, illicita est ea locatio, quæ impediat hominis officia erga Deum; ut esset labor festivus: vel officia erga se ipsum; ut esset labor gravitate aut duratione excessivus in periculum adducens valetudinem: vel officia erga familiam; ut esset labor matrisfamilias extra domum suam.

2.° Ex parte *operæ*, illicita est ea locatio, qua quis se obliget ad actiones moraliter malas; puta, ad cooperandum negotiationi iniquæ, impressioni librorum turpium, furtibus, etc.

3.° Ex parte *conventionis*, illicita est et injusta ea locatio, qua merces injusta stipuletur; sive excessiva sit ex parte locatoris, sive exigua ex parte conductoris: neque ab injustitiæ labe immunis fit conventio ex eo, quod aut ille aut iste ad stipulandum ex necessitate compellatur.

Inito contractu, mutuæ incumbunt obligationes, tum domino vel conductori erga operarium, tum operario erga dominum vel conductorem [3]; de hisce dicimus in tractatu *De præceptis Decalogi*.

ART. II. — De justa mercede

538. Quamvis tractatio generalis sit, eam restringimus ad classem opificum; facile dein erit theorias ad alias classes applicare. Ipsum opificem consideramus in conditionibus communibus positum: qui, nempe, peritia et viribus ordinarie requisitis polleat, et omnes operas suas in utilitatem heri vel conductoris præstet. Demum supponimus agi de opera,

2) Cf. Vermeersch *Num. 395, 2;* Tanqu. *790;* Noldin *603, 2.*
3) Plura Pottier *De jure et just. Num. 184-194;* Verm. *455-469.*

quæ conductori ad suum finem consequendum necessaria sit; ita ut iste, propriam utilitatem intendens, cum operario contractum vere commutativum ineat. Nomine *conductoris* comprehendimus herum, operis redemptorem, magistrum.

Justitia conductionis vel locationis operæ in hoc est, quod inter valorem operæ, quæ instar mercis est, et mercedem, quæ est quoddam ejus pretium, æquatio moralis habeatur. Porro ad hanc æquationem determinandam objective duo elementa concurrunt: *a) Opera*, et *b) operarius*. Superest, *c)* ut, supposita objectiva mercedis justitia, quoniam merces justa multiplex esse potest, de una vel alia inter operarium et conductorem stipulatio fiat.

539. **Principia. I.** Ex parte *operæ* : Ut merces justa sit, respondere debet valori operæ, tum prout ea est locatori onerosa, tum prout apta est utilitatem parere conductori. Ratio est, quia « merces est quoddam pretium operis vel laboris » [4].

II. Ex parte *operarii* : Merces saltem ea esse debet, quæ « alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud impar sit ». Ratio est, quia « manere in vita commune singulis officium est, cui scelus est deesse : hinc jus reperiendarum rerum, quibus vita substentetur, necessario nascitur; quarum rerum facultatem infimo cuique nonnisi quæsita labore merces suppeditat » [5].

III. Stipulatio de quantitate mercedis, inter conductorem et operarium inita, utrumque obligat ex justitia; dummodo ea, secundum se et communem æstimationem, intra limites justæ mercedis contineatur; sive ea summa fuerit, sive media, sive minima.

540. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Quo major vel minor erit operæ præstantia in ordine ad utilitatem, major vel minor erit justa merces. Ita: *a)* Inter officiales publicos, hic erit justæ mercedis ordo, ut primum locum teneat rex; cui ex ordine succedent ministri, præfecti, subpræfecti ceterique officiales minores. — *b)* In ordine ad curandos infirmos, primus erit chirurgus vel medicus, cui succedent pharmacopola, infirmarius, adsistens, etc. — *c)* In domo ædificanda architectus, dein operis redemptor, magister, cæmentarii, operarii manuales, fossores, laterum vectores, etc.

2.ª Quo major vel minor erit labor et majus vel minus in laborando periculum, major vel minor erit justa merces. Ita major debetur merces

4) S. THOMAS *loc. cit.*; vide et *2. 2. Qu. 57 art. 1*, et *Qu. 77 art. 1.* — Cf. GENNARI *Cons. mor. LXXIX.*

5) LEO XIII *Rerum novarum* 15 maji 1881. Exponunt, VERM. *Num. 419;* fusius POTTIER *195-220;* qui et ostendit huic doctrinæ non obstare veteres theologos.

cædenti metalla, quam custodienti instrumenta cæsiva; major opifici eruenti e caveis petroleum, quam famulo ordinario, janitori, etc.

3.ª Quod ex opera operarii utilitas realiter pariatur conductori, sive ingens, sive parva, sive nulla, id *per se* nihil pertinet ad justitiam mercedis; non enim operarius cum conductore societatem iniit, sed ei suam operam locavit 6.

541. *Ex Princ. II.* — 1.ª Ad justam operarii mercedem non requiritur quod hic ex ea indulgere valeat crapulæ, turpitudini, luxui aut oblectamentis immodicis.

2.ª Pro diversitate locorum diversa poterit esse justa operariorum merces; puta, alia in urbe, alia in oppido rurali.

3.ª Si quando cariora fiant pretia earum rerum, quæ ad victum, et habitationem necessaria sunt, necessario et augenda est operariorum merces, ut justa sit.

4.ª Etsi merces valori operæ respondeat, nondum justa est, nisi saltem ad minimum limitem pertingat, quo opifici frugi ac bene morato alendo sufficiens sit.

542. *Ex Princ. III.* — 1.ª Non omnis de opera et de mercede stipulatio inter conductorem et opificem inita justa est: necesse est quod et libere inita fuerit, et merces alendo opifici sufficiat.

2.ª Facta libere conventione de mercede quæ minima esset, eam operarius servare tenetur ex justitia; hinc injuste operam minueret aut mercedem usque ad limitem justæ supremæ sibi usurparet.

3.ª In simili conventione de mercede summa, injuste conductor operas augeret, aut quidpiam de stipulata mercede detraheret.

543. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quænam sunt alimenta, quibus comparandis haud impar esse debet salarium operarii?

Resp. Sunt: *a*) quæ ipsi ad congruam sustentationem necessaria sunt pro diversa conditione, magistratus, ludimagistri, artificis, fossoris. — *b*) Hæc sibi debet comparare etiam pro tempore, quo operari non poterit: puta pro diebus festis, pro tempore infirmitatis ordinariæ, pro senectute. — *c*) Simul comparare sibi debet congruam habitationem, vestes, aliquas honestas recreatione, abundantiores diebus festis potationes; etc. Verum ne quid nimis!

Qu. 2. Salarium debet ne par esse alendæ quoque operarii familiæ?

Resp. Quæstio inter recentes theologos valde controversa: *a*) Quidam dicunt ex justitia commutativa operario solvendum esse tantum salarium *individuale;* h. e., alendo ipsi operario sufficiens. — *b*) Alii, et in primis socialistæ, volunt ipsum esse *familiale relativum;* h. e., sufficiens ad prospiciendum familiæ operarii, quæcumque sit ejus conditio quoad membrorum numerum, valetudinem, etc. — *c*) Alii, et plures,

6) VERMEERSCH *Num. 402, 408.* — Certe ad fovendam mutuam inter varios ordines amicitiam confert, quod et operarius ex insolito lucro quidquam participet.

volunt esse *familiale absolutum;* h. e., sufficiens ad prospiciendum familiæ in conditionibus ordinariis constitutæ; puta, in qua vir prudens et sobrius, mulieri prudenti ac morigeræ conjugatus, ex ea duos vel tres filiolos habeat; vel, si habet plures, ex eis unus vel alter, et forte ipsa quoque uxor, ad sustentationem familiæ quidpiam suis laboribus conferant. — Quoad rationes:

Sententia prior tribus innititur argumentis: *a*) Merces operario debetur, tamquam pretium operæ ipsius; porro opera individualis est; ergo et merces. — *b*) Leo XIII, loquens ex professo de operariorum salario, rationes affert, quæ soli salario individuali conveniunt: « alendo opifici haud imparem esse mercedem oportere ». — *c*) Ad quæstionem: « num peccet herus, qui solvit mercedem opificis sustentationi sufficientem, sed imparem ipsius familiæ alendæ? », theologus romanus ex commissione, ut dicitur, Pontificis respondit: « non peccabit contra justitiam » 7.

Secunda sententia, quæ hodie vix ullum habet inter catholicos patronum, has afferebat rationes: *a*) Operarius ex labore suo sibi comparare debet quidquid necessarium est ad sua officia exsequenda; porro, quantumcumque numerosa sit operarii proles, « sanctissima naturæ lex est, ut victu omnique cultu paterfamilias tueatur quos procrearit ». — *b*) Insuper merces par esse debet operario alendo, attenta qualitate personæ alendæ; quare, si alendus sit uxoratus, jus habet ad honestam sustentationem pro se, uxore ac liberis 8. — *c*) Ad bonum commune valde confert, quod operarii ex suo labore media comparent, quibus valeant matrimonium inire et susceptam prolem alere. Ergo saltem ex justitia legali operario ea merces debetur, quæ sibi suæque uxori suisque liberis sufficiens sit; imo ea debetur quoque ex justitia commutativa, cujus motivo mercedem familialem solvendam esse jubet justitia legalis.

Sententia tertia generatim utitur argumentis sententiæ secundæ, eorumdem valorem restringens ad salarium familiale absolutum. Ratio restrictionis est, quia objectum justitiæ est *medium rei;* ac proinde, si quando indirecte personas respicit, eas considerat juxta conditionem mediam, seu ordinariam. — Hanc sententiam, sub una vel altera forma demonstrationis, tenent fere omnes theologi et œconomistæ catholici: quare ea sententia videtur esse moraliter certa 9.

Dicimus: « *videtur esse* ». Fautores enim hujus sententiæ admittunt omnes hoc salarium familiale absolutum deberi operario ex justitia

7) Responsa apud *Monit. eccles.* VII. P. II. 155, et VERM. *Num. 420*: at data non fuerunt ab ulla Congregatione romana. Huic opinioni adhærent GENN. *Cons. cit. 2, g;* GÉN. *647, 2;* TURINAZ *Le salaire famil.*, apud TANQU. *818;* ORLIC *L'uso dei beni nella morale di S. Tommaso* pag. 20.

8) ESCHBACH apud TANQU. *loc. cit.* — Huic opinioni favere videretur POTTIER *Num. 227, coll. 205*: at. cf. quoque *Num. 228.*

9) Ita, præter Liberatore, Steccanella et alios, VERM. *Num. 429, 430, 437-440;* NOLDIN *611, 2;* POTTIER *221-232;* LEHMK. *1396* (Ed. XI); MARRES *De just. et jure* II. 333; PERIN *Premiers principes sur le juste salaire*: in eam inclinant TANQU. *823-826;* OJETTI ad v. *Stipendium.*

legali, cum ad bonum commune conferat quod operarius suo tempore matrimonium inire possit; plures tamen adhuc hodie dubitant, num debeatur quoque ex justitia commutativa 10.

Qu. 3. Admissa veritate sententiæ tertiæ, quis alet familiam numerosiorem et infirmiorem, cui alendæ impar est patrisfamilias salarium absolutum?

Resp. Ei providebit caritas et naturalis honestas, tum civium, tum præsertim heri conductoris; qui juxta ordinem caritatis tenetur in suis eleemosynis operarium a se conductum ceteris præferre. Ita ex citato responso thelogi romani. Accedit et officium præsidum societatis civilis.

544. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Quibus normis practice definienda erit justa mercedis stipulatio, sive ex parte operæ, sive ex parte operarii?

Resp. Norma generalis est æstimatio communis prudentum eo in loco et eo tempore, quo stipulanda est conventio; potissimum spectanda est æstimatio, tum conductorum, tum operariorum simul, qui sint timoratæ conscientiæ. Norma specialis præbenda esset a *collegiis professionalibus*, quæ ubique locorum instituenda maxime optasset Leo XIII. — Demum in quibusdam casibus extraordinariis oportebit sese ingerere publicam auctoritatem; at caute et sobrie.

Qu. 2. Intra quos limites consistere possit stipulatio justa salarii minimalis operario solvendi?

Resp. 1.° Quatenus spectatur valor operæ, limites designandi sunt juxta normas modo assignatas, nominatim ex æstimatione prudentum.

2.° Quatenus spectatur operarius, loquendo *a*) de operario valido et perito, *b*) cui labor necessarius sit ad alimenta comparanda, *c*) quique omnem operam suam conductori impendat, et *d*) de opera, quæ ad finem a conductore intentum necessaria sit, salarium minimum justum illud est, quod haud impar sit alimentis comparandis: nec juri ad hujusmodi salarium potest ipse operarius renuntiare. Quare, si ipse ex necessitate vivendi in salarium minus minimo consentiat, conductor ex justitia tenetur saltem minimum solvere; quod si hic non præstet, jus operario competit consulendi sibi, etiam per occultam compensationem.

Pari ratione injusta esset stipulatio, qua conductor ex necessitate cogeretur convenire in salarium, quod et valorem operæ et necessitates operarii excederet; quo in casu ipsi quoque jus compensationis denegari non posset.

Qu. 3. Utrum umquam liceat stipulari salarium minimo inferius?

Resp. Id licebit, quoties contractus ex parte operarii careat aliqua e conditionibus nuper indicatis. Scilicet: *a*) Si operarius infirmitate vel imperitia impediatur ab exercendo labore ad alimenta comparanda necessario, conductor non tenetur eidem salarium minimum sufficiens ex

10) Ferreres *Num. 1073 Qu. 5.* — Cf. et Tumm. *898, sequ.*; item *Monit. eccles.* XXXI. 310, seqq.; Sabetti *549 Qu. 3.* Hæret Arrequi *405, 2.*

justitia præbere. — *b*) Si operarius media aliunde habeat, aut per se sola, aut simul cum labore, sufficientia ad vivendum, libere stipulare poterit cum conductore pro pretio infra minimum justum; stipulatio vero valida et justa est, eâque juste uti potest conductor. — *c*) Qui duobus conductoribus operam suam compossibilem impendat, a neutro pretium integrum justum prætendere potest; ita janitor, qui duobus inquilinis inserviat, vel femina, quæ duabus familiis servitia præstet. Simili ratione, si duratio laboris diurni ad octo vel sex horas limitetur, ut operarii rebus domesticis (aut cauponis) vacare possint, necessario pro rata minuendum est et salarium: secus injustum esset. — *d*) Demum (qui casus frequentior erit), si herus operam operarii conducat, non utilitatem propriam primario intendens, sed utilitatem operii ipsius secus inoperosi, ac proinde contractum cum ipso ineat principaliter gratuitum, secundario onerosum, juste cum ipso stipulare poterit stipendium, nedum alimentis impar, sed et valori operæ ipsius haud respondens 11.

Dari poterit et casus analogus, quo propter oppositas rationes operarius, suam operam alteri locando, a conductore exigere possit stipendium summo justo superius.

Ceterum negari nequit quandoque ex circumstantiis accidentalibus extendi limites salarii supra vel infra id, quod valor operæ et necessitas operarii definirent. Ita, si quo tempore plures sint operarii et pauca sint opera, salarium justum minuetur; in casu contrario augebitur.

Qu. 4. Licebitne *monopolium* quoad operas? — Poterunt operarii inter se convenire de sua opera heris non locanda, nisi sub certis conditionibus, sive quoad horas operandi, sive quoad salarium, sive etiam quoad alios operarios admittendos vel excludendos?

Resp. Loquendo *per se*, singuli, proinde et omnes, cum sint suarum operarum domini, non tenentur eas aliis locare, nisi quandoque ex caritate. Verum, si sint stricto sensu operarii, quibus alimentorum comparandorum « facultatem nonnisi quæsita labore merces suppeditat », simul vero, advertentes urgentem alicujus heri vel redemptoris necessitatem, hac abuti velint eidem arbitrarias conditiones imponentes, siquidem hæ injustæ sint, peccant contra justitiam, herum vel conductorem cogendo ad contractum injustum subeundum. Secus vero, si conditiones imponerent non injustas 12; puta exigendo pro determinatis horis laboris mercedem justam supremam. — At iidem facile peccant contra justitiam legalem; tum quatenus luctam classium urgent; tum quatenus, segetum collectionem vel mercium productionem impedientes, communia rerum pretia augeri cogunt.

11) A fortiori id licebit, si pretium necessitatibus operarii impar, operæ valori respondeat: puta, si quis ad servitium, pro pro quo femina sufficeret, virum ex misericordia assumat.

12) Tertia conditio evidenter est impositio sectaria et tyrannica; nisi agatur de illis excludendis, qui noxii sunt aliorum fidei, moribus, vitæ, rebus, etc.

Ex dictis facile est judicium facere de simili *monopolio* ex parte dominorum vel redemptorum.

Qu. 5. Utrum operarii jus habeant, ut a dominis vel operum redemptoribus in socios negotii assumantur?

Resp. Negative; cum isti super res suas jus habeant, cuicumque operariorum juri antecedens, disponendi prouti volunt; ac proinde liberum eis sit contractum societatis, vel contractum locationis, inire 13. Ceterum ad mutuam dominorum et redemptorum cum operariis concordiam fovendam plurimum conferret, quod illi, si res prospere cedant, his quoque aliquam in beneficiis participationem communicent.

Qu. 6. Utrum, qui non habent unde vivant, nisi ex labore et laborare valent, jus habeant ut a divitibus et proprietariis ad laborandum (sensu vocis italico) assumantur?

Resp. Operarii jus habent laborandi *in actu primo*, seu quærendi et mediis licitis procurandi sibi laborem: at hoc non habent *in actu secundo*, seu inveniendi laborem, aut laborandi in agro Titii, in officina Sempronii. Ratio est, quia Titius ac Sempronius non tenentur ex justitia commutativa eos ad operandum in suo agro vel in sua officina conducere; ut prætendunt socialistæ. Ita pannorum venditor jure exercere potest artem vendendi pannos; at jus non habet ut alii ab ipso pannos emant. Qui agrum habet suum potest ipsum per se vel per familiares excolere, et etiam potest ipsum relinquere incultum 14: qui vult a domo sua in alium locum transire, non tenetur vectura publici vectoris uti; neque vir barbatus tenetur barbitonsorem ad suam barbam radendam assumere 15.

Dices: Si omnes in non conducendis operariis conveniant, his fame moriendum erit! — In primis divites tenentur ex præcepto caritatis indigentibus subvenire. At insuper in eo casu ad publicam auctoritatem pertinebit jus et officium amovendi damnum commune; et ad hoc forte divites et proprietarios adigere poterit ad operarios conducendos: tunc hi tenebuntur ex justitia legali, numquam vero ex justitia commutativa.

Qu. 7. Quid censendum *de operistitio*? — Utrum operarii ab operando cessare possint, sive singuli, sive plures *ex condicto*, antequam completa sit obligatio per contractum locationis assumpta?

Resp. 1.° Quæstio spectanda primum est sub respectu justitiæ commutativæ. — *a*) Operarii, sive singillatim, sive collective considerati, hero vel conductore invito cessare non possunt, quoties stipulatio justa fuit, nec ullatenus fuit ab hero vel conductore violata, sive mercedem negando aut differendo, sive operas gravitate aut duratione augendo. Imo, si in eo casu cessent, tenentur omnia damna conductori compen-

13) Cf. GENICOT *Num. 645*, I; FERR. *1073 Qu. 6;* NOLDIN *601, 3.* — At nec operarii tenentur suam operam dominis vel operum redemptoribus locare.

14) Si agatur de amplo latifundo, proprietarius ipsum incultum relinquens peccare potest contra dispositiones divinæ Providentiæ, et forte etiam contra justitiam legalem.

15) BIEDERLAK *La questione sociale. III. 70;* VERM. *440; Civ. catt.* 1920 III. 328.

sare; et quidem *in solidum*, si ab operando cessarunt *ex condicto*. — *b*) Si vero ipsa stipulatio ab initio injusta fuit, quatenus operarii in ipsam consentire compulsi sunt ex necessitate vivendi, aut si dominus conditiones stipulationis injuste violavit, operarii, sive singuli, sive plures collective, contra justitiam commutativam non peccant a contracta obligatione recedentes; imo neque peccant contra justitiam, si pro opera præstita et non juste remunerata sese occulte compensant. Hæc doctrina verissima est theoretice, et proinde *per se* etiam practice: tamen ejus practica applicatio gravibus injustitiæ perpetrandæ periculis obnoxia est; frequenter enim contingit contractum nec injustum fuisse ab initio, nec injustum decursu temporis evasisse; at iniquas esse exigentias opificum, ac præsertim concitatorum, qui eisdem præsunt eisque sua placita imponunt.

2.° Verum, dato etiam quod hæc cessatio justitiam commutativam non lædat, eam considerare quoque oportet sub respectu caritatis ac justitiæ legalis. — Itaque: *a*) Hæc cessatio *ex condicto* sæpe ad cessandum cogit operarios invitos. — *b*) Eadem sæpe causa est, qua operariorum familiæ in extremam inopiam prolabantur. — *c*) Eadem compellit operarios in conflictus cum heris et operum redemptoribus: hinc rixæ, et odia inter duas hominum classes, et cædes; inde et necessitas interventus publicæ vis, qui numquam periculosus non est. — *d*) Si hæc cessatio adhibeatur ut medium ad salarium pinguius repetendum, non raro inefficax erit; eo quod et heri et redemptores obsistent et sæpius vincent. — *e*) Demum ex ea cessatione damna gravissima proveniunt, sive agrorum culturæ, mercaturæ aliisque publicis negotiis, sive præsertim publicæ tranquilitati [16]; ut recentia docent.

Qu. 8. Utrum in casu cessationis non injustæ operarii sponte cessantes cogere ad cessandum possint et alios?

Resp. Quidam theologi respondent: *Affirmative;* quia, nisi cessent omnes, domini adigi non possent ad contractum justum ineundum et servandum; esset quædam necessaria juris proprii tuitio contra dominos et contra ceteros operarios, qui habendi essent ut aggressores injusti [17]. At plures respondent: *Negative;* et jure. Nam operarii laborare volentes utuntur jure suo; et, sicut nemini facerent injuriam operando gratis, ita nec operando pro pretio exiguo infra justum. Proinde et injustitia fit contra dominos, qui emolumento in hac hypothesi non injusto privantur mediis injustis. Tantum contra hos operarios admitti posset coactio improprie dicta; puta eis mulctam imponendo, si prius sub ea pœna suam solidarietatem ceteris operariis obligaverant; vel eos privando subventione sodalitia sub pacto solidarietatis promissa [18]. Certe licebit eos ad cessandum adducere consilio, suasionibus, promissis.

16) Noldin *Num. 303-306;* Gen. *22;* Pottier *172;* Verm. *470-477.*
17) Ita Pottier *Op. cit. Num. 180.*
18) Vermeersch *Num. 474;* Tanqu. *874;* Noldin *loc. cit.;* Lehmk. *Casus 893-899.*

CAPUT V.

DE LOCATIONE OPERIS

545. *Locatio operis* est « contractus, quo quis se obligat ad opus sibi ab altero commissum pro pretio efficiendum » [1]. Prior *assumptor* vel *redemptor* dicitur; alter *conductor* vel *committens*. Contractus ipse dicitur *locatio-conductio*, si committens materiam præbet, assumptor laborem; si utrumque assumptor, magis *emptio-venditio* est.

546. *Principia*, quæ statuimus circa locationem operæ, statuenda quoque sunt circa locationem operis: imo, cum debitis restrictionibus, huc applicari possunt generatim etiam *Resolutiones* et *Responsiones* ad Quæstiones ibi propositas.

547. *Obligationes assumptoris*. — *a*) Tenetur ex justitia conditiones in contractu stipulatas servare, speciatim circa materiæ quantitatem. — *b*) Tenetur adhibere omnem diligentiam gravitati operis parem; eam diligentiam, quam in opere suo exsequendo adhiberet. — *c*) Opus efficere ac perficere debet tempore statuto; quod si pœna conventionalis stipulata fuerit, hanc in conscientia solvere debet, etsi inculpabiliter impeditus fuerit ab opere tempore statuto perficiendo; excipitur casus, quo circa infortunia extraordinaria aliter conventum fuerit, sive expresse, sive tacite ex communi consuetudine. — *d*) Injuste ageret contra conductos operarios, si ad majus lucrum perficiendum eisdem salarium inferius justo tribueret.

Obligationes committentis seu *domini*. — *a*) Pretium conventum tenetur statuto tempore, vel statutis temporibus, solvere. — *b*) Si non ex stricta justitia, certe ex summa æquitate tenetur, assumptori, saltem ex parte, compensare damna prorsus imprævisa extraordinaria, quorum periculum assumptores in se suscipere non solent.

548. *De resolutione contractus* — *a*) Locatio-conductio operis resolvitur morte assumptoris; quo in casu committens tenetur heredibus ejusdem compensare pro rata partem operis effectam. — *b*) Resolvitur, saltem partialiter, pereunte re: at, si assumptor præstiterit, tum operam, tum materiam, regulariter perit ipsi; si operam tantum, regulariter perit conductori.

549. **Scholion.** — *De locatione vecturæ*. — De natura contractuum locationis rei, operæ et operis participat contractus *transvectionis;* quo quis alteri locat vehiculum (currum, cymbam, navem), et insuper vel operam (si assumit onus transvehendi ad horas), vel opus (si ad terminum itineris). Contractus habere quoque potest pro objecto res alio transvehendas. Occasione hujus contractus theologi.

Quærunt, utrum liceat fraudare, sive totaliter, sive partialiter, pretium transvectionis per currus ferreos.

Resp. Negative. Ratio est, quia inter itinerantem et vehentem fit verus contractus obligans ex justitia: porro, quia hæc virtus personas non

1) C. c. agit *art. 1633-1646*.

respicit, indifferens est quod vehens sit homo privatus, vel societas, vel status 2. Tamen simul addunt haberi posse ceu pœnalia quædam statuta secundaria; puta, ne cum eadem schedula ferroviaria unus in locum tendat, alter ex eo redeat. — Quoad obligationem restituendi, si creditor sit status, dicunt nimias hodie haberi causas deobligantes.

CAPUT VI.

DE SOCIETATE

550. *Societas* est « contractus, quo duo vel plures pecuniam vel alia bona aut suam operam simul conferunt ad lucrum inter se dividendum » 1. In hoc differt societas a persona morali, quod hæc *unum* est, dum societas est *plurium collectio*. Subjectum hujus contractus generatim est quisquis capax est alienandi. Objectum potest esse res, sive immobilis, sive mobilis, rei usus, pecunia, creditum, industria, opera. Finis est lucrum sociis acquirendum, vel commodum quodcumque pretio æstimabile.

Patet contractum societatis *per se* licitum esse. Sane singuli socii conferunt id, circa quod possunt habere dominium et administrationem: accedit usus universalis, quem confirmant ipsæ leges civiles. Quærendum est quænam sint condiitones, ut hujusmodi contractus licitus sit in concreto. — Quantum ad ejus validitatem in foro externo, si societas pro objecto habeat rem immobilem aut ejus usum, et quoad durationem indeterminata sit, vel ultra novennium constituta, stipulari debet scripturâ; quæ quoad tertios transcriptione eget 2.

551. **Principia. 1.** Ad justitiam societatis requiritur, quod singulis sociis constituatur rata lucri proportionata valori rei vel operæ, quam quisque contulit; ac insuper cuique pro rata lucri pars quoque expensarum ac damnorum incumbat. Horum omnium norma generatim repetenda est ex communi æstimatione et prudentum judicio.

II. Societas, in se non injusta, adhuc illicita est, si ad finem inhonestum ineatur, aut si ad finem honestum inhonesta media sociis adhibenda præstituat. At iniquitas finis vel mediorum iniquam facit ipsam societatem.

2) Cf. GENICOT *Num. 574 NB*, et *Casus 396*; GEEN. *Quest. mor. Num. 551*. — At forte usus communis quoad vecturas societatum et status rationes intrinsecas infirmat.

1) C. c. *art. 1697, sequ.* — BERARDI *Num. 2431-2485*; D'ANN. *475-484*.
2) C. c. *art. 1314*; quod commune est commercialibus, ex Cod. comm. *art. 155*.

III. Inita societate, singuli socii tenentur, tum positive, tum negative, servare ea, quæ in ipso contractu societatis, aut expresse statuta fuerunt, aut comprehensa intelliguntur, sive ex rei natura, sive ex lege positiva aut ex communi consuetudine.

IV. Si rerum societatis administratio nulli specialiter commissa fuit, intelligenda est tacite omnibus permissa : hinc ex justitia quisque socius tenetur eam curam in rebus societatis habere, quam haberet in suis : at ad majorem curam tenetur ille, cui administratio peculiariter commissa sit, sive expresse, sive ex natura contractus.

552. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Qui rem et operam confert, jus habet ad majus lucrum, quam qui aut rem aut operam tantum.

2.ª Si e duobus sociis, unus pecuniam confert, alter operam, cessante societate capitale restituendum est socio priori, antequam lucrum dividatur. E contra injustum est pactum, vi cujus capitale, durante adhuc societate, restituatur statim ac summa ei æquivalens ex negotiatione resultat; tunc enim conferenti capitale cessat omne periculum, quod non cessat alteri socio, si forte reliqua merx pereat.

3.ª Si quando contingat, ut valor industriæ notabiliter excedat valorem usus pecuniæ, poterit justum esse etiam pactum, ut ipsum quoque capitale dividatur.

4.ª Iniqua esset conventio, qua quis socius excludatur a lucro: conventio, qua quis eximatur a damno, justa esse posset; esset enim ad instar contractus aleatorii.

5.ª Si socius, ad merces nomine societatis comparandas profectus, a latronibus percussus, expensas facere debeat, hæ non ipsi soli, sed omnibus sociis tolerandæ sunt: secus, si societas fuit mera occasio [3].

553. *Ex Princ. II.* — 1.ª Non licet nomen dare societatibus, quæ ineantur ad habendas turpes repræsentationes, ad pravas ephemerides edendas, ad cremationem cadaverum promovendam, etc. Tamen non inde injustum est lucrum jam relatum.

2.ª Illicitæ et iniquæ sunt societates, quæ ineantur ad furta facilius ac tutius perpetranda, ad operistitia fovenda. In hisce casibus singuli socii tenentur ad restitutionem, et plerumque in solidum [4].

3.ª Nec licet nomen dare societatibus, quæ principia socialistica propugnant. Ejusmodi sunt, quæ dicuntur *Societates operariæ militantes* (*Leghe operarie, Camere di lavoro*). Imo, qui nomen eis dederint, earum

3) De Lugo *Disput. XXX. 31.* — Alia apud D'Ann. *Num. 478, 38.*
4) Genicot *Num. 584* et *652 I*, et *Casus 332, 333, 400;* Noldin *615.*

principia noscentes, forte haud immunes sunt *per se* a censuris ecclesiasticis 5.

554. *Ex Princ. III.* — 1.ª Socius, qui in proprios usus convertat pecuniam communem societatis, injuste agit, ac tenetur, non modo ad restitutionem, sed *per se* etiam ad compensationem damnorum: idem dicendum de eo, qui rebus socialibus utatur; puta, equis, bobus, instrumentis, etc.

2.ª Quilibet socius tenetur in societatem conferre quæ promisit; sive pecuniæ sint, sive res, sive industria vel opera: qui promisit operam, si otio indulgeat, peccat et tenetur ad restitutionem.

3.ª Socius unius societatis nomen dare potest societatii alii; dummodo utriusque officiis satisfacere valeat, ac insuper nec pacto expresso, nec statutis alterutrius societatis ab hoc impediatur: generatim id prohibitum habetur in societatibus commercialibus.

555. *Ex Princ. IV.* — 1.ª In societate fraterna, mortuo patre, administratio generatim commissa habetur filiis maribus, nominatim fratri majori; at, si duo vel tres fratres masculi sunt et adulti, singuli possunt haberi ut veri administratores.

2.ª Si ex negligentia coloni partiarii prædium aquis torrentis pervasum fuit, ille tenetur de damnis erga dominum; ita, si bombyces perierint, pecudes, boves 6.

3.ª In hisce sociatatibus valde tribuendum æquitati et usui communi. Ita in societate fraterna quoad mensam et habitationem non attenditur, quod unus e fratribus, paulo numerosiorem prolem habeat, quam alter; nec in colonia partiaria, quod colonus sua faciat minuscula quædam, legumina pro familia, herbas agrestes, spinas, etc.

556. **Scholion.** — *De contractu trino.* — Est contractus societatis, cui contractus additur assecurationis, tum sortis tum lucri. Hoc modo stipulatur: Titius mille francos Cajo tribuit, adhibendos in negotiatione, ex qua sperat se relaturum esse quindecim pro singulis centenis (*societas*). Ex his quindecim, Cajo quinque cedit cum onere ut hic ei ipsum capitale assecuret (*assecuratio sortis*); denique ex aliis decem, iterum quinque cedit, cum onere ut alios quinque ipsi assecuret, quicunmque futurus sit exitus negotiationis (*assecuratio lucri*, vel *venditio spei lucri majoris*). — De liceitate hujus contractus *per se*, olim acriter disputatum fuit. Nunc generatim theologi admittunt licitum esse *per se*, ac talem esse posse in concreto, si æquis conditionibus stipuletur 7.

5) Cf. GEN. *Num. 596.* — Generatim nonnisi per imprudentiam hodie nomen daretur ipsis societatibus, quæ se *neutras* dicunt. Cf. BIEDERLAK *La quest. soc. Num. 164.*

6) De coloniis partiariis D'ANN. *Num. 498-501;* BER. *2006-2020.* De societate animalium D'ANN. *502-505;* BER. *2467-2485.*

7) D'ANNIBALE *Num. 482.* — Contractus exsolevit: ac rejici videtur a C. c. *art. 1719.*

CAPUT VII.

DE CONCRATIBUS SUBSIDIARIIS

Hujusmodi contractus, quibus quandoque ceteri contractus commutativi firmantur, communiter tres recensentur. *Fidejussio, pignus* cum *antichresi, hypotheca.* — De singulis breviter:

556. *De fidejussione.* — *Fidejussio* est « contractus, quo quis alterius obligationem suscipit pro casu, quo ille eam non adimpleat » 1.

a) Quoad *subjectum*, nemo fidejubere potest, nisi qui possit res suas alienare. — *b*) Quoad *contractum*, ipse est accessorius; ergo nullius est valoris, si non valeat contractus principalis; excepto casu, quo hic rescindi possit propter exceptionem personalem principalis contrahentis. — *c*) Quoad *objectum*, obligatio non spectat omnes obligationes prioris debitoris, sed eas tantum pro quibus quis fidejussit; et quidem in ejus defectu: insuper fidejussor subrogatur omnibus juribus creditoris contra debitorem, pro quo solvit. — *d*) Quoad *durationem*, fidejussio cessat, quando debitor principalis suæ obligationi satisfecerit; secus, quando satisfecerit ipse fidejussor; ceterum ea transit ad heredes.

557. *De pignore.* — *Pignus* definitur « contractus, quo debitor creditori in securitatem crediti rem mobilem tradit, post exstinctum creditum restituendam » 2: at sæpe nomine *pignoris* venit res ipsa oppignorata. Effectus hujus contractus est, ut creditor rem possit retinere, quousque alter creditum non exstinxerit; quod si hic moras traxerit, poterit rem ipsam alienare, at officio judicis. Interim eam custodire debet expensis debitoris; si res ex ejus negligentia culpabili partialiter vel totaliter perierit, ipse tenetur damnum resarcire.

Pignori accedit *antichresis;* quæ definitur « contractus, quo debitor rem immobilem creditori tradit, ut hic ex ea usque ad crediti exstinctionem fructus percipiat » 3.

558. *De hypotheca.* — Impositio *hypothecæ* est « actus, quo creditor bona debitoris sibi obligat, ut ex illis sibi solvere possit, si forte debitor non solverit » 4. *Hypotheca* proprie est ipsum jus reale super bona debitoris constitutum. Ea ipsis bonis adhæret penes quemlibet possessorem, ac indivisibilis est; proinde integre subsistit super bona obligata et quodlibet eorum et quamlibet cujuscumque partem, ac integra manet quousque debitum exstinctum ex integro non fuerit. Necesse est eam tabulis hypothecariis inscribi, saltem quoad tertios.

Ex diversa sui origine triplex distinguitur hypotheca: *legalis, judicialis, conventionalis.*

Hypothecæ subjici possunt bona immobilia determinata; item eorum usufructus, excepto legali ascendentium; jura proprietarii et emphyteutæ

1) Cf. C. c. *art. 1898-1931.* — Plura D'ANNIBALE *Num. 424-426.*
2) C. c. *art. 1878-1890.* — D'ANNIBALE *Num. 540-542.*
3) C. c. *art. 1891-1897.*
4) C. c. *a. 1964-2053.* — Cf. D'ANN. *Num. 188-192;* ZANIN. *1392-1395.*

super bona emphyteutica: demum reditus ex versuris publicis. Effectus ejus est, ut in exigendis juribus suis creditor hypothecarius creditoribus chirographariis (non privilegiatis) præferatur: si plures sint creditores hypothecarii, qui prior est in tempore inscriptionis, potior est in jure. Hypotheca præscribitur spatio annorum triginta: extinguitur vero exstinctione ipsius obligationis debitoris, interitu rei, condonatione creditoris, solutione pretii debiti, lapsu temporis cui fuerat adnexa, verificatione conditionis resolutivæ.

559. De ratione hypothecæ participat *privilegium;* h. e., « jus prælationis, quod lex alicui creditori concedit propter causam ejusdem ». Hoc jus in eo consistit, quod ex bonis debitoris satisfaciendum sit creditori privilegiato præ aliis omnibus, etiam hypothecariis. Eo ipso quod privilegium conceditur a lege, unica norma lex ipsa est; quæ tamen vim habere potest etiam in foro conscientiæ [5].

PARS TERTIA

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS

560. Dicuntur contractus *aleatorii* illi, quorum objectum, saltem pro una parte contrahente, ab alea, h. e., ab incerto eventu dependet. Recensentur septem: *Assecuratio, vitalitium, ludus, sponsio, sortitio* seu *loteria, speculationes bursæ, transactio.*

CAPUT I.

DE ASSECURATIONE

561. *Assecuratio* est « contractus, quo quis pro pretio certo se obligat ad resarcienda detrimenta et damna, quæ alicui provenire possunt ex certis casibus fortuitis aut ex vi majore, vel ad solvendam summam pecuniæ juxta durationem aut eventum vitæ unius vel plurium personarum » [1]. Prior dicitur *assecurator;* quod munus juxta mores hodiernos generatim gerunt societates a publica auctoritate probatæ: alter *assecuratus.* Objectum hodie frequentior est triplex: *a) Res,* sive immobilis, sive mobilis: ita societas se obligat ad compensanda detrimenta segetum et fructuum ex grandine, damna domus et mobilium ex incendio; officium postale se obligat ad compensanda damna epistolæ vel mercis assecuratæ; etc. — *b) Valetudo;* ita societas mutui subsidii se obligat ad pen-

5) Cod. comm. *n. 417.* — Cf. PALM. *Num. 625, seqq.;* ZANIN. *1396-1399.*

1) C. c. *a. 1952-1963.* — D'ANNIBALE *Num. 549, seqq.;* ZANIN. *1381, seqq.*

sionem diurnam solvendam assecurato pro diebus ægritudinis et convalescentiæ. — *c) Vita;* ita societas se obligat ad solvendam post mortem personæ assecuratæ determinatam summam heredibus ejusdem vel tertiæ personæ. Adest et alius contractus assecurationis *super vitam*: assecurandus solvit annuatim quamdam summam societati, ut hæc sibi vel tertiæ personæ determinatam summam rependat, si ad certum ætatis annum, puta sexagesimum, perveniat: in casu contrario societas ad nihil tenetur.

Quod contractus assecurationis *per se* licitus sit, hodie concedunt omnes: quin et addunt ipsum valde ad bonum commune conducere, cum præcaveat ne ex imprævisis infortuniis domini, artifices, agricolæ in egestatem extremam prolabantur. Quærendum unice est de ejusdem validitate et justitia in concreto. — Itaque:

562. **Principia. I.** Ad validitatem et justitiam contractus assecurationis, quatuor requiruntur: *a*) Ex parte *rei assecurandæ*, hæc ab utroque contrahente habeatur ut obnoxia periculo, quod pendeat ex causis naturalibus aut aliis in ipso statuto societatis assecurantis definitis. — *b*) Ex parte *pretii*, hoc proportionatum sit valori rei et probabilitati periculi ejusdem, juxta æstimationem prudentum. — *c*) Ex parte *societatis assecurantis*, hæc locuplex sit; h. e., par reparando damno rei assecuratæ, si ea totaliter aut partialiter pereat. — *d*) Ex parte *assecurati*, hic sincere in actu contrahendi exponat assecuranti, tum verum valorem rei assecuratæ, tum omnia ejusdem pericula.

II. Inito contractu assecurationis, *a*) assecuratus tenetur ex justitia pericula rei assecuratæ non augere, imo et adhibere diligentiam moralem ad rem assecuratam periculis eripiendam; quod si res absque ejus culpa aut totaliter aut partialiter pereat, ex justitia prohibetur majorem summam exigere, quam quæ damno respondeat. — *b*) Societas assecurans tenetur damna rei assecuratæ juxta conditiones in ipso contractu statutas assecurato compensare, et quidem quamprimum moraliter potest.

563. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Si assecurans sciat rem jam esse in tuto, vel assecurandus sciat eam jam periisse, contractus invalidus est.

2.ª Valet assecuratio, non modo navis a naufragio, segetum a grandine, sed etiam domûs ab incendio sive fortuito, sive a causa libera excitato; excepto casu, quo provenerit ex culpa gravi imputabili personaliter assecurato aut personis in ipso actu determinatis, et (ex Jure positivo) casu belli aut tumultus popularis.

3.ª Si assecurans omnino impar sit solvendo pretio rei assecuratæ

forte pereuntis, non potest in conscientia tenere pretium ei pro assecuratione solutum: at, si res pereat, assecuratus jus servat ad compensationem, cum contractus ex parte ipsius validus fuerit.

4.ª Si societas plura plurimorum bona assecuravit, satis est quod actu par sit compensandis damnis communiter contingentibus et quodammodo prævidibilibus.

5.ª Si assecuratus in contractu ineundo interrogatus tacuerit circumstantiam notabilem specialis periculi, qua cognita societas non assecurasset, contractus ex parte assecurati invalidus est; ita, si assecuratus ab infirmitate vel a morte tacuisset vitium internum valde periculosum, vel phtisim, qua ejus ascendentes obierunt.

6.ª Quod si societas in suis statutis declaret se renuntiare cuilibet juri impugnandi propter falsas denuntiationes contractum, postquam annos quinque duraverit, assecuratus dolosus jure hac declaratione frui poterit.

7.ª Si assecuratus celaverit circumstantiam levioris momenti, qua cognita societas assecurasset quidem, sed conditionibus diversis, contractus valet; sed assecuratus tenetur pretium usque ad veritatem periculi augere.

8.ª At, si in statutis societatis clausula habeatur declarans irritum esse quemlibet contractum, in quo ineundo circumstantia etiam levis taceatur, assecuratus, qui eam tacuerit, si res pereat, jure petit compensationem; clausula enim illa, utpote juri naturali minus consentanea, juxta alios injusta est, juxta alios sententiam judicis postulat 2.

9.ª Ad justitiam pretii solvendi ab assecurato societati assecuranti, satis est quod ipsum valori rei et probabilitati periculi proportionatum sit; etsi ei non respondeat mathematice: æquum enim est, ut præter expensas, aliquale lucrum societati acquiratur.

10.ª Justitia pretii solvendi haberi censenda est, quoties assecuratio fit pretio currenti, etsi inde videatur lucrum nonnihil excessivum societati acquiri, puta viginti pro centum: hoc præsertim valet, si ingens sit numerus assecuratorum: ceterum in his semper alea intercedit.

564. *Ex Princ. II.* — 1.ª Assecuratus ab incendio peccat contra justitiam, si post initum contractum augeat incendii periculum; si augeat, ut, re prævisa, societas non assecurasset, ac reapse incendio domus pereat, ipse non potest compensationem exigere aut acceptare; si ita augeat, ut, re prævisa, societas majus pretium exegisset, pretium augere debet; at, si domus pereat, exigere et acceptare potest compensationem.

2.ª Idem dicendum de assecurato super vitam aut valetudinem, qui illius aut istius pericula augeat vitiis, potibus alcoolicis, etc.

3.ª Assecuratus ab incendio peccat contra justitiam, si incendium forte excitatum nullatenus curet exstinguere; multo magis, si alios ab eo exstinguendo impediat.

2) Primum tenet NOLDIN *Num. 631, 3*: alterum TANQU. *918*.

4.ª Generatim societas assecuratrix non tenetur compensare damna, quæ evenerunt ex culpa theologice gravi assecurati vel cognatorum ejusdem, qui in actu assecurationis nominantur.

5.ª Peccat contra justitiam assecuratus, qui damnum longe majus reali denuntiet, ac proinde compensationem debita longe majorem exigat et acceptet: pro levi exaggeratione excusari potest a quovis peccato; cum id passim fiat, et societatis sit verificare et veram damni gravitatem æstimare. Idem dicendum de assecurato ab infirmitate, qui eam diuturniorem fingeret, quam realiter fuerat.

6.ª Rea esset injustitiæ societas, quæ, cognita vera damni entitate, compensationem æquam sub variis prætextibus negaret aut differret; a fortiori, si absque gravi ratione cogeret assecuratum sistere se tribunali: in hisce casibus tenetur quoque de expensis aliisque damnis assecurato obvenientibus.

7.ª Si quis, sciens domum alienam assecuratam esse, eam incendio destruat, certe ad restitutionem tenetur: opportunum et in conscientia tutum esse videtur, ut summam debitam impendat in pauperes et in causas pias.

565. **Scholion.**— *De assecuratione operariorum.* — Hujusmodi assecurationes, hodie generatim legibus civilibus impositæ, eo tendunt, ut, si quo temporis spatio operarius ab operando cessare debeat, præsertim propter infirmitatem vel senium, ex subsidio a societate assecurante eidem solvendo possit sibi et familiæ pro eo tempore providere. Statuta ab ipsa publica auctoritate sanciuntur: ceterum, tum societas assecurans, tum operarius assecuratus, se gerere debent juxta normas generales superius traditas 3.

CAUT II.

DE VITALITIO

566. *Vitalitium* est « contractus, quo quis, soluta semel sorte, jus acquirit ad præstationem sibi tota vita durante ab altero solvendam » 1. Qui sortem solvit, *creditor* fit, et dici solet *vitalitiatus;* qui eam accipit, dici solet *debitor* vel *constituens.* Sors potest esse vel summa pecuniæ (capitale), vel bonum etiam immobile: præstatio constare potest summa pecuniæ, vel victu cum vestitu, habitatione, etc.

Contractus, juxta datam definitionem, ordinarie onerosus est; ejusque justitia consistit in hoc, quod habeatur æquatio moralis inter sortem a vitalitiando solutam et quantitatem præstationis a constituente solvendam, attenta ex ordinarie contingentibus duratione ejusdem. Itaque ex

3) Lehmkuhl *Casus Num. 919;* Noldin *631**, qui forte operariis indulgentior est.

1) De eo C. c. *art. 1789-1801.* — Cf. D'Annibale *Num. 552-556.*

ætate et valetudine vitalitiandi æstimanda est probabilis duratio vitæ ejusdem, ac ejusmodi sors est ab eo semel solvenda, et ejusmodi præstatio ab altero stipulanda, ut per successivam istius detractionem a capitali et consequentem fructuum deminutionem ipsum capitale consumendum sit, si vitalitiatus circa præfinitam ætatem moriatur. Inde patet contractum esse vere aleatorium; quare, si constituens ex occulta notitia sciret vitam vitalitiandi futuram esse brevissimam, ac tamen juxta communem æstimationem contractum iniret, peccare videretur contra justitiam 2.

Quid ergo, si vitalitiatus ad pinguiorem pensionem exigendam se infirmum vel seniorem finxerit? — In eo casu, juxta alibi dicta, contractus in se validus est; at constituenti competit jus exigendi sortis augmentum, vel etiam rescindendi contractum.

CAPUT III.

DE LUDO ET SPONSIONE

567. *Ludus* est « contractus, quo duo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit aut promisit ».

Ad ludi justitiam duæ potissimum conditiones requiruntur: quod uterque ludat æqualiter, et absque fraudibus ludat. — Itaque: *a*) Qui alteri ita virtute aut peritia præcellit, ut de sua victoria certus exsistat, proprie ludere non potest; nec *per se* ludere potest ille, qui ex cognita sui imbecillitate vel imperitia certe novit se esse superandum, nisi jacturâ sua sibi emere velit delectationem ludendi. — *b*) Nullæ adhibeantur fraudes per quas injuste tollatur inter collusores æqualitas; at fraudes non sunt quædam calliditates in ludendo communes, et proinde vulgo habitæ ut licitæ. Ita in ludo chartarum non licebit uti chartis signatis; licebit obiter aspicere chartas, quas alter negligenter tenet.

Verum ludus non injustus potest esse illicitus aliunde; puta, si nimis a negotiis vel a studiis avertat; si cuipiam personæ, puta filio a patre, clerico ad Ecclesia prohibeatur; si summa nimis notabilis a ludentibus vel ab alterutro exponatur.

568. *Sponsio* (*scommessa*) est « contractus, quo duo, de veritate alicujus rei vel de eventu aut præterito aut præsenti aut futuro contendentes, aliquid exponunt ea lege, ut hoc ei cedat, qui rem attigerit ».

Ad validitatem et justitiam sponsionis requiruntur tres conditiones: *a*) Res vel eventus sit utrique contendenti dubius. — *b*) Proportio sit inter objectum quod quilibet contendens exponit, et ipsius contendentis de re vel eventu incertitudinem; ejusmodi proportio habetur, si quis de re vel eventu fere certus dicat: « spondeo centum contra unum ». —

2) Ita censet De Lugo *Disput. XXXI. Num. 85.* — Cf. Berardi *Num. 2322.*

c) Uterque contrahens verba sponsionis accipiat sensu eodem, quo accipit alter; secus ludus erit aut dolus.

Verum sponsio valida et justa adhuc potest esse illicita. Ejusmodi esset ea, qua objectum ingentis valoris vel summa immodica exponatur; quo in casu non est omnino improbabilis opinio, quod lusor aut sponsor victus non teneatur solvere summam amissam.

569. Jus civile actionem non concedit pro exigenda solutione debiti ex ludo vel sponsione, nisi debitum sit ex ludo ad exercendas vires corporeas ordinato; item numquam concedit rei aut summæ solutæ juridicam repetitionem, nisi repetitio fiat titulo incapacitatis personæ, aut metus vel doli. Ceterum, si requisitæ conditiones in ludendo vel spondendo servatæ fuerint, habetur obligatio solvendi et jus exigendi in foro conscientiæ; si, iis deficientibus, facta est injuste solutio, habetur hinc jus repetendi, inde obligatio restituendi.

Ex Jure canonico pollicitationes quæ fiant super electionem R. Pontificis illicitæ et invalidæ sunt; pollicentes vero incurrunt ex Jure novissimo excommunicationem personaliter Romano Pontifici reservatam [1].

570. **Quæstiones.** — *Circa ludum.* — *Qu. 1.* Utrum possit in conscientia retinere acceptum lusor ille, qui suam præ altero notabilem superioritatem agnoscebat?

Resp. Certe potest, si agatur de ludo publico, in quo præmium lusori prævalenti proponitur: in ludo privato tenere potest, si alteri favorabiliores conditiones concesserat, quibus imparilitas compensaretur. Extra hos casus, plures censent notabilem et notam unius præ alio superioritatem inducere in ludum labem injustitiæ: alii vero negant, dummodo fraudes non intervenerint. Ratio horum est, quia, si inferior suam inferioritatem noverat, censendus est suo juri renuntiasse; si non noverat, ipse suam jacturam sibi suæque temeritati imputare debet. « Utraque sententia probabilis est » [2].

Qu. 2. Utrum possit acceptum retinere, qui cum filiofamilias ludendo victor exstitit?

Resp. Si filius summam pro sua conditione prorsus immodicam exposuerat, *negative*: si summam conditioni ejusdem proportionalem, *affirmative;* cum præsumere debeat eam ab eodem exponi potuisse; quod verum est etiam de casu, quo filius ea exposuerit et amiserit, quæ sua quidem sunt, at obnoxia sunt administrationi patris vel tutoris. Excipitur casus, quo pater vel tutor eam summam juste reclamaverint.

571. *Circa sponsionem.* — *Qu. 1.* Utrum spondere possit is, qui occulte quidem, at certissime, veritatem rei vel eventus novit?

Resp. Per se, *negative;* cessat enim alea. Tamen, si hic sponsor alterum serio monuit, et iste nihilominus spondere voluit, quidam censent priori licitum esse rem expositam accipere; eo quod, nulla fraude

1) Codex Juris canon. *Docum. I. Num. 80.*
2) Genicot Num. *660, IV,* ex Ball. *599.* — Cf. Noldin *623; D'Ann. 545.*

interveniente, alter jacturam suæ temeritati imputare debet; ni dicendus sit voluisse potius donare, quam aleatorie spondere 3.

Qu. 2. Utrum licita quandoque sit sponsio circa peccatum committendum?

Resp. Ex S. Alphonso: *a*) Si est de peccato patrando a tertia persona, *affirmative;* dummodo sponsio non fiat mala *per accidens,* eo quod ei adnexum sit desiderium. — *b*) Illicita esset ea sponsio, qua sponsor sponderet se commissurum esse peccatum, vel alterum contrahentem non commissurum; quia hujusmodi sponsio ad peccandum induceret: tamen sponsor, qui sponsionis lucrum acceperit, non tenetur ad restitutionem. — *c*) Demum licita est sponsio, qua quis spondeat se non esse commissurum peccatum, vel alterum commissurum; quia hæc sponsio a peccato avertet.

CAPUT IV.

DE SORTITIONE SEU LOTERIA

572. *Loteria* est « contractus, quo singulis certum pretium solventibus jus acquiritur habendi rem vel summam expositam, si sors sibi propitia fuerit ». Contractus hic *per se* licitus est: licitus autem erit in concreto, si proportio habeatur inter pretium a singulis solutum ex una parte, et valorem rei vel summæ promissæ ejusque reapse habendæ probabilitatem ex altera. Huic proportioni opponitur evidenter usus cujuscumque fraudis in schedulis extrahendis, vel in re vel summa promissa solvenda. Eidem facile opponi potest exiguus valor promissus, vel exigua rei vel summæ habendæ probabilitas; ex quo fiat ut dominus loteriæ lucrum excessivum referat. Si loteria ad pium aliquod opus ordinetur, permitti potest lucrum etiam excessivum; tunc enim sortientes potius donare intendunt, quam proprie sortiri.

CAPUT V.

DE SPECULATIONE BURSÆ

573. *Bursa* proprie locus dicitur publica auctoritate constitutus, in quo venduntur census publici, actiones et obligationes societatum. At sub eo nomine veniunt etiam ipsi contractus; quorum alii sunt *de præsenti,* et sunt eorum valorum emptiones et venditiones; alii sunt *ad terminum,* et speciali titulo dicuntur *speculationes bursæ.* Quoad priores contractus nihil addendum præter dicta de venditione: quoad alios, qui proprie aleatorii sunt, quædam breviter notanda.

Contractus *ad terminum* illi sunt, quibus valores publici emuntur ea

3) Sanchez apud Ball. *Num. 564.* Contra putant De Lugo *84;* S. Ligorius *879;* D'Ann. *547, 20.* — Cf. et Berardi *2376.*

4) S. Ligorius *Num. 870.*

lege, ut pretium valoris hodie empti solvatur post certum tempus, ex. gr., decimoquinto die mensis, et quidem pretium eo die in bursa vigens. Exemplum sit: Titius die quarta januarii a Cajo emit actionem ea die valentem 1000, at pretium solvet die decimaquinta: si hoc termino actio valebit 1050, solvet Cajo quinquaginta; e contra, si valebit 960, recipiet a Cajo quadraginta.

Patet in hujusmodi speculationibus nihil per se illiciti haberi; nisi injustitiæ committantur a contrahentibus. Injustitiæ autem passim adhiberi solent, procurando per fraudes ut valores actionum artificiose augeantur cum proprio lucro et damno aliorum; puta falsos rumores disseminando de conditione prospera vel adversa alicujus societatis, monopolium in publicis actionibus exercendo, etc. 1.

Hujusmodi speculationes, cum veram negotiationem constituant, clericis per leges Ecclesiæ interdicuntur 2.

CAPUT IV.

DE TRANSACTIONE

574. *Transactio* est « contractus, quo duo, aliquid sibi invicem dando vel promittendo vel retinendo, liti jam exortæ finem imponunt, vel probabiliter exorituram prævenient » 1. Patet hujusmodi contractum medium esse inter commutativos et aleatorios.

Ad validitatem et justitiam transactionis hæ requiruntur conditiones: *a*) Quoad contrahentes, hi capaces sint alienandi res de quibus, transigunt: transactio enim quædam alienatio est. — *b*) Quoad res de quibus transigitur, utriusque contrahentis jus dubium sit, saltem leviter: qui certo novit jus sibi non competere, injuste et invalide transigeret; qui cero novit jus sibi competere, transigendo donaret, vel litem amice componeret. — Proportio habeatur inter id quod quisque dat, promittit vel retinet, et majorem vel minorem proprii juris probabilitatem. — Demum *d*), ut in quolibet contractu, absit omnis vis et dolus; absit et error *juris* dans causam transactioni, et error *facti* circa substantiam aut personam aut causam.

Transactio inter duos transigentes vim habet sententiæ irreformabilis, nisi deinceps utraque pars ab ea recedere consentiat: nec juridice impugnari potest, nisi titulo doli, vis, vel erroris quoad personam aut objectum controversiæ.

Ex Jure positivo transactio facienda est scriptis; at quovis modo fiat, valida est in foro conscientiæ: scriptio enim ad probationem pertinet.

1) Plura TANQUEREY *Num. 932-937*; PALM. apud BALL. *616-624*; FERR. *1106-1118*, GURY *Casus 947, seqq.*; NOLDIN *632 sequ.*
2) S. Off. die 15 apr. 1885, apud GENNARI *Cons. can. XVIII. 9.*

1) C. c. *art. 1764.* — D'ANNIBALE *Num. 557-559*; ZANIN. *1369, seqq.*

TRACTATUS QUINTUS

DE QUASI-CONTRACTIBUS

575. *Quasi-contractus* dicitur « factum voluntarium et licitum, ex quo nascitur obligatio ». Ejusmodi *factum* in primis, et præsertim apud veteres, est actio, qua quis rem alienam contrectet: huc pertinent *negotiorum gestio, tutela, rei alterius communio, aditio hereditatis, indebiti solutio;* de quibus nihil heic specialiter agendum esse censemus [1]. Insuper, præsertim apud recentiores, ejusmodi *factum* habetur assumptio alicujus muneris; quæ assumptio secum fert obligationem ex virtute justitiæ adimplendi officia suscepto muneri adnexa: hoc sensu agimus de quasi-contractibus.

Relate ad suscipientes ac retinentes munus quodcumque, sive laicale, sive ecclesiasticum, sive publicum sive privatum, statuimus:

576. **Principia. I.** Quicumque munus aliquod assumit, tenetur eâ peritiâ callere, quæ muneri recte obeundo ordinarie necessaria est: qui se eâ carere post munus assumptum advertat, regulariter tenetur munus assumptum dimittere.

II. Quicumque munus aliquod susceptum gerit, tenetur ex justitia eam diligentiam adhibere, quæ ordinarie recto ejusdem exercitio necessaria est.

III. Qui careat peritia ad munus susceptum requisita, aut diligentiam in munere exercendo requisitam non adhibeat, tenetur acceptum pretium vel stipendium restituere, etsi illâ caruerit aut hanc omiserit inculpabiliter. Qui vero propter defectum peritiæ aut diligentiæ damna intulerit ei, a quo, vel pro quo, munus accepit, ad ea reparanda tenetur, quorum suus defectus causa efficax fuerit theologice et graviter culpabilis.

577. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Quia in humanis humana ratione proceditur, satis est quod assumens officium eâ peritiâ calleat, quæ pro casibus communiter contingentibus sufficiens esse prævidetur.

2.ª Hinc non peccat contra justitiam qui, noscens se scientiam et peritiam communem habere, munus exquirit et assumit; licet inde videat peritiores amoveri. Hinc nec peccat contra justitiam, qui munus publicum viro perito conferat, omisso peritiore.

1) De his Ballerini *Num. 560;* D'Ann. *437, sequ.;* Zanin. *1252, segu.*

3.ª Si defectus debitæ peritiæ talis sit, qui possit adhibitis mediis removeri, qui jam munus suscepit tenetur interim ab eo exercendo abstinere : quod si abstinere nequeat, debet defectui supplere majori adhibito studio et peritorum consilio quæsito.

578. *Ex Princ. II.* — 1.ª Diligentia ex justitia in exsequendo munere adhibenda communis est ; regulariter enim ad hanc sese obligasse censendus est, qui munus suscepit.

2.ª Si agatur de munere gravissimi momenti, summa adhibenda est diligentia ; quod maxime attendendum est, si merces proportionata soluta aut stipulata fuit : hinc ad mercedem restituendam et ad damna reparanda tenetur, si diligentiam tantumodo communem adhibendo damna alicui intulit.

579. *Ex Princ. III.* — 1.ª Deficiente ea peritia, quæ in contrahendo expressa vel subintellecta fuerat, ipse contractus invalidus est : hinc deest titulus, quo accipi aut retineri possit merces vel stipendium.

2.ª Quando aliquis profitetur se peritissimum et diligentissimum, et alicui quærenti se offert ut talem, hic restituere tenetur mercedem, si suæ professioni factum non respondeat ; imo et teneri quandoque potest de damnis absque culpa theologica illatis.

NB. — Obligationes proprie quasi-contractuum in spiritualibus exponuntur, partim in tractatu *De officiis clericorum*, partim *De sacramentis*.

Cum plurima sint officia laicalia publica, de tribus præcipue agunt recentes ; nempe de officiis *judicis, advocati* et *medici* : nos officio judicis pauca adnectemus de officiis *actoris* et *rei* ac *testis*. Quædam dicemus quoque de officio *syndici municipalis*.

CAPUT I.

DE JUDICE ET JURATIS

580. *Judex* est « persona ad jus dicedum per legitimam auctoritatem constituta » 1. Judicium, seu jus dicendum, pro diversa causa potest esse *civile*, vel *criminale* aut *pœnale*. Item ex diversa auctoritate constituente, judex potest esse *ecclesiasticus*, vel *laicalis*.

Juxta mores hodiernos, in causis criminalibus adhibentur judices *jurati ;* hi reapse sunt judices *circa factum ;* nempe, circa veritatem aut falsitatem, vel majorem aut minorem culpabilitatem criminis, quod reo opponitur. Nos principia ponimus de officio eorum, qui sunt judices proprie dicti, h. e., ad judicium faciendum et sententiam ferendam constituti : pronum erit eadem judicibus juratis applicare, quantum ab ipsos pertinet 2.

1) Tractant S. THOMAS *2. 2. Qu. 67 ;* S. LIG. *IV. Num. 192-217 ;* PALM. apud BALL. IV. *IX. Cap. III. 1-68 ;* D'ANN. *590 seqq. ;* GEN. *II. 2 seqq. ;* NOLDIN *720, seqq.*

2) De natura institutionis agit PALM. *Num. 64-67.* Juratorum officia in Cod. di proc. pen. *Lib. II. Tit. III. Art. 522-548.* — Cf. FRASSIN. *Nota 94-95.*

581. **Principia. I.** Judex, ut officio suo recte perfungi valeat, præterquam scientiâ juris, præditus esse debet jurisdictione, tum in causam, tum in personam, de qua judicare debet.

II. Judex, ut officio suo recte perfungatur, omni diligentia uti debet, tum in causa breviter expedienda, tum in ea ejusque adjunctis juridicis intime perspiciendis; insuper processum instituere debet juridice, et sententiam ferre secundum justitiam, quæ est primo ex jure naturali ac divino, dein ex legibus positivis.

III. Sententia judicis, quæ certe justa sit, obligat in conscientia; tum, si agatur de causa civili, tum, regulariter, si de causa criminali. « Sententia judicis est quasi particularis lex in particulari facto; et ideo, sicut lex generalis debet habere vim coactivam,... ita et sententia judicis » [3].

582. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Peccat mortaliter, qui officium judicis petit aut suscipit, sciens se illi imparem esse: qui vero susceperit, absolvi non potest, nisi aut officium dimittat, aut scientiam sibi comparet, ac interim a munere exercendo abstineat, aut peritiorum consilio curet damna aliorum præcavere.

2.ª Judex, qui in sententia ferenda errorem in damnum litigantis vel accusati inculpabilietr commiserit, eum monere debet, ut aut appellatione aut alia via suis juribus provideat; et quidem cum incommodo suo satis gravi [4].

3.ª Juratus non tenetur adeo profundam scientiam Juris sibi acquirere: cum ipsi de facto dumtaxat judicandum sit. Maxime ei opus est optimo criterio, omnimoda conscientiæ integritate et ab omni studio partium independentia.

4.ª Judex laicus, si absque debita auctorizatione causam ecclesiasticam pertractat, aut ecclesiasticam personam ad suum tribunal trahit, *per se* graviter peccat; ejusque judicium incompetens est, ejusque sententia invalida. De censura dicemus suo loco.

583. *Ex Princ. II.* — 1.ª Si ex culpabili dilatione aut negligentia damna alicui parti obveniant, hæc ab ipso judice reparanda sunt.

2.ª Judex in causa pœnali inquirere non debet de crimine aliis non noxio: in crimine noxio, sive reum, sive testes, interrogare non potest, nisi saltem indicia non levia præcesserint.

3.ª Juxta recentes leges, judex cogere non potest accusatum ad testimonium contra se ferendum: audire tamen debet et ipsum et testes, ac

3) S. Thomas *Qu. 67 art. 1.* — Cf. Palm. *Num. 17;* Noldin *724;* D'Ann. *595.*

4) S. Ligorius *Lib. IV. Num. 954, 12.*

ipsum tunc tantum damnare, cum aut ex confessione, aut ex testificationibus juridice constet eumdem sontem fuisse.

4.ª Si lex civilis exigat sententiam ferendam esse, quæ directe legi naturali aut divinæ opponatur, judex eam ferre nullatenus potest, etsi secus sibi sit muneri abdicandum; ita numquam cogere poterit feminam ad cöeundum viro, cui civiliter tantum juncta est.

5.ª Verum, si lex civilis exigeret pœnam levem homini innocenti imponendam, judex videtur eam imponere posse, si secus munus dimittere vel grave quodcumque damnum subire cogeretur: hoc autem vi præsumpti consensus ipsius innocentis, qui rationabiliter consensum denegare non posset.

6.ª Judex, etiam juratus, damnare non potest quem ipse reum esse privatim novit, cujus tamen reitas juridice non probatur: est sententia theologis ferme communis 5.

584. *Ex Princ. III.* — 1.ª Qui in causa civili a judice per sententiam justam damnatur ad aliquid alteri parti solvendum vel restituendum, solvere debet in conscientia: si non solvit aut non restituit, vel pro soluto aut restituto sese occulte compensat, vere fur est, ac tenetur, tum de ipsa re, tum de damnis inde alteri parti obvenientibus.

2.ª In causa quacumque, qui cero sciat se damnatum fuisse injuste, etiam mere materialiter, sententiâ latâ non tenetur; hinc ei licebit uti occulta compensatione. Dicimus: etiam *mere materialiter;* quia justitia in rei veritate consistit.

3.ª Recentes Curiarum civilium declarationes, denegantes capacitatem acquirendi entibus ecclesiasticis civiliter inexsistentibus, nullius sunt valoris. Hinc nullius erunt valoris sententiæ, quibus tribunalia inferiora, iisdem innixa, decernent irritas esse dispositiones testamentarias in favorem determinati monasterii aut operis pii vel cultûs: neque hisce sententiis uti poterunt illi, quibus ipsæ faveant 6.

585. **Quæstiones.** *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Quid agendum judici vel jurato, si apud ipsum judicanda deferatur persona sacra?

Resp. Hic petere debet ab Ordinario licentiam, quæ eidem facile concedetur: et quidem petere debet ratione personæ judicandæ; hinc, etsi intendat personæ accusatæ omnem favorem impendere. Tamen licentia Ordinarii præsumi quandoque poterit, si casus improvisus contingat; imo forte ipsa obligatio petendi gravis non est iis in locis, in quibus jam ipsa lex civilis nullam personarum exceptionem admittit.

586. *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Quid judici agendum, quando causa ipsi proposita dubia est?

Resp. 1.° Si causa criminalis est, judex favere debet accusato; non

5) Eam tenent LEHMKUHL *Num. 807;* PALM. *45, 67;* NOLDIN *723.* — Cf. GEN. *9.*

6) Quot iniquitatibus scateat sententia Curiæ cassationis romanæ 23 mart. 1908, *Civ.* Cattol. 1909 III. *257, 402, seqq.*

damnans nisi certe reum, eumque numquam damnans supra reitatem formalem certe et juridice probatam.

2.° Si causa civilis est, distinguendum est *dubium facti* et *dubium juris*. — *a*) In primo casu, puta si dubitatur, num testator in actu testandi compos sui fuerit, num hæc scriptura falsificata fuerit, etc., judex dubium practice solvere debet secundum regulas juris naturalis et positivi: « In dubio standum est pro valore actus — in dubio factum non præsumitur, sed probari debet — in dubio præsumitur factum et recte factum, quod de jure faciendum erat » — etc. — *b*) In altero casu, quando dubitatur, num lex ad hunc casum extendatur, vel pro qua parte graviores habeantur rationes, etc., tunc, si neuter contendentium possideat, judex jus dicere debet ordinarie pro ea parte, pro qua graviores militant rationes: at, si rationem æque vel fere æque graves utrinque sint, litem componere debet rem pro rata probabilitatis dividendo: certe non potest pecuniam accipere, ut uni contendenti præ altero faveat 7. Quod si alteruter jam possidet, in pari probabilitate rationum generatim favere debet possessori.

Qu. 2. Utrum judex possit quidpiam acceptare, tamquam pretium pro certa sententia ferenda, vel saltem pro una causa ante alias expedienda?

Resp. Ad 1. *Negative* prorsus. Si enim sententia ferenda injusta sit, contractus est turpis: si ea justa sit, ejus prolatio ex parte judicis debita est, nedum ex justitia legali, sed etiam ex commutativa; hinc non est pretio æstimabilis. Consequenter in utroque casu tenetur rem acceptam restituere.

Ad 2. Ea acceptio certe periculosa est, et legibus prohibita. Num sit contraria justitiæ commutuativæ, adeo ut judex teneatur acceptum ipso facto restituere, dubitatur. Nam ex una pare, si prælatio unius causæ præ alia in arbitrio judicis est, hic nemini facit injuriam, si unam pretio præferat aliis, quum præferre possit gratis. Ex altera parte, ea prælatio ex parte judicis nullum addit laborem, ac proinde non est pretio æstimabilis: hæc altera opinio, tum interna ratione, tum auctoritate probabilior est.

Qu. 3. Utrum judex acceptare ac retinere possit munera sibi oblata a litigantibus, vel ab accusato, vel ab alio pro eis?

Resp. 1.° Munera acceptare *a*) judex quilibet prohibetur jure naturæ, ratione periculi prævaricationis in judicando, et acceptionis personarum. — *b*) Judex ecclesiasticus acceptare prohibetur Jure canonico. Judex laicalis prohibetur Jure civili 8.

2.° Quoad restitutionem, nulla est obligatio ex jure naturæ. Jure canonico, obligatio restituendi certe habetur post sententiam judicis,

7) Cf. Propositiones damnatas, apud DENZIGER *Num. 1152, 1126.*
8) CODEX *Can. 1624;* Cod. pen. *art. 162-165.*

qua ea pœna imponatur judici delinquenti; ante eam probabiliter non habetur. Jure positivo civili, tum pœna carceris, tum mulcta imponenda est ex sententia Judicis; qui imponet etiam res acceptas addicendas esse fisco.

Qu. 4. Utrum judex damnare possit eum, quem scientiâ privatâ novit esse innocentem, qui juridice probatur esse reus?

Resp. In primis judex tenetur omnia media adhibere, quibus innocentia constet etiam juridice. Si id incassum tentet, tres habentur doctorum sententiæ, certe probabiles; quare practice quamcumque ex his judex sequatur, immunis est a peccato. Itaque: *a*) Quidam dicunt punitionem hominis innocentis esse rem intrinsece malam; ideoque in nullo casu licitam 9. — *b*) Alii cum S. Thoma censent judicem, utpote personam publicam, judicare semper posse ac debere juxta allegata et probata 10. — *c*) Demum alii censent adhærendum esse opinioni priori, si agatur de causa criminali et de pœna gravissima, qualis esset mors, mutilatio; adhærendum esse alteri, si agatur de causa civili, vel in causa criminali de privatione eorum bonorum, quibus societas quempiam privare potest ratione boni communis; cujusmodi esset pœna pecuniaria vel exsilii aut privationis officiorum 11 carcerem perpetuum vel diuturnum quidam prioribus pœnis accensent, quidam posterioribus.

Quæstio hæc locum non habet quoad juratos; hi enim respondere debent juxta conscientiam et intimam persuasionem, quam, sic ipsa lege statuente, sibi efformare valuerunt ex mediis quibuscumque, et nominatim ex complexu actorum in judicio; consequenter quem norunt esse innocentem non poterunt edicere reum esse.

Poterunt in casu opposito damnare quem certe reum esse norunt, at reum esse ex actis et probatis non constat? — *Negative*. Reus enim, quamdiu culpa ejus juridice non probatur, jus habet ut absolvatur.

Qu. 5. Utrum judex ferre possit sententiam secundum legem injustam?

Resp. 1.° Si sententia justitiâ careat propter incompetentiam judicis; puta, si judici reus sistatur clericus, judex petere debet ab Ecclesia facultatem, nisi jam antecedenter habuerit.

2.° Si sententia esset injusta ratione pœnæ, judex sub quocumque incommodo suo imponere nequit pœnam gravissimam; puta mortem, mutilationem, ergastulum. At, si ageretur de pœna minus gravi, videretur innocens consentire debere damno suo, si secus judici damnum gravissimum subeundum esset; puta amissio officii. Hæc opinio probabilis esse videtur; quamvis incommodis gravibus non careat: durum est enim

9) S. Ligorius *Num. 208;* inclinat in eam Noldin *Num. 723.*

10) S. Thomas *Qu. 64 art. 6 ad 3* et *Qu. 67 art. 2;* cui accedunt Sanchez, Tamburini, etc., apud S. Ligorium *Num. 207.* — Cf. Sebast. *Num. 373 III.*

11) Lessius *Lib. II. Num. 78, 84;* De Lugo *Disput. XXXVII. 44;* Palm. *6;* D'Ann. *590, 29;* Gen. *7;* Sabetti *559.*

quod judex christianus ad mulctam francorum quinque damnare possit christianum, qui renuit adorare idola 12.

3.° Si lex (proinde et sententia) injusta sit ratione rei præceptæ, quatenus imponit aliquid faciendum, quod est contrarium juri naturali ac divino, duplex esse potest casus. Certe judex ferre non potest sententiam, quæ immediate et proxime rem intrinsece malam jubeat; puta, quod mulier coeat viro non suo. At, si sententia judicis sit mera cooperatio materialis, utique necessaria et proxima, ad actionem malam alterius, judex eam ferre posse videtur, si secus ipsi subeunda essent incommoda gravissima; juxta ea, quæ a S. Alphonso ceterisque doctoribus traduntur de cooperatione ad peccatum alterius. — Hinc: *a*) Judex, sub timore gravissimorum malorum, ex recursu viri civiliter alicui feminæ conjuncti, feminæ, quæ ab eo recesserat, imponere potest, ut redeat et præstet eidem officia ab actu civili imposita; quæ sunt mutua cohabitatio, fidelitas, adsistentia: ad illicitum coitum, ab actu civili non impositum, sententia cooperabitur proxime; at materialiter tantum et ex gravissima causa 13. — *b*) Judex (in Belgio et in Francia) poterit ex gravissima causa pronuntiare sententiam divortii, etiam quoad personas Matrimonio christiano conjunctas. Ratio est, quia ejusmodi sententia in se nihil vinculum veri Matrimonii attingit, sed unice tollit effectus civiles per actum civilem inductos: quamvis vero eâ sententiâ abutantur conjuges, Matrimonio vero ac indissolubili conjuncti, quoad hunc effectum sententia judicis est cooperatio proxima et necessaria, at mere materialis 14. — *c*) Si consanguinei personæ defunctæ reclament juridice hereditatem relictam monasterio vel cuicumque enti ecclesiastico civiliter incapaci, sententia legi conformis et consanguineis favens, utique in se injusta est: at quoad peccatum ab istis patratum et monasterii spoliationem est mera cooperatio materialis; quæ proinde haud illicita erit, si causa habeatur proportionata. — *d*) Idem dicatur de sententia, qua filii ex Matrimonio religioso geniti in suis juribus hereditariis lædantur; etc.

Adde quod juxta quosdam theologos vis sententiæ judicis hæc tantum est, ut declaret quid lex iniqua statuat: quæ ratio forte haud firma est. Ceterum, si judices timoratæ conscientiæ propter has difficultates suo muneri essentiales cogantur abdicare, quid sperandum ab illis, qui iisdem subrogentur?

Evidens est in nullo casu sententiam utcumque objective injustam posse *per se*, aut jus conferre, aut obligationem imponere.

Qu. 6. Quomodo in suffragio ferendo se gerere debet juratus, si

12) Genicot *Num. 5;* Noldin *726, 2;* Tanqu. *1009 Nota 3;* Palm. *56.*

13) Cf. Gennari. *Quest. mor. Num. 410,* et *Cons. mor. X 4.*

14) Hanc opinionem tenent Palm. apud Ball. VI. *Num. 818-826;* Gen. II. *561;* Ferr. *8;* Tanqu. *III. 918;* Noldin *De jure matrim. juxta Codicem Num. 171.*

contra canonicas dispositiones penes curiam judicandus deferatur clericus vere criminosus ?

Resp. Juxta Palmieri, potest ac debet clericum proclamare innocentem : ratio ejus est, quia eumdem sontem esse non constat legitime, et aliunde juratus non tenetur suffragii sui reddere rationem. Contradicunt alii, eo quod cum hodie nulla alia ratione possibile sit clericum delinquentem puniri, censenda est Ecclesia consentire, ut, quamvis incompetenter, puniatur a potestate civili : delinquentes enim puniri postulat bonum societatis, eadem ratione, qua postulat quandoque obediendum esse legibus non injustis auctoritatis illegitimæ [15]. Quapropter practice consemus permittendam esse jurato sui suffragii libertatem.

587. *Circa Princ. III. — Qu. 1.* Utrum vim habeat in foro conscientiæ sententia dubie justa ?

Resp. Quousque verum dubium habetur, *affirmative*. Ratio est, quia in dubio præsumptio favet judici ; ac insuper eam sententiam ut justam haberi exigit bonum commune : hoc valet maxime in causis civilibus. Tamen in casu sententiæ probabiliter injustæ licebit a judice inferiore ad superiorem appellare ; ac, appellatione interposita, cessat interim vis sententiæ latæ.

Qu. 2. Utrum juste damnatus teneatur sententiam exsequi ?

Resp. In causa civili *affirmative*. Jam enim res controversa alteri adjudicata est ; quare, si damnatus adhuc rem sibi acciperet aut teneret, acciperet aut teneret rem alienam. In causa criminali, quidam affirmant, si agatur de pœna leviori ; negant, si de graviori : alii negant universim [16] : at, si causa sit mixta et sententia imponat reo aliquid alteri parti solvendum titulo indemnitatis aut compensationis in ordine diverso, id reus solvere debet in conscientia.

Qu. 3. Quænam sit efficacia sententiæ injustæ in foro conscientiæ ?

Resp. Ejusmodi sententia nullam *per se* habere potest efficaciam. Hinc is, cui sententia in causa civili faveret, nullatenus eâ frui potest ; si fruatur, agit injuste. Qui per sententiam læsus fuit, omne suum jus conservat, etsi non appellet ; ac, si cetera requisita adsint, uti poterit occultà compensatione [17]. Tamen ea sententia quandoque servanda erit *per accidens*, ad evitanda scandala vel incommoda.

Qu. 4. Ad quid teneatur judex, qui sententiam tulit contra aliquem injustam ac damnosam ?

Resp. Injusta potest esse sententia, sive quia lata ex notitia injuste extorta, aut ex notitia privata vel non juridice quæsita ; sive, quia ipsa damnatio in se immerita est, aut ex toto, aut ex parte ; etc.

Quocumque ex titulo injusta sit, judex, si eam tulit cum culpa gravi theologica, sive ex imperitia aut negligentia, sive ex iniquitate, tenetur sententiam revocare etiam cum incommodo gravi, ac insuper reparare

15) Palmieri apud Baller. IV. *Num. 65.* — Contra Gen. *9, 2;* Ferr. *10.*
16) Ita D'Annibale *Num. 601, 28;* Gen. *12, III.*
17) S. Ligorius *Num. 215.* — Cf. ibidem *Resolutiones.*

damna injuste per ipsum processum illata. Si sententiam revocare non potest, tenetur resarcire damna omnia, tum præterita et præsentia, tum futura, quorum sententia causa efficax fuit 18. Si absque gravi culpa sententiam tulit, adhuc eam tenetur revocare, at non cum incommodo gravi: si id impossibile sit, ad nihil ex stricta justitia tenetur: teneri adhuc potest ad aliqualem compensationem ex summa æquitate. — Quod si sententia fuit quidem non justa, at nemini damnifica, puta quia judex laicus clericum accusatum et criminosum absolvit, nulla datur obligatio reparationis.

588. **Scholion.** — *De arbitris.* Dicuntur *arbitri,* qui a duobus contendentibus sponte eliguntur, ut, tamquam judices, litem inter eos dirimant. Ex Jure, ut arbitrium juridice vim habeat, arbitri possunt esse viri quilibet, exceptis minoribus et interdictis, unus aut numero impares; ipsis vero compromitti non possunt quæstiones, quæ *status* dicuntur, et illæ in quibus non est locus transactioni 19. Arbitri, si iis commissum fuerit ut litem componant secundum formam et modum processus judiciarii, sunt judices proprie dicti, et verum judicium exercent; si commissum fuit ut dirimant tamquam benevoli compositores ex æquo et bono, proprie judices non sunt, nec eorum arbitratus est verum judicium. — Patet obligationes arbitrorum facile desumi posse ex obligationibus judicum.

Qui dicuntur *Judices conciliatores,* veri judices sunt. Licet enim sententiam ferant non servato ordine Juris, tamen eam ferre debent ex Jure, non ex æquo et bono 20. — Ceterum a contendentibus eligi quoque possunt ad litem amicabiliter componendam.

CAPUT II.

DE ACTORE ET ACCUSATORE

589. *Actor* proprie est, qui causam civilem penes judicem instituit, petens rem sibi ab altero tribui; dum *accusator* dicitur, qui alterius crimen apud judicem defert, assumens onus probandi. Verum hodiernis moribus partem accusatoris sibi assumit ipsius legis vindex ex officio, qui apud nos dici solet *Procurator regius* vel *publicum ministerium;* civibus vero permittitur et quandoque imponitur officium *denuntiandi,* h. e., deferendi penes judicem delictum et delinquentem, excluso onere probationis. Nomine *accusatoris* hic proprie accipimus *denuntiatorem.*

Jure nostro, duplex est ratio procedendi in re criminali. Quædam delicta dicuntur esse *actionis publicæ;* pro his ne denuntiatio quidem

18) S. Ligorius *Num. 214;* Palmieri *Tract. IX 55;* Noldin *727.* — Cohæret Codex *Can. 1625.*

19) Cod. proc. civ. *art. 8-24.* — Cf. Berardi *Num. 3224-3230.*

20) De his Cod. proc. civ. *art. 70, 448-464.* — Cf. Cappello apud *Rivista di apol. crist.* VII. *Rubr. del clero* pag. 132, seqq. (Vicenza 1912).

requiritur; sed ad publicam auctoritatem pertinet de iisdem inquirere et procedere. Alia dicuntur *actionis privatæ*: de his publica auctoritas non curat, antequam pars læsa *querelam* penes judicem proponat; quare in his sæpe admixta simul habetur actio civilis. Generatim ea sola delicta sunt actionis privatæ, quæ ita expresse appellantur in lege, vel de quibus lex edicit procedendum non esse, nisi proposita querela: cetera omnia sunt actionis publicæ.

590. **Principia. I.** Si causa proportionata habeatur, licitum est aliquem penes judicem citare vel accusare; imo citandi vel accusandi quandoque haberi potest obligatio, tum ex caritate, tum ex justitia sive commutativa sive legali, tum ex legibus positivis.

II. « Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud judicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit. Cardinales, Legati Sedis Apostolicæ, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Prælati *nullius*, supremi religionum juris pontificii Superiores, Officiales majores Romanæ Curiæ ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud judicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicæ: ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur » [1].

III. Peccant contra justitiam ac tenentur de damnis, tum qui aliquem penes judicem citat conscius nullitatis sui juris, tum qui aliquem accusat calumniose: qui vero aliquem citat aut accusat juste, at sine causa, aut intentione non recta, peccat contra caritatem.

591. **Quæstiones.** — *Circa Princ. I.* — *Qu. un.* Quandonam habeatur obligatio citandi vel accusandi quempiam penes judicem?

Resp. Obligatio haberi potest ex multiplici titulo: *a*) Ex caritate erga seipsum vel suos; si citatio vel accusatio necessaria esse videatur ad bona magni momenti sive fortunæ sive honoris vel famæ tutanda vel recuperanda. Dari potest similis obligatio ex caritate erga alios; at raro gravis erit propter adnexa incommoda. — *b*) Ex justitia commutativa; nempe, quando quis officium assumpserit defendendi bona vel jura aliorum: ita teneri possunt tutores et curatores, administratores honorum alienorum, custodes agrorum, publici officiales 2. Ita et parochus quan-

1) Codex *Can. 120* §*1* et *2*. De excommunicatione *Can. 234*.

2) At quoad damna leviora, quandoque præsumi potest consensus dominorum, administratorum, etc.; ut denuntiatio omittatur, præsertim si damnificantes pauperes sint nec furtis assueti. Noldin *Num. 731*.

doque tenebitur querelam judiciariam promovere contra iniquum calumniatorem. — *c*) Ex justitia legali; h. e., ex obligatione naturaliter omnibus civibus incumbente procurandi bonum commune et præsertim avertendi damna a societate, cujus singuli membra sunt. Ita fideles quandoque tenentur denuntiare Episcopo sacerdotem vel parochum incurium aut ineptum, cives denuntiare publicæ auctoritati civem tranquillitati civium minitantem, collegæ denuntiare superiori alumnum scandalosum; etc. — *d*) Demum dantur quoque obligationes ex legibus positivis. Ex lege Ecclesiæ tenentur fideles denuntiare confessarios sollicitantes atque clericos et religiosos nomen dantes sectæ massonicæ aliisque similibus associationibus [3]. Ex lege civili medici et alii officiales publici sanitarii denuntiare debent indicia criminosa, quæ ipsi occasione exercendi sua munera perspiciant. Quandoque et imponi potest ab utraque auctoritate similis obligatio pro casu particulari.

592. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Utrum liceat quempiam accusare de crimine dubio, vel de crimine certo at occulto?

Resp. Ad 1. Certe non licet quempiam accusare de crimine dubio negative: at, exstante causa proportionata, licebit accusare, si habeantur indicia gravia, dummodo crimen non denuntietur tamquam certum.

Ad 2. *Affirmative*, quoties id expresse præcipiatur per leges positivas ecclesiasticas aut civiles, vel quandoque per legem naturalem evidenter; ut, si agatur de delinquente in bonum publicum minitante. — Item *affirmative*, si agatur de crimine, quod poterit juridice probari, et habeatur causa proportionata; puta ad jus indemnizationis sibi vel alteri recuperandum. — Generatim vero *negative*, si delictum sit omnino occultum, nec ullatenus vergat in damnum commune aut privatum alicujus.

CAPUT III.

DE REO

593. *Reus*, a re debenda, dicitur « ille, a quo actor in re civili petit pecuniam aut aliquid pecunia æstimabile, vel accusator in re criminali petit damnationem et pœnam ». In re civili reus fieri potest actor, si contra hunc aliquid excipiat; puta, si petenti legatum respondeat testatorem dolo deceptum aut metu compulsum fuisse. In re criminali, leges recentes in hoc differunt ab antiquis, quod a reo numquam exigunt confessionem criminis, nec ei imponunt juramentum: judex de hoc tantum interrogat reum, utrum aliquid ad accusationes respondendum habeat: eum interrogare potest, etiamsi non præcesserit semiplena probatio; ac damnare potest, etiam confessum.

594. **Principia. 1.** Reus, qui in causa civili, sciens

3) Obligatio denuntiandi hæreticos vel suspectos de hæresi, forte et coryphæos sectæ massonicæ, practice propter hodierna rerum adjuncta pene exsolevit.

justam esse petitionem actoris, ipsum ad litigandum cogit, peccat contra justitiam, atque de re tenetur, etsi deficientibus probationibus actor suum jus probare nequiverit : insuper erga ipsum tenetur de damnis.

II. Juribus hodie vigentibus, reus in causa criminali, etiam vere criminosus, numquam tenetur suum crimen fateri : hinc, utens restrictione mentali, negare quoque potest se crimen commisisse.

III. Reus, in causa civili juste damnatus, tenetur sententiæ judicis obedire eamque exsequi : reus, in causa criminali juste damnatus, prohibetur ministros a sententia exsequenda impedire, sive vi et metu, sive corruptione.

595. **Quæstiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. un.* Utrum reus ad infirmandam fidem accusatoris vel testium possit eorum crimina occulta revelare ?

Resp. Affirmative, quoties habeatur titulus necessitatis ad justam sui defensionem. Itaque : *a*) Necesse est hanc sui defendendi rationem non esse injustam. Porro semper injustum est alicui crimina non vera imponere : quare nec ipse accusatus innocens, cui non alia sit sese defendendi via, poterit illos calumniari [1]. — *b*) Necesse est eam se defendendi rationem esse necessariam. Hinc reus ad se defendendum a crimine furti non poterit revelare occultum accusatoris vel testis concubinatum ; licebit affirmare eos esse simpliciores, fallaces, mendaces, malevolos ; at neque id licebit, si reus possit se aliis mediis nemini noxiis defendere. — *c*) Necesse est reum habere jus sese defendendi. Porro hoc jus certe habet innocens. — Habet et delinquens ? Hic jus habet ostendendi accusatorem ac testes idoneos non esse, idque justis mediis probare : hinc forte excipiendus casus, quo testis testari necesse habeat ; hic enim non aggreditur [2].

596. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Utrum reo licitum sit fugere e carcere ?

Resp. Ex sententia hodie satis recepta et certe probabili, *affirmative ;* sive ille innocens sit, sive criminosus ; sive ad custodiam detineatur, sive ad pœnam ; sive carcer durissimus sit, sive levis. Ratio est, quia non est rei locatum conducere carcerem, sed ministrorum ipsum includere ac detinere.

Quoad media : Si innocens sit, ad fugiendum uti poterit mediis omnibus non excedentibus limites inculpatæ tutelæ adversus aggressorem saltem materialiter injustum : hinc poterit effringere fores, decipere vel

1) *Prop. 44* damnata ab Innocentio XI, apud DENZ. *1194 ; S.* LIG. *Num. 277*

2) Cf. D'ANNIBALE *Num. 588 ;* BALL. *112, 113.*

inebriare custodes, imo et ministris vi includentibus aut detinentibus vim apponere, quanta ad sese eximendum necessaria sit 3: at non licebit eosdem corrumpere, nec, juxta quosdam, inebriare ebrietate formali. Si vere criminosus est, fugere quidem poterit, tum ante, tum post sententiam; at non poterit vi minitris resistere, qui in uroque casu jus habent eumdem comprehendendi ac detinendi: multo minus poterit eosdem corrumpere; quia formaliter eorum iniquitati cooperaretur.

CAPUT IV.

DE TESTIBUS

597. *Testes* in re præsenti dicuntur « personæ, quæ ad fidem alicujus facti penes judicem faciendam adhibentur ». Ad capacitatem juris naturæ requiritur quod testis sit persona apta ad fidem faciendam: capacitas juris positivi per leges determinatur.

Ex multiplici capite haberi potest obligatio testificandi: nominatim ex caritate erga innocentem oppressum, ex necessitate boni publici procurandi, ex assumpta expresse vel tacite obligatione justitiæ, ex lege aut præcepto legitimæ auctoritatis ecclesiasticæ vel civilis, etc.

In causa civili, et plerumque etiam in criminali, testi ante testificationem imponitur juramentum de dicenda veritate et sola veritate. Hoc juramentum modo validum esse supponimus; ceterum alibi indicamus nobis absurdum videri *juramentum atheum*, quale hodie in tribunalibus italicis emitti debet.

598. **Principia. I.** Testis aperire debet judici legitimo quæ judex quærit ab eo; dummodo et judex juridice quærat, et ipse quæsita sciat. Ratio est, quia quisque civis debet in conscientia obedire legitimæ auctoritati præcipienti.

II. Testis, qui in judicio falsum testificetur, aut verum dicendum taceat, peccat peccato *per se* gravi contra virtutem obedientiæ; idem peccat peccato semper gravi contra virtutem religionis, si ad dicendam veritatem et solam veritatem sese per verum juramentum obligaverat.

III. Testis, qui in judicio positive mentiatur, peccat contra justitiam, si sua testificatione alicui noceat; ac proinde tenetur reparare omnia ea damna, quorum sua falsa testificatio fuerit causa efficax, injusta et culpabilis theologice.

3) Cf. Frassinetti *Nota 18 al Num. 314;* Gen. *12 III;* Ferr. *11;* etc. Non inde justificatur *Prop. 18* damnata ab Alexandro VII., ut innuit Marc *Num. 2211.*

599. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª In processu, sive civili sive pœnali, qui apud tribunal laicum absque debita auctorizatione instituatur circa personam sacram aut in causa juris ecclesiastici, non peccat contra virtutem obedientiæ testis, qui aut falsum dicat, aut verum taceat: at in primo casu peccat contra virtutem veracitatis, nisi utatur restrictione late mentali; in utroque peccare potest ratione scandali aut injustæ damnificationis.

2.ª Non peccat contra obedientiam testis, qui interrogatus respondeat se nescire ea, quæ ipse scit scientiâ, quam ipsi quoque judici communicare prohibetur; ejusmodi est scientia ex confessione sacramentali; item scientia ex secreto officii, vel utcumque commisso, quousque interrogatio versatur circa crimen mere præteritum.

3.ª Testis, interrogatus num quidpiam sciat, respondere potest, et generatim debet, se nescire, si interrogatio versatur circa ea, quæ ipse opinatur, aut credit, aut conjicit, aut deducit, aut ab aliis audivit.

4.ª Interrogatus num quidpiam de crimine ejusve auctore audiverit, respondere potest et regulariter debet se nihil audivisse, si a personis non fide dignis audiverat.

600. *Ex Princ. III.* — 1.ª Numquam a gravi peccato eximitur testis, qui in judicio falsum dicendo mentiatur positive; puta, si in causa civili dicat hanc summam Titio mutuatam non fuisse, vel in causa criminali domum a Cajo incensam non fuisse. Si exinde sententia injusta feratur a judice, de ea et de ejus effectibus tenetur testis.

2.ª Qui mentiatur negative, affirmando se nihil scire de debito, vel de crimine, quod novit, peccat quidem contra obedientiam: at non contra justitiam, nec de damnis tenetur; nisi antea ad testimonium ferendum ex contractu vel quasi contractu sese obligaverit [1].

3.ª Qui, falsum scienter et cum gravi culpa testificans, causa potest esse qua innocens damnetur et pœna plectatur, debet malos suæ testificationis effectus impedire ipsam revocando; etsi hæc revocatio allatura sibi sit dammum æquale aut non multo gravius illo, quod allatura esset innocenti sua falsa testificatio; ergo etiam cum periculo vitæ, si ex ejus testimonio ad mortem damnetur. At, si revocatio impossibilis aut inutilis esset, tenetur adhuc omnia damna reparabilia reparare.

4.ª Qui in falso et damnifico testimonio ferendo temeritate aut naturali levitare peccavit, at non graviter, probabiliter quoad obligationes æquiparandus est ei, qui alteri dammum attulit inculpabiliter [2].

601. **Quaestiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum teneatur de crimine alterius testificari testis, qui simul cogeretur notitiam aut saltem suspiciones de sua reitate ingerere?

Resp. Negative; cum huic obligationi obstet obligatio caritatis erga seipsum: quod verum est etiam, si agatur de notitia aut suspicionibus

1) S. Ligorius *Num. 270, Dub. 3;* D'Ann. *Num. 587, 14.*
2) Cf. quæ diximus *Num. 278 Qu. 2;* et Lehmk. *Casus* I. *692.*

adversus aliquem e familia. Hanc excusationem admittunt ipsi Codices; qui proinde e numero testium conjunctos personæ imputatæ generatim excludunt.

Valebit ne idem, si testis odia aut vindictas timeat ex parte ipsius imputati, vel ejusdem familiæ? Utique, si cum gravi fundamento mala vere gravia timeat; secus vero, si timeat incommoda minoris momenti, puta dissolutionem præcedentis amicitiæ, aut alia communiter contingentia.

Qu. 2. Utrum teneatur testificari, qui rem novit sub secreto?

Resp. a) Si rem novit sub secreto commisso, *negative;* eo quod obligatio servandi secretum exsistebat ante ipsius secreti commissionem. Excipiendus est casus, quo ex omissa testificatione damnum grave religioni vel reipublicæ evenire possit; pro quo casu non poterat ille se ad secretum obligare [3]. — *b)* Si rem novit sub secreto promisso, *affirmative;* eo quod obligatio revelandi crimen ad interrogationem judicis antecedebat promissionem secreti, nec ad hoc absolute servandum sese obligare potuit. — *c)* Item generatim pro casu interrogationis judicialis cessat obligatio secreti naturalis; quæ si prævaleret, numquam in causis criminalibus testificari liceret.

Qu. 3. Utrum quis teneatur testificari, si ipse solus ab accusatore producatur, nec criminis habeatur semi-plena probatio?

Resp. Id quidem negabant plures theologi cum Doctore Angelico et S. Alphonso, præ oculis habentes Jura antiquiora, quæ ad juridicam interrogationem præexigebant semiplenam probationem aut infamiam, neque ex unico teste umquam reum damnari decernebant. Verum aliter statuunt Jura recentia; juxta quæ unicus testis *per se* sufficere potest ad damnationem rei. Quare modo licitum esse videtur testi testimonium dare, etiam si ipse solus reatum et reum novit.

Imo generatim id obligatorium quoque esse videtur. Nam Codices ita nunc decernunt: adde quod judices regulariter interrogare de reatu et de reo non debent, nisi gravia indicia præcesserint; jurati autem propter unius testis testificationem numquam solent accusatum damnare [4]. At, si certo sciat nec aliud testimonium nec alia indicia contra accusatum afferri posse, ad quid suspiciones infamantes contra illum adducet?

Qu. 4. Quid agendum testi, quando juxta dicta testificari non tenetur?

Resp. a) Si omittat se coram judice sistere, etiam juridice citatus, contra nullam virtutem peccat; nisi forte contra caritatem erga seipsum proper pœnalitates, quibus obnoxius fieri potest. — *b)* Si coram judice compareat, ad interrogationes judicis in casibus modo indicatis potest, et quandoque debet, respondere se nihil scire: neque in hoc mentitur;

3) At secretum ex officio longe gravius urget, quam secretum mere commissum.

4) PALMIERI *Num. 97;* FERR. *37. Qu. 7;* practice GEN. *17 NB.*

nihil enim scit de re illa scientiâ, quam possit et teneatur judici communicare. — c) Si juramento promiserat se dicturum esse omnem veritatem, eas veritates tacendo non pejerat.

602. *Circa Princ. III.* — *Qu. un.* Ad quid teneatur testis, qui bona fide falsum testimonium dedit ?

Resp. Generatim tenetur datum testimonium revocare ; non modo, si aut actori aut reo in causa civili, aut accusato in causa criminali nocuit ; sed etiam, si in causa criminali nemini nocuit, quia ex ejus testificatione reus vere delinquens absolutus fuit. Ratio in prioribus casibus ea est, quod impedire debet, et quidem ex justitia, ne actio sua inculpabiliter posita alteri noceat : in casu tertio, ratio est ex debito justitiæ legalis et ex obedientia debita legitimæ auctoritati. Verum in tertio casu facile a facienda revocatione excusatur ob incommoda communia ; præsertim, si speret reum nemini deinceps noxium futurum. In duobus casibus prioribus excusabitur, quando revocatio nihil profutura sit personæ damnificatæ, aut, si ei proderit, sibi allatura sit incommodum vere grave. Si et revocatio in hisce casibus utilis fuisset personæ damnificatæ, et, quamvis ipse testificationem commode revocare potuisset, non revocavit, tenetur omnia damna reparare ; quia ea omissio simul cum præcedenti testificatione vere est damnorum alterius causa efficax et injusta et culpabilis theologice.

CAPUT V.

DE ADVOCATO

603. *Advocatus* seu *causidicus* dicitur « ille, qui alterutrius e litigantibus in re civili, vel rei in processo criminali, patrocinium suscipit ». Ille, cujus causæ advocatus patrocinatur, dicitur *cliens*. Patet advocato necessariam esse scientiam juris, tum naturalis, tum positivi ; non quidem extraordinariam, at communem et causis ordinarie defendendis parem : idem dicatur de diligentia, quæ in causa pertractanda requiritur, tum ex justitia legali erga societatem, tum maxime ex justitia commutativa propter quasi-contractum cum cliente.

Nisi caritas exigat causam inopis clientis suscipiendam ac tractandam esse gratis [1], advocatus exigere potest stipendium justum. At impossibile est normis generalibus limites justi stipendii definire ; cum causæ aliæ planissimæ, aliæ intricatissimæ sint, ac ideo haberi nequeat *pretium currens*. Idcirco standum est normæ tutissimæ extrinsecæ, quæ est praxis advocatorum timoratæ conscientiæ. Juribus hodiernis illicitum non est solutionem stipendii alligare victoriæ ; ut cliens, si vincat, partem aliquotam bonorum tribuat advocato, nihil, si labatur : at cavendum a fraudibus.

1) Quando id caritas exigat, indicat S. THOMAS *2. 2. Qu. 71, art. 1.*

604. **Principia. I.** Advocatus numquam potest suscipere causam injustam, vel eam, bona fide susceptam, ulterius prosequi: peccaret enim contra justitiam commutativam, ac teneretur de damnis, vel erga clientem, vel erga ipsius adversarium.

II. Advocatus licite suscipere potest, tum causam certe justam, tum justam probabiliter; at neutram defendere potest fraudibus, mendaciis aliisve mediis injustis.

III. Susceptâ causâ, advocatus clienti suo debet operam et fidelitatem: operam, qua ejus causam diligenter scrutetur et perpendat et pertractet; fidelitatem, qua et ipsi statum ac vicissitudines causæ sincere aperiat, et ejus secreta nemini pandat.

605. **Resolutiones.** — *Ex Princ. I.* — 1.ª Peccat, et *per se* graviter, advocatus, qui quascumque causas, nullo præmisso examine, temere defendendas suscipiat.

2.ª Si in re civili advocatus causam injustam scienter suscipiat, et inde ipsius cliens juste sententiam contrariam subeat, advocatus peccat ac de damnis clientis tenetur: si sententiam contrariam injuste subeat adversarius, item advocatus peccat ac de istius damnis tenetur.

3.ª Eadem dicenda, si advocatus a causa jam suscepta non desistat, cum ipsius injustitiam decursu litis advertit.

4.ª Si in processu criminali advocatus injuste causam accusatoris susceperit ac defenderit, injustæ damnationi innocentis cooperatur, et proinde, si hic damnetur, tenetur omnia ejus damna reparare.

5.ª Advocatus, qui causam injustam mediis injustis tueatur, omissis peccatis mendacii, dupliciter peccat contra justitiam, ac ad restitutionem tenetur; tum ratione causæ, tum ratione mediorum.

6.ª Item peccat contra justitiam ac ad restitutionem tenetur, si ex ejus incuria aut dilatione graviter culpabili damna clienti proveniant.

606. *Ex Princ. II.* — 1.ª In processu criminali non est *per se* injusta defensio rei, etiam vere delinquentis: cum enim hic jus habeat ut non damnetur, antequam suum crimen positive ab accusatore vel a Procuratore regio probetur, advocatus semper poterit juridicam criminis probationem impedire. Si reum dimitti consequatur, non videtur teneri ad damna partis læsæ, puta familiæ occisi, reparanda; quippe quorum occasio, non causa, est. Excipiendus casus, quo agatur de homine, qui, si liber evadat, perniciosus erit societati.

2.ª In re civili advocatus defendere potest clientem, sive actorem, sive reum, cujus causa nonnisi probabiliter justa est: in ipsa enim causæ discussione veritas facile elucescet, ex qua justitia vel injustitia patebit.

3.ª Qui mediis injustis defendat causam dubie justam, præter pecca-

tum mendacii, committit etiam peccatum injustitiæ: impedit enim injuste adversarium a sententia sibi favorabili consequenda.

4.ª Advocatus, si advertat causam valde dubiam esse, clientem de hac re monere debet ex justitia; si ille monitus desistere nolit et causâ labatur, ad nihil erga ipsum tenetur advocatus.

5.ª Si causa dubia est, advocatus suadere potest clienti transactionem; at, si eam suadeat in causa certe injusta, peccat contra justitiam, et de damnis partis læsæ tenetur.

607. *Ex Princ. III.* — 1.ª Diligentia ab advocato adhibenda debet esse proportionata gravitati rei; ac generatim ea, quam ipse in re sua adhiberet. Si defectus hujus diligentiæ causa culpabilis sit, qua aut causam perdat, aut propter longiorem dilationem expensæ clientis augeantur, ipse advocatus de damnis erga clientem tenetur.

2.ª Si decursu causæ advocatus advertat probabilitatem victoriæ nutare aut prorsus evanescere, de hac re tenetur clientem monere, et quidem ex justitia, ut hic expensas inutiles vitare valeat.

3.ª Advocatus, qui, causâ examinatâ, advertat eam defendi non posse, sive quia injusta, sive quia probationibus destituta, non potest cognita secreta alteri parti aut judici revelare; excepto casu, quo propter gravissimum damnum sive communitatis sive privatæ personæ, obligatio secreti ex officio commissi cessare censenda sit 2.

4.ª Generatim advocatus, qui causam clientis susceptam deseruerit, lege positiva prohibetur parti adversæ patrocinari.

608. **Quaestiones.** — *Circa Princ. II.* — *Qu. 1.* Utrum advocatus possit in causa civili instrumentum fabricatum exhibere ut authenticum?

Resp. 1.° Si independenter ab instrumento jus clienti realiter non competat, *negative*: tum advocatus, tum cliens peccarent contra justitiam, ac tenerentur ad restitutionem in solidum.

2.° Si jus eidem realiter competat, hoc vero juridice probari non possit propter defectum instrumenti, sive olim exsistentis et hodie deperditi vel destructi, sive etiam numquam exsistentis, adhuc ea fabricatio et exhibitio peccatum est mendacii officiosi et inobedientiæ contra legem positivam prohibentem; at nihil obstat justitiæ commutativæ. Quare, si jus vere exsistit, hoc autem advocatus probat instrumento conficto, litem vincit juste; ac proinde cliens suum jus recipit, ac neuter ad restituendum tenetur 3. Ita, si certo constet Titium per verum et validum testamentum institutum fuisse, advocatus non peccat contra justitiam, si per testamentum fabricatum integram hereditatem Titio adjudicari obtineat.

Poterit etiam hereditatem Titio vindicare supplendo defectum te-

2) S. THOMAS 2. 2. *Qu. 71, art. 3;* GENICOT *Num. 15 IV.*

3) Cf. BALLERINI ad Gury *Num. 963, 3;* PALM. *83.* — Quoad mendacium, plures ex S. LIGORIO *Num. 277* censent esse grave propter perversum ordinem justitiæ publicæ: non ita censent omnes, apud LEHMK. I. *Num. 824 VI.*

stamenti informis? — *Negative;* tum, quia ex testamento informi jus Titii mere probabile est; tum, quia medio injusto prohiberet consanguineos Caji a suo jure item probabili propugnando, quod propugnantes certe a judice sententiam favorabilem et certe justam referrent. — Idem dicendum esse videtur, si ex defectu scripturæ privatæ impugnetur aliquis ex illis contractibus, qui scripturâ privatâ egent ad probationem.

Qu. 2. Utrum advocatus, perorans penes curiam juratorum causam rei vere delinquentis, uti possit argumentis quibuscumque ad culpabilitatem clientis infirmandam et forte prorsus excludendam? — Quid, si hac ratione absolutionem rei a juratis extorqueat?

Resp. a) Certe uti non potest mendaciis, fraudibus aliisve mediis injustis, quibus juratorum judicia pervertat. — *b)* Consequenter neque uti potest falsis principiis philosophiæ deterministicæ, quibus humanam libertatem præsertim in actionibus malis penitus eliminet: ita appellare non debet ad vim irresistibilem, ad instantaneam fatuitatem, ad nativam criminositatem, ad atavismum, etc.; quasi causæ necessariæ hominem velut invitum lege generali in scelera trahant 4. — *c)* E contra damnandus non videtur, quousque insistat adjunctis personalibus rei, circumstantiis consummationem criminis provocantibus, hæc omnia arte oratoria ita exponendo et amplificando, ut juratorum commiserationem, forte et sympatiam, in suum clientem conciliet. Quod inde reus criminosus liber dimittatur, id deplorandum quidem est; at, potiusquam peritiæ advocati, imputandum est imperitiæ juratorum, qui inter veras, aut fucatas rationes nihil discernere sciunt. Tamen, si homo ob sua delicta animumque in iis obfirmatum foret perniciosus reipublicæ, advocatus publico bono potius consulere debet, quam privato.

Qu. 3. Quomodo se gerat advocatus (in Belgio et in Francia), si ad causam divortii propugnandam vocetur?

Resp. Si conjuges (aut unus ex illis) licite petunt divortium, advocatus licite eam causam potest propugnare. Si illi petant illicite, advocatus tunc tantum causam agere potest, cum ratio gravissima, ex. gr., vitandi notabilis damni, habeatur 5: at certe non sufficeret generatim amissio honorarii, quod pro causa agenda reciperet.

Advocatus admitti potest ut defensor vinculi in causa divortii; « dummodo Episcopo constet de probitate ipsius, et ipse nihil agat quod a principiis juris naturalis et ecclesiastici deflectat 6.

609. **Scholion.** — *De notariis. Notarius* seu *tabellio* est « ille, qui auctoritate publica constituitur, ut publica vel publicanda instrumenta et acta juridice scribat, ad fidem faciendam, tum in judicio, tum extra judicium ». Ex analogia ad ea, quæ dicta sunt de officiis advo-

4) Vim causarum in crimina trahentium hodie perurget schola Lombrosiana cum positivistis et materialistis. Cf. TANQUEREY *Num. 266-279.*

5) Cf. NOLDIN III. *Num. 675;* OJETTI ad v. *Syndicus* in fine: contrarium tenet MATHARAN *Casus de Matrim. 122.*

6) S. Off. 19 dec. 1860. — Licentia Ordinarii quandoque poterit præsumi.

cati, patet notarium quoque ex quasi-contractu teneri quandoque cum societate, quandoque cum personis privatis, ad peritiam et diligentiam suo muneri et gravitati negotii parem adhibendam; ac proinde ad restituendum teneri, si ex defectu aut peritiæ aut diligentiæ damna afferat, sive societati, sive personis privatis.

Notarius non peccat, si in instrumento venditionis conficiendo pretium vero inferius inscribat, ut hac ratione tributum fisco solvedum minuatur. — Num vero peccet, si suam operam præstet conficiendo instrumento jurium Ecclesiæ læsivo, deduci potest ex iis, quæ in simili casu diximus de judice.

CAPUT IV.

DE MEDICO ET CHIRURGO

610. *Medicis* atque *chirurgis* (item obstetricibus, et cum proportione pharmacopolis) applicanda sunt principia generalia de obligationibus assumptis e quasi-contractu, simili ratione ac eadem applicavimus judicibus et advocatis.

Eorum obligationes proprie sunt ex quasi-contractu, et proinde ex justitia; cum ad suum officium præstandum stipulato stipendio assumuntur, aut a persona vel familia particulari, aut a municipio vel a prælato pro integra communitate. At præterea ad suam operam præstandam quandoque teneri possunt ex caritate, et quidem *sub gravi*, et cum incommodo non levi, si contingat quempiam ex gravi morbo, aut vulnere aut partu imminenti eorumdem opera indigere. Quæ generatim diximus de peritia ac diligentia in assumentibus aliquod officium requisitis, quammaxime spectant ad medicos obligatos ex justitia; secundario et cum debita proportione spectant etiam ad obligatos ex caritate. — Itaque, supposito quod medicus et peritia sufficienti polleat et diligentia communiter requisita utatur, speciatim statuimus sequens:

611. **Principium.** — Medicus, ad curam alicujus infirmi assumptus, tria præstare debet ex justitia: *a*) Indolem morbi investigari; *b*) in usu medicamentorum sequi tutiora; *c*) ita morbo curando incumbere, ut infirmo in bonis ordinis superioris detrimenta non afferat.

612. **Resolutiones.** — 1.ª Tenetur medicus infirmum invisere, et pro diversa morbi qualitate frequentius visitare; ne secus, morbi indole non bene perspecta, temere remedia inutilia aut forte nociva præscribat.

2.ª Si de indole morbi incertus hæreat, nedum permittere, sed et curare debet, ut consulendi gratiâ alii medici advocentur: cavendum autem ei, ne suæ peritiæ et perspicaciæ nimis confidat.

3.ª Si e duobus medicamentis unum profuturum sit certe, alterum probabiliter, uti debet priori: quod multo magis dicendum, si alterum forte possit esse obfuturum.

4.ª Si medicamentum certe profuturum non habeatur, e duobus probabilibus uti debet probabiliori; si unum certe innocuum sit, alterum forte nocivum, uti debet priori.

5.ª Si medicina aut operatio chirurgica, utilis quidem fore censeatur, at simul periculum mortis accelerandæ secum ferre timeatur, ab ea abstinendum est; nisi habeatur consensus, aut ipsius infirmi, aut saltem familiæ ejusdem. Si habito consensu, medicina præbetur aut operatio perficitur, curandum, ut prius infirmus suæ æternæ saluti consulat ac de suis bonis temporalibus disponat.

6.ª Medicus et chirurgus cavere debent ab iis remediis, quæ, dum dolores infirmi precario lenire aut sopire possunt, simul obesse possent sanitati ejusdem habituali, aut ejusdem facultates intellectuales habitualiter turbare: id maxime cavendum, si ex medicina aut operatione mors possit imminere.

7.ª Peccat *per se* contra justitiam et graviter medicus, qui positive infirmum periculose decumbentem circa suum statum sciens decipiat, affirmando et confirmando nullum impendere periculum; ex quo facile fiet, quod ille necessitates animæ suæ negligat, ac de suis rebus non disponat.

613. **Quaestiones.** — *Qu. 1.* Utrum peccet medicus, qui tempore morbi contagiosi ab urbe vel oppido infecto aufugiat?

Resp. Si nec a communitate, nec a familia privata conductus sit, certe non peccat contra justitiam. Neque peccat contra caritatem, si eo in loco alii medici sint suam operam præstituri: si alii non sint, certe opus eximiæ caritatis faciet, bonum publicum suo bono privato præferens; at arduum est affirmare eumdem ad hoc absolute teneri, præsertim si nedum sibi, sed et familiæ suæ consulere debeat.

Qu. 2. Utrum applicari possit, aut etiam debeat, remedium efficaciæ dubiæ, quando de ægroti valetudine recuperanda desperatur?

Resp. a) Si remedium certe innocuum sit, et dubitatur num sit profuturum, certe applicari debet. — *b*) Si omisso remedio, certe mors secutura sit, remedium autem ejusmodi sit, ut probabilius salutem restituere possit, sed etiam mortem probabiliter accelerare, illud adhibendum esse videtur; cum aliqualis spes salutis restituendæ sit ratio sufficiens permittendi aliqualem probabilem mortis accelerationem. Quod si hinc inde probabilitas æqualis sit, alii aliter sentiunt: quidam dicunt expectandum esse ut natura, Deo auxiliante, seipsam sublevet; alii ex præsumpto ipsius ægroti consensu censent esse hoc extremum remedium tentandum. Quidquid ergo medicus, et cum ipso familia decernat, peccatum non habetur [1].

Certe autem applicari non potest infirmo, etiam desperato, remedium, de quo negative dubitatur an utile sit vel nocivum, ad scopum

1) S. Licorius *l. Num. 46;* Ball. ad Gury *984, 5;* Gen. *20* III; Ferr. *44 Qu. 6.*

experiendi ipsius remedii efficaciam: id enim evidenter contrarium est contractui inter medicum et ægrotum inito.

Qu. 3. Utrum ad leniendos infirmi dolores medicus uti possit morphio, clorophormio, cocaino aliisque mediis sensuum passivitatem obtundentibus ?

Resp. Solutio quæstionis pendet a proportione inter acerbitatem dolorum, et periculum pravorum effectuum, qui ab iis mediis produci possent. Si dolores acerbissimi sint extraordinarii, licebunt media efficaciora et paulisper periculosiora, quam si dolores sint ordinarii: certe abstinendum est ab usu horum mediorum immodico, qui generatim plus nocet, quam juvet [2].

Qu. 4. Utrum medicus morbos quosdam curare possit ope magnetismi vel hypnotismi ?

Resp. Affirmative; dummodo *a)* prius omnia alia remedia adhibuerit, quæ certe intra limites efficaciæ naturalis consistunt; *b)* contra quemcumque virium præternaturalium interventum expresse vel tacite protestetur; c) certo sciat usum horum mediorum allaturum non esse infirmo periculum damni, sive quoad statum valetudinis habitualem, sive quoad facultates rationales. — Ratio, qua sub his conditionibus usus horum mediorum liceat, ea est, quod non certe constat omnia phænomena magnetismi et hypnotismi intra priores gradus superstitiosa esse [3]. — Quare medicus ea facere potest, eaque infirmus ejusque familia possunt permittere et exigere.

Qu. 5. Quænam sint medici obligationes relate ad animam ægroti ?

Resp. a) Certe ex virtute caritatis tenetur, et quidem *sub gravi*, eumdem, sive immediate, sive per familiam aut confessarium, monere de gravi moriendi periculo, statim ac illud revera haberi animadvertit. — *b)* Si antecedenter rogatus promiserat, aut ipsi infirmo, aut familiæ, se de periculo moniturum, ad monendum tenetur ex justitia; hæc promissio facile subintelligenda est, saltem ut obligans ex fidelitate, si agatur de infirmo ad communitatem religiosam pertinente, vel qui seipsum curandum non commisisset medico, a quo talem monitionem non exspectaret. — c) Aderat et gravissima obligatio ex lege positiva Ecclesiæ; at hæc propter hodiernas temporum conditiones exsolevit.

CAPUT VII.

DE SYNDICO

614. *Syndicus* ille est, qui communitati municipali ex voto electorum præficitur. Etsi forte huic officio stipendium non rependatur, tamen

2) Cf. GENICOT *Num. 20;* FERR. *45;* ALBERTI *Theol. past. Pars alt. Num. 78, 79.*

3) Cf. ANTONELLI *Medic. pastor.* I. *Num. 414. sequ.;* FERR. I. *364-663;* QUEVASTRE *269 Qu. 6, Resp. 4.*

inter syndicum et communitatem verus quasi-contractus initur; vi cujus ille ad honorem jus acquirit, ista ad rectum muneris eidem collati exercitium. Hinc summatim obligationes syndici duæ sunt: Peritia ad hoc munus recte exercendum, de qua judicare potius debent electores, quam eligendus; recta communitatis gubernatio, qua civium tranquillitatem et prosperitatem, et simul eorumdem bonum religiosum et morale pro viribus curet.

Cum syndicus primas partes habeat, tum in sessionibus consiliariis, tum præsertim in deliberationibus quæ selectis administratoribus (*giunta*) reservantur, ideo tum in illis, tum præsertim quoad istas, procurare debet, ut munera publica magistri, medici, obstetricis, etc. nonnisi personis undequaque idoneis conferantur, ut pueri et puellæ scholas municipales adeuntes in ipsis veritatibus religiosis, tum theoreticis, tum practicis erudiantur, ut leges Ecclesiæ, quantum ad res publicas et exteriores pertinet, religiose custodiantur; maxime vero ut scandala et spectacula irreligiosa et immoralia ab oculis civium amoveantur [1].

Quia vera speciales difficultates oriri possunt circa adsistentiam matrimoniis civilibus a syndico præstandam, ideo de hac duas proponimus quæstiones:

615. **Quæstiones.** — *Qu. 1.* Quid agendum syndico, si coram ipso actum civilem peracturi se sistant vir et mulier, quos certo novit Matrimonium religiosum nec contraxisse, nec umquam contracturos?

Resp. 1.° Ipse nihil omnino agere debet contra sanctitatem Matrimonii et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia; insuper scandalum removere debet, eosdem hortando, ut, vel antea, vel saltem postea, contrahant coram Ecclesia. Obligatio prior est ex religione; altera ex caritate: verum, dum prior negativa est, et obligat semper et pro semper, altera affirmativa tunc tantum obligat, cum nec nimis difficilis est, nec inutilis esse videtur.

2.° Hisce præstitis, syndicus adsistere poterit actui civili, quando secus incommoda vere gravia pertimescat; cujusmodi essent gravis mulcta ac depositio ab officio. Ratio est, quia ipsius adsistentia est cooperatio materialis ad peccatum alterius ex causa proportionate gravi. Porro, juxta regulas a probatis auctoribus ac præsertim a S. Alphonso traditas, ejusmodi cooperatio materialis in eo casu non est illicita. Confirmatur hæc resoluto ex declaratione S. Pœnitentiariæ alias citata [2].

Qu. 2. Quid syndico agendum, si, aut uterque, aut alteruter e prædictis, sit præcedenti Matrimonio religioso cum altera persona conjunctus? — Quid, si ad actum civilem se sistat persona Ordine sacro aut voto solemni obstricta?

Resp. Quæstio difficillima et intricatissima huc reducitur: Utrum

1) Scavini I. *Num. 675.*

2) Cf. Gennari *Cons. mor. XL. 1-4;* Noldin III *681;* Gasparri *De Matrim.* II. *1230;* Zanin. V. *1728 V.*

adsistentia syndici in iis casibus sit per se et intrinsece mala, an vero sit mala malitiâ tantum cooperationis ad gravissima peccata aliorum et (in primo casu) ad injuriam in tertiam personam. Si primum, in nulla hypothesi, etsi secus mors syndico intimetur ejusque familia in extremam egestatem labatur et syndicalis dignitas ad impiorum manus deveniat, numquam syndico licebit suam adsistentiam præstare. Si alterum, licebit, quando secus gravissima damna communia, aut etiam privata timeantur. Porro quidam primum affirmant et contendunt; alii affirmant et contendunt alterum: utrique et rationes intrinsecas adducunt et responsa Apostolicæ Sedis pro sua quique opinione afferunt. Relate ad damna privata, quidam ut sufficiens pro syndico habent amissionem officii; quidam hoc habent ut insufficiens. Quapropter syndici certe omnia tentare debent, ut hæc matrimonia civilia pro viribus impediant: at, si id tentaverint frustra et aliunde mala vere gravia pertimescant, quousque Apostolica Sedes definitivam sententiam non dederit, non videntur esse inquietandi. Quod enim syndici adsistentia non sit per se et intrinsece mala, saltem probabile est vere et solide, quin et moraliter certum 3.

3) Cf. nostrum *De Sacramento Matrimonii Num. 137 Qu. 4* (Ed. alt. 1921); item *Lib. IV. Num. 584 Qu. 4.* — De casu altero agit RIVAROLO *Governo della parrochia Tit. I. Cap. I. Sez. II.*

CONCLUSIO

Inter omnes virtutes, quæ maximas facessit confessario anxietates, procul dubio justitia est. Id ex eo potissimum provenit, quod conceptus quidem et suprema justitiæ principia per se evidentia sunt et omnibus patent; at deductiones ex iisdem, etiam immediatæ, sæpe incertæ sunt et inter ipsos theologos controversæ: hinc sæpissime ejusdem virtutis obligationes in casibus practicis obscuræ sunt et plurimos latent. Accedit quod hujus virtutis materia amplissima est et maxime practica, cum ejusdem exercitium et violatio sit usus ferme quotidiani; in rebus et juribus suis, in alienis, in contractibus, in quasi contractibus. Anxietates magis augentur in excipiendis christifidelium confessionibus. Nam quoad peccata aliis virtutibus opposita, communiter satis est quod confessarius eadem audiat, de iisdem judicet et pœnitentem quem dispositum habet absolvat: at quoad peccata opposita justitiæ, tenetur insuper definire, num adsit obligatio restituendi, num certa sit, num gravis hæc sit, an levis; eamque debet pro diversis casibus *sub gravi*, vel *sub levi*, vel nullatenus imponere. Adde eumdem confessarium teneri ad restitutionem erga pœnitentem, vel erga pœnitentis creditorem, si in restitutione pœnitenti imponenda, vel in ea neganda, erraverit culpabiliter; et quidem,

non modo si erraverit culpâ hic et nunc voluntariâ, sed et si erraverit culpâ voluntariâ in causa; nempe, in omisso studio necessario ad solvendos casus communiores, ad dubitandum in rarioribus.

Hæc omnia probant abunde quanto studio investigationi hujus tractationis tam obscuræ, tam amplæ et practicæ, incumbere debeant clerici et sacerdotes; quorum erit, aut est, ut custodiant scientiam, et judicent terram et ad justitiam erudiant multos.

INDEX ALPHABETICUS

Indicantur numeri marginales

ABLATIO rei alienae 235: causae eam justificantes 241-250.
Abstinentia 111: peccata 112.
Acceptatio promissionis 413; donationis 433; hereditatis 447.
Acceptio rei alienae in bona fine 259-265; in mala fide 267-271.
Accessio, et ejus modi 192-194.
Accusator, Actor 589-591.
Advocatus, ejusque officia 603-608.
Adulter obnoxius restitutioni 314; si dubius 277.
Ædificatio v. *Accessio.*
Aleatorii contractus 561-574.
Alluvio v. *Accessio.*
Altum dominium 142.
Amicitia 93: peccata 94.
Amissæ res v. *Inventio.*
Anatocismus 529.
Anima heres instituta 446, 459.
Antichresis 568.
Arbitri, eorumque officia 588.
Arrha 415.
Assecuratio, contractus 561-565.
Assecuratio rei venditæ 495; operariorum 565.
Astutia 74.
Auctarium ex mutuo v. *Fenus.*
Auctor ejusque jura 171-174.
Avaritia 96.

BONA, prout sunt objectum juris: personalia 144-147; externa 148-152; servitutes 153-155.
Bona fides ad præscribendum 201.
Bursæ speculationes 573.

CAMBIUM 527.
Caritas 27: erga Deum 28-30: erga proximum 31-50; erga inimicos 32, 33: ordo 34, 36; peccata contraria 30, 35, 37, 51.
Castitas 115-118: peccata 119.
Caupones, quoad legem abstinentiæ, choreas, diaria 66.
Causa damnificationis 272, 274.
Causæ deobligantes a restitutione 337; exstinguentes 338-343; excusantes 344 - 347.
Causæ matrimoniales apud laicas auctoritates 586, 608, 615.
Causæ piæ 170, 446, 459.
Census 535.
Cessatio ab operando 544.
Cessio bonorum; num obligationem restituendi exstinguat 342.
Chlorophormium, etc. 613.
Circumstantiæ restitutionis 313: persona 320-324; ordo 325-331; modus, locus, tempus 332.
Clausulæ contractuum 414, 415.
Clementia 125.
Clericus: ejus bona 162, 168; obligatio erogandi 170.
Collectivismus v. *Socialismus.*
Commodatum 463-466.
Commixtio v. *Accessio.*
Communismus v. *Socialismus.*
Commutatio dispositionum ultimæ voluntatis 459.
Compositio ad exstinctionem debiti 338.
Conditiones contractuum 413.
Condominium 208, 209.

Condonatio debiti 338-340.
Conductio v. *Locatio.*
Consensus ad contractum 359-365: vitia 366-379.
Consentiens, quando teneatur restituere 291 - 293.
Consulens, quondonam teneatur restituere 285-290.
Continentia 123.
Contractus 350: requisita 352: subjectum 354-358; consensus 360-379; causa 386-390; forma 391-394; interpretatio 395; obligatio ex ipso contractu 397 - 400; ex juramento 401-406: limitationes 407-415: cessatio 416. - Contractus gratuiti 418-480; commutativi 482 - 559; subsidiarii 556-559; aleatorii 560-574.
Cooperatio, prout adversatur caritati 61, 74-615, prout justitiæ 280.
Cooperatores 280-310; quoad restitutionem 282-310.
Cooperatores positivi 282-297; negativi 298 - 302: quantitas restituenda 304-306; ordo restituendi 307-310.
Correctio fraterna 43-46; judicialis 47.
Creditores: ordo inter eos 325-331.
Crematio posita ut conditio in testamento 454.
Culpa quotuplex 267; quoad obligationem restituendi in damnificatore 272-279.

DAMNIFICATIO 239, 240.
Damnificator 267: obligatio restituendi in se 272, 273, 277; ejus obligatio ex jure naturali 474, 278; ex jure positivo et ex contractu vel quasi-contractu 275, 276, 279.
Debitor: ordo inter debitores 325-330: Debitor in dubio de facta solutione 343.
Denuntiatio 589-592.
Depositum 474-476.
Desperatio 25.
Detractor, quando teneatur restituere 315.
Diaria prava 66.
Dolus in contractu 367-372.
Dominium 141, 142.
Donaria votiva 383.
Donatio 425; inter vivos 426-434: mortis causâ 435.
Dubium de re accepta 269; de illata damnificatione 277; de facta solutione 343.

ECCLESIA: ejus jura quoad bona temporalia 175-177.
Electiones politicæ 390.
Eleemosyna 48-50.
Emphyteusis et feudum 535.
Emptio v. *venditio.*
Epikeia 97.
Error in contractu 367-372.
Eutrapeleia 23.
Evictio 495.

FAMULI, quoad ostium meretricis aperiendum 66; quoad furta 237: quoad damna familiæ cavenda 302.
Fenus ex mutuo: an licitum 524, 525; quodnam licitum 526-529.
Fidecommissum 456, 457.
Fidejussio 537.
Fidelitas 92.
Fides 7: necessitas 9-11; objectum 12-16 peccata 17-23.
Filius 160: ejus bona 161, 162; quoad furta 237.
Fornicator, quando teneatur restituere 313.
Fortitudo 98; ejus partes 101-106: peccata 100.
Fructus rei alienæ 249, 262, 265.
Fur, quoad peccatum 235-238; quoad restitutionem 268-271.
Furtum 235, 236: materia gravis 237; furta minuta 238.

GESTIO negotiorum v. *Mandatum.*
Gratitudo 87, 88.
HÆRESIS, haereticus 17-21.
Hereditas: acceptatio 447.
Heres ex testamento 443-447; ex lege 460, 461.
Homicida, quandonam teneatur restituere 212.

Honorarium v. *Merces*,
Humilitas 126: peccata 127.
Hypotheca 569.

IMPOTENTIA excusans a restitutione 344-347.
Infidelitas, infidelis 17-26.
Inimicus diligendus 32, 33.
Injuria 222, 223; malitia 226-228; objectum 229, in bonis animae 230, 233, in bonis fortunæ 234-250.
Interesse v. *Fenus*.
Inventio 184-191.

JUDEX, JURATUS 580-587; quoad matrimonium civile, divortium, etc. 586.
Juramentum quoad contractum 401-406.
Juratus quoad clericum criminosum 586.
Jus 136-140: objectum 143-155; subjectum 156-177; acquisitio 178-206; limitationes 207-217.
Justitia 65, 133-137; partes 76-97; officia 218-221.

LEGATA PIA 446, 459.
Legatarius 443.
Lex civilis quoad bona civium 152; quoad præscriptionem 196.
Liberales, num sint hæretici 19.
Liberalitas 95; peccata 96.
Libri pravi 66.
Licitatio 509, 510.
Locatio rerum 530-534: operæ 536-537; 548: merces justa 538-544: operis 545-548; vecturæ 549.
Loteria 572.
Ludus 567, 569, 570.

MAGNANIMITAS 103.
Magnificentia 104.
Mandans, quandonam teneatur restituere 282-284.
Mandatum 478, 479.
Mansuetudo 124.
Maritus, quoad bona uxoris 164, 165.
Martyrium 99.
Medicus: ejus officia 610-613.
Merces operariorum 538-544.
Merx in venditione 489-495.
Metus in contractu 373-376.
Minor, quoad bona et jura 160-162, 453, 454; quoad contractus 354, 356.
Modernistæ an sint hæretici 19.
Modestia 130, 131.
Mohatra 503.
Monopolium mercium 516-519; operarum 544.
Mutus quandonam teneatur restituere 298-302.
Mutuum fenerativum 521: utrum in se licitum sit 522-525; quoad fenus 526-529. — Mutuum simplex 468-473.

NECESSITAS, quoad caritatem 38-42; quoad ablationem rei alienæ 242-246.
Negotiatio 513-515.
Notarius 609.

OBEDIENTIA 84-86.
Observantia 82, 83.
Occupatio 179-183.
Odium in Deum 30; in proximum 51.
Operæ locatio 536-537; merces 538-544.
Operis locatio 545-548.
Operistitium 544.
Ordo caritatis 34.
Ordo restituendi quoad debitores 307-310; quoad creditores 325-330.
Ornatus mulierum 55, 132.

PALPO v. *Consulens*.
Paraphernalia bona 163-167.
Participans quandonam teneatur restituere 295-297.
Pater, quoad bona filiorum 161.
Patientia 105.
Permutatio 527.
Perseverantia 106.
Persona moralis 175: jura 176, 177.
Pietas 81.
Pignus 588.
Pœna conventionalis 415.
Pontifex: ejus potestas circa bona ecclesiarum et locorum piorum 176, 318, 341, 459.

Possessio ad præscribendum 199.
Possessor rei alienæ v. *Acceptio.*
Præscriptio: ejus legitimitas in se 195, 196: acquisitiva 197-203; liberativa 204-206: ex Codice Juris can. 198-201.
Præsumptio 25.
Precarium 467.
Pretium mercis 496-503; operæ 538-544.
Privilegium 560.
Promissio 419-424.
Proxeneta in venditione 511-512.
Prudentia 69; partes 70-72: peccata 73 74.
Pudicitia 120: peccata contraria 121.

QUASI - CONTRACTUS 575.

RAPINA v. *Furtum.*
Receptans, quandonam teneatur restituere 264.
Religio 80.
Res amissæ 188-191.
Restitutio 251; obligatio 252-256; radices 257; subjectum 258-318.
Reus 593-596.

SALARIUM operariorum 538-544.
Scandalum 52-60.
Scienti et volenti non fit injuria 224.
Sequestrum 477.
Servitus 153-155, 213-217.
Sobrietas 113: peccata 114.
Socialismus 149, 151.
Societas 550-555.
Solidaritas 303-306.
Solutio debiti dubia 343.
Sortitio v. *Loteria.*
Spes 23; necessitas 24; peccata 26.
Sponsio 568, 569, 571.
Studiositas 128; peccata 129.
Stuprator quandonam teneatur restituere 313.
Subsidiarii contractus 556, 560.
Substitutiones 456, 457.
Successio testamentaria 436-459; legalis 460, 461.
Superbia 127.
Syndicus 614, quoad matrimonia civilia 615.

TEMPERANTIA 109; partes 110-132.
Tempus ad præscribendum 200.
Testamentum 426, 437; requisita ex parte testatoris 438-442; ex parte testatarii 443-447; ex parte formæ 448-451; ex parte materiæ 452-455; interpretatio 458, 459.
Testis 597-602.
Thesaurus 185-187.
Titulus ad præscribendum 202.
Transactio 574.
Trinus contractus 556.

USURPANTES bona ecclesiastica 316-318.
Usus 110.
Ususfructus 211, 212
Uxor: ejus bona et jura 163-167.

VENDITIO 488; requisita ex parte mercis 489-495; ex parte pretii 496-503; ex parte consensus 504-508. — Venditio sub hasta 509, 510; per proxenetas 511, 512; negotiatio 513-515; monopolium 516-519.
Veracitas 91, 92; peccata 92.
Vindicatio 89, 90.
Virginitas 116, 117.
Virtus 1-3.
Virtutes theologicæ 4, 6; virtutes morales 67, 68.
Vitæ assecuratio 562.
Vitalitium 566.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS

CASA EDITRICE MARIETTI
TORINO (118) Via Legnano, 23

239.02
P625

1457

Pighi, Can J. B.

AUTHOR

CURSUS

Theologiae Moralis

TITLE

Vol. I & II
Ed. 4a

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONNELLY	
	STORAGE - CBPL	

1457